WiMBP
Opole

191 st.

Akc VI Nr 2284/65/C

ANNOTATIONES

PHILIPPI ME-
LANTHONIS IN EV-

ANGELIA DOMINICALIA, QVÆ
usitato more diebus Dominicis & Festis proponuntur, Adiectis aliquot conciunculis.

VITEBERGÆ

ANNO M. D. LXI.

OPTIMO VIRO
GEORGIO HELTO FORCHEMIO, PHILIPPVS MELANTHON
S. D.

MAGNVM ET INENARRABILE opus Dei est rerum creatio. Sed multò illustrius testimonium est, & esse Deum, & cura eum generis humani affici, quòd ipse sese certa uoce, certis testimonijs ac miraculis, denique & Filio misso, patefecit. Nec uerò frustrà se patefecit, sed agnosci uult, & uult exaudiri ac cogitari suam uocem, uult nos parere, & beneficia oblata accipere, nec alibi colitur aut inuocatur, nec impertit æterna beneficia, nisi ubi uox Euangelij sonat.

Certissimum testimonium de Deo, in dato Euangelio & misso Filio.

Et quanquam rident Epicurei hanc iactantiam nostram, tamen certum est in eo cœtu, qui sonat Euangelij uocem de Filio Dei, & adesse Deum, & hæredes esse uitæ æternę multos, iuxta illud dictum: Quos elegit, hos & uocauit.

Cœtus electorum.

Nusq; igitur sunt electi, nisi inter uocatos. Et in hoc nostro cœtu, id est, in numero uocatorum, electos esse necesse est. Cum autem uocatio sit, adduci ad Euangelium cognoscendum, & necessarium & salutare est legere, meditari, conferre doctrinam diuinitus traditam, et de ea colloqui cum alijs, expendere admirandas sententias, & enarrare, sicut inquit Paulus: Habitet inter uos sermo Christi opulenter. Sed addit idem, in omni sapientia: Non uult ludere ingenia fingendis cauillationibus, aut corruptelis, sed uult reuerenter et grauiter audiri uocem diuinam, uult metas cœlestis doctrinæ agnosci, extra quas euagari mentibus nostris non licet. Ideoq; uult Deus & in Ecclesia, & in Scholis proponi & explicari doctrinam, quã tradidit. Et semper excitauit doctores, qui eam propagarent, et quasi custodes essent perpetuæ in Ecclesia sententię, aliãs plures, et maiori luce donatos, aliãs pauciores et imbecilliores.

Colenda sunt igitur hæc studia doctrinæ traditæ diuinitus, & conseruanda, & da, et priuatę meditationes confirmant ueram de Deo sententiam in animis, accendunt inuocationem, & alios pios motus. Sed in editionibus publicis omnes boni & prudentes optant delectum adhiberi, & pauciora scripta graui censura comprobata spargi in populo. Huius rei curam mandarunt quidem Principes nobis, qui studia doctrinæ regimus, sed quia non adiuuamur ab eis, officinæ librariæ nostras admonitiones ac leges leuiter curant.

Doctrina cœlestis agitanda & propaganda.

Ego domi solitus sum iuuenibus summam doctrinæ Christianę tradere, & lectiones usitatas in Ecclesia proponere, ut ad meditationem de uirtute omniũ summa, id est, de agnitione & inuocatione Dei assuefierent, & alia officia Deo grata discerent. Et multa sunt in ipsa Euangelij lectione, quę sine literis, sine eruditione, sine historiarũ collatione non intelliguntur. Imò profectò qui summam doctrinæ Ecclesiasticæ uel mediocriter uult intelligere, hũc necesse est mente intueri totam mundi historiam, & de maximis rebus con-

siderare discrimina cœlestis doctrinæ, & humanarum opinionum.

Aliter de inuocatione Dei, de peccato, de recõciliatione, de iustitia, de causis mortis, deniq; de multis maximis rebus humana ratio disputat, aliter præcipit cœlestis doctrina. Et necesse est monstrare discrimina, ut ad uocem Dei nos alligemus, nec temerè uagemur animis, fingentes, ut multos audiui, Philosophicas religiones.

Aliquid igitur familiariter differui de plerisq; locis, de quibus antea meũ extat iudicium. Nec existimaui futurũ, ut hos domesticos sermones, quos ipse nõ scripseram, quisquam efferret. Quanq; autem prorsus optarim nõ esse editos, tamen minus succenserem ijs, qui spargere cœperunt, si mihi concessissent emendandi spacium, aut si ipsi seuerius emendassent has confusaneas conciunculas. Nunc hoc mihi tantum relictum est, ut alienæ stultitiæ ueniam petam.

Deinde quod facerem, etiam si ipse fuissem editionis autor, id nunc quoq; facio. Profiteor me amplecti sententiam Ecclesiarum nostrarum, quam uerè iudico esse consensum Ecclesiæ Christi perpetuum, & doctoribus Ecclesiarum nostrarum permitto iudicium, et de his annotationibus, & de omnibus scriptis meis. Nam Ecclesiæ iudicium quæ uocem Euangelij sonat, ex animo ueneror, & semper uenerandum esse duco.

De enarrandi ratione præfari quid possum? cum consilium editionis non probem, & hæ ieiunæ annotationes nequaq; respondeant Euangeliorum amplitudini. Est omnino magna & difficilis res explicatio Euãgelij, quòd, ut antea dixi, complectenda sit cogitatione uniuersa omnium temporũ Ecclesia, & prudenter discernenda sit lex à promissione, quæ est Euangelij propria, & in multis locis monstrandum discrimen Euangelij, & iudicij humani. Nemo potest interpretari partes Euangelij, nisi integrum doctrinæ corpus mediocriter teneat: quod cum animo comprehensum est, prudenter uidendum, ad quam partem singulæ historiæ aut conciones in Euangelio referendæ sint.

Et concionator qui uolet prodesse populo, dabit operam, ut auditores etiam assuefaciat, ut summam quandam doctrinæ Christianæ animo cõprehendere studeant, & quasi σωματοπριᾶν, Et in singulis materijs dirigat orationem ad certos eius corporis locos, hos ex ueris fundamentis extruat & illustret. Hæc quantum curę, diligentię, prudentiæ, eruditionis, copiæ requirant, mediocris interpres experiundo cognoscet.

Ego in his pagellis breuibus, hæc ne potui quidem efficere, sed in aliquibus incoata res est. Multi sunt autem digni uituperatione, ueteres & recentes, qui in quamcunq; partem Euangelij incidunt, quędam uulgaria πάρεργα dicunt, quæ habent in promtu, de his dum declamitant ocioſẽ, sæpẽ accidit, ut animaduerti possit, ἕτερα μοὺ τὸμ πόδα, ἕτερα μοὺ τὸν ῥιθμὸν λέγειν. Vt autem Aeschines dicit, scelus esse dissentire Oratoris uocem ã lege, ita multõ magis scelus est, interpretis in Ecclesia uocem pugnare cum Euangelio.

Annitamur igitur, ut uera, recta, nata in ta in ipsis fontibus, & salutaria dicamus, et in uerbis proprietatem usitatã Apostolis, et in exponendo ordinem artificum adhibeamus: quod si faciemus, rerum consensus Ecclesiarũ concordiã retinebit. Nam pijs pastoribus utraq; res curæ esse debet, primum ueritatis, deinde & concordiæ conseruatio.

Vt in foro utilissimum est, & ueris rebus, & uerbis congruere iudices, Ita profectõ in Ecclesia salutare est & dulce, in docendis ueris rebus, etiam similitudinem expositionis communem mediocriter retinere. Facilius enim agnosci res poterunt, usitatis & propijs uerbis traditæ, quãm si nouis figuris & inuolucris tegantur, aut prodigiosẽ misceantur. Et sæpẽ sunt insidiæ, in illis inuolucris, ut apud uafros Anabaptistas. Econtra ueriſſimum est illud Euripidis: ἐσθλὸν τὸ σαφὲς.

Cum autem scriptum sit, Filium Dei ascendisse, ut dona det Ecclesiæ, uidelicet, Doctores idoneos, ne circumferamur, ut Paulus loquitur, uarijs doctrinæ uentis, oro toto pectore, ut excitet

salutares doctores, & studia iuuentutis ubiq; regat & defendat, nec sinat aut Turcicis armis, aut intestinis tumultibus deleri Ecclesias, interfici pios sacerdotes, & dissipari Scholas, aut nostra ignauia extingui Euangelij lumen.

In tantis imperiorum ruinis, ipsa periculorum moles ostendit, humanis consilijs aut præsidijs Ecclesiam Dei non seruari, sed petendam et expectandam esse à Deo æterno defensionem, qui quidem pollicetur se etiam senescentem Ecclesiam seruaturum esse, ut Esaiæ 46. dicitur: Qui gestamini in meo aluo, usq; ad senectam, id est, senescentes uos gestabo. Ego feci, ego gestabo, & saluabo uos.

His diuinis promissionibus confirmati, non abijciamus studia literarum Ecclesiæ necessaria, sed speremus & mansuram esse Ecclesiam, & non defutura ei in aliquibus politijs hospitia, & labores nostros posteritati profuturos.

Quod faciat Filius Dei, seruator & custos Ecclesiæ suæ.

DISTI-

DISTICHA
IN EVANGELIA DOMINICALIA MEMORIÆ CAVSSA CONSCRIPTA A IOANNE STIGELIO.

Natiuitatis Christi, Euangelium, Lucæ 2. & Ioan: 1.

NAscitur in mundi promissus gaudia Christus,
Cœpit ab hoc uno uindice nostra salus.
Mente Dei genitus, sed cum Patre Filius idem,
Fit sacra pro nobis uictima, natus homo.

Circumcisionis Domini, Euang. Lucæ 2.

Seminis & pacis confirmat fœdera Christus,
Præcisus ueteris legis honore puer.

Epiphaniorum Domini, Euang. Matth. 2.

Tentata est ferro uix nati infantia Christi,
Cur pigeat duram nos quoq; ferre crucem?

Dominica I. Euang. Lucæ 2.

Ecce puer uincit tumidos ratione Sophistas,
Omnia uictor habet, cui puer iste fauet.

Dominica II. Euang. Ioan. 2.

Lætitiæ Christus dignatus adesse iugali,
Esse sibi curæ tale probauit opus.

Domi-

Dominica III. Euan. Matth: 8.

Approbat exemplum fidente in milite Christus,
Ah quantùm est uni fidere posse Deo.

Dominica IIII. Euang. Matth. 8.

Vt scapha parua, Notis Ecclesia fertur & undis,
Sed sibi fidentem seruat ubiq; Deus.

Dominica V. Euang. Matth. 13.

Quotidiè infelix lolium se frugibus addit,
Assere tu Messem Christe benigne tuam.

In Septuagesima, Euan. Matth. 20.

Ante Deum electi (gratis namq; omnia donat)
Vltimus & primus sunt in honore pares.

In Sexagesima, Euang. Luc. 8.

Larga Deus sparsit diuini semina uerbi,
Felix, qui retinet talia, cordis ager.

In Quinquagesima, Euan. Lu. 18.

Cernere quem mundi nescit sapientia, cœcus
Agnoscit sola te bone Christe fide.

In Quadragesima, Euang. Matth: 4.

Victor ab infesto tentatur Dæmone Christus,
Omnibus in Christo uincitur ille pijs.

Domi-

Dominica Reminiscere, Euang. Matth. 15.

Exemplum fidei probat in Cananeide Christus,
I nunc, & dubitans quære placere Deo.

Dominica Oculi, Euang. Luc. 11.

Redditur eloquium muto, sed ridet Apella,
Felix qui agnoscit facta stupenda Dei.

Domin. Lætare, Euang. Ioan. 6.

Quotidiè augusto qui consecrat omnia nutu,
Pane cibat modico millia quinq; Deus.

Domin. Iudica, Euang. Ioan. 8.

Impius accusat te Christe furoris Apella,
Eheu quàm mundo est res peregrina Deus.

Dominica Palmarum, Euang. Matth. 21.

Ecce uenit pompa, promissus simplice Christus,
Nam cupit hic solo cordis honore coli.

Die Parasceues.

Vulnera, flagra, crucem, pro nobis Christe tulisti,
Tu mihi fidenti, tempore mortis ades.

Dominica Paschæ, Euangelium, Lucæ 24.

Abolita uictor rediuiuus morte triumphat,
Parta redit miseris, gratia, uita, salus.

Domi

Dominica Quasimodogeniti, Euang. Ioan. 20.

Das mandata tuis, das uires Christe docendi,
Da ualeant firma pectora nostra fide.

Dominica Misericor. Euang. Ioan. 10.

Semper ubiq; sonet pastori gratia Christo,
Ille sua miseras morte redemit oues.

Dominica Iubilate, Euang. Ioan. 16.

Discite iusticiam, & regnum uenerabile Christi,
Ferte crucem, uincit sub cruce uera fides.

Dominica Cantate, Euang. Ioan. 16.

Promittit Christus spirabile numen ab alto,
Capturus regnum spirituale Deus.

Domin: Voc. Iu: Euan. Ioan. 16.

Ah miser, ad Dominum quicunq; orare recusat,
Qui petit in Christi nomine, cuncta feret.

Ascensionis Domini, Euang. Marci 16.

Discipulos Christus saluandum mittit in orbem,
Inq; patris rediens, pergit ad astra, sinum.

Dominica Exaudi, Euang. Ioan. 16.

Spiritus ingrati promittitur arbiter orbis,
O Deus afflatu nos rege sancte tuo.

Domi.

Dominica Pentecostes, Euang. Ioan: 14.

Cordibus infusum spirabile numen ab alto,
In Christo renoua pectora nostra Deo.

II. Pentecostes, Euang. Ioan. 3.

In nos tantus amor diuini & cura parentis.
Pro nobis natum tradidit ipse suum.

III. Pentecostes, Euang. Ioan. 10.

Pastor oues Christus custodit, cedite fures,
Ille aditum ad ueri præbet ouile Dei.

Dominica Trinitatis, Euang. Ioan. 3.

Nemo petit cœlum, nisi per te Christe redemtus,
A te uera salus, non aliunde uenit.

Dominica I. post Trinitatis, Euang. Lucæ 16.

Impietas soluit securo in diuite pœnas,
I nunc & summum quære Epicure bonum.

Dominica II. Euang. Lucæ 14.

Omnibus offertur diuinæ gratia cœnæ,
Ah miser hic, animi quem iuuat esse pigrum.

Domi.

Dominica III. Euang. Lucæ 15.

Tanta Dei bonitas, infirmos suscipit ultrò,
Per Christum ueniam, qui resipiscit, habet.

Dominica IIII. Euan. Lucæ 6.

Ipse trabem ignorans, festucam carpis amici,
Pectoris ô quantùm est ulcera nosse tui?

Dominica V. Euange. Lucæ 5.

Christe doces populum, mox retia piscibus imples,
Vis prius agnosci, cætera deinde dabis.

Dominica VI. Euan. Matth. 5.

Christus ab interno pietatem corde requirit,
Cultibus externis nil pietatis inest.

Dominica VII. Euange. Mar. 8.

Pane cibat modico densæ longa agmina plebis,
Omnia qui larga donat, & auget ope.

Dominica VIII. Euan. Matth. 7.

Sæpè lupum occultat, qui pelle incedit ouili,
Fructibus est omnis uita probanda suis.

Dominica IX. Euang. Lucę 16.

Comparat œconomus malè partis rebus amicos,
Rectius hic, alios qui pietate iuuat.

Dominica X. Euang. Lucæ 19.

Institor eijcitur, Solymæ flet funera Christus,
Supplicium ante pedes impius omnis habet.

Dominica XI. Euang. Lucæ 18.

Inuenit hic ueniam, qui agnoscit, fidit, & orat,
Iusticiam extollis quid Pharisæe tuam?

Dominica XII. Euang. Mar: 7.

Dum sensus surdo, dum uox est reddita muto,
Declarant uerbis addita signa Deum.

Dominica XIII. Euang. Lu: 10.

Prima Deo pietas debetur, proxima fratri,
Sic Samarita tuam sentit egenus opem.

Dominica XIIII. Euang. Lu: 17.

Vnus agit grates, lepra bis quinq; leuantur,
Ah quantum humana est in ratione mali?

Dominica XV. Euang. Matth: 6.

Difficile est dominis pariter seruire duobus,
Fide Deo, & curis cætera liber age.

Dominica XVI. Euang. Lucæ 7.

Sponte Deus uiduæ rediuiuum reddit alumnum,
Et dubitat quisquam uelle iuuare Deum?

Dominica XVII. Euangelium Lucæ 14.

Luce ſacra Chriſtus ſanans intercutis ægrum,
Quæ bona ſint ferijs non prohibenda docet.

Dominica XVIII. Euangelium Matth. 22.

Lege tumens, ſed legis iners, ſtolidusq; Sophiſta,
Conuictus Chriſto uera monente, tacet.

Dominica XIX. Euangelium Matth. 9.

Reſtituis uerbo membris dum Chriſte ſolutum,
Non ſentit ſapiens, ſed pia turba Deum.

Domin. XX. Euan: Matth. 22.

Sponſus ad inſtructas ciues uocat undiq; menſas,
Infelix, tardo quem iuuat ire pede.

Domin. XXI. Euang. Ioan. 4.

Credenti ſatrapæ moribundum ſeruat alumnum,
Et firmat dubiam Chriſtus amore fidem.

Dominica XXII. Euangelium Matth. 18.

Cui ueniam dederat Dominus, fit ſeruus iniquus
Des alijs ueniam, quam cupis eſſe tibi.

Dominica XXIII. Euangelium Matth. 22.

Ius quid in ambiguo phariſæi quæritis ære?
Sunt ſua principibus, ſunt ſua danda Deo.

Domi-

Dominica XXIIII. Euangel: Matth. 9.

Plena fide accipitur tacto muliercula Chriſto,
Sola Deo acceptos nos facit eſſe fides.

Dominica XXV. Euangelium Matth: 24.

Qui ſua degeneri prædicis funera mundo,
Vere Deus populum ſuſcipe Chriſte tuum.

Dominica Aduentus, Euangelium Matth. 21.

Ecce uenit uili Rex regum uectus aſello.
Victor is, ô quantus, quando redibit, erit?

Dominica II. Aduentus, Euang. Lucæ 21.

Signa refert Chriſtus mundi tractura ruinam,
Tempus adeſt, lætum tollite quisq; caput.

Dominica III. Aduentus, Euang. Matth. 21.

Dum ſua Ioanni miracula nunciat, ipſum
Se quoq; Meßiam Chriſtus adeſſe docet.

Dominica IIII. Aduentus, Euangelium Ioan. 1.

Pectore non dubio Chriſtum Baptiſta profeſſus,
In Chriſto audendum fortiter eſſe docet.

HISTORIA INGRESSVS CHRISTI IN VRBEM IEROSOLYMAM die Palmarum, Reddita uersibus à Casparo Crucigero iuniore.

QVO Deus à scelerum pereuntes labe piaret
Quos colubri technis præcipitarat Adam,
Induit humanos artus, è culmine cœli,
Eq; sinu ueniens, filius ipse, Patris.
Lustraq; sex ierant, dum uirginis editus aluo
Doctor Iudææ mœnia gentis obit.
Vndiq; conueniunt agni Paschalis ad esum
In Solyma nitidas fœmina uirq; domos,
Luna ferè plenis explerat cornibus orbem,
Lanigeræ Phœbus terga premebat ouis,
Ecce uenit quinta pòst uictima luce futurus
Ingrediturq; lares urbis Iuda tuæ
Christus, ut accensas aries mactandus ad aras,
Per mediam populo pone sequente uiam.
Tum prope magnifici spectans fastigia templi,
Et quas pontificum splendor habebat opes,
Ingemit, & lacrymis humentibus irrigat ora,
Mox ad Discipulos talia uerba facit:
Ascendo Solymæ moriturus ad aurea tecta,
Afficiet Domini quæ cruce membra sui.
Hunc ingrata meis benefactis reddit honorem
Si libet in placidum sæuiat ergo caput.

Non

Non ego pro uestra tolerare salute recuso
Supplicium, quod me uult tolerare Pater.
Congregat ut pullos tepidis gallina sub alis,
Vt puerum gremio mater amica fouet.
Exilio uolui sic te reuocare uagantem
Gens Iacobe tui semine nata patris.
Sed temulenta prius sanctorum funere Vatum
Vis etiam nostri sanguinis esse satur,
In te, si nescis, non me crudelia poscis,
Innumeras pariet crux tibi nostra cruces.
Ergo dies aderit, qua tot decorata triumphis
Vrbs hæc in cineres uersa iacebit humi,
Ardua cingentur Romanis oppida signis
Vt ratis æquoreis undiq; pulsa uadis,
Hauriet egregium rabies Vulcania templum,
Contiguo ablatum marmore marmor erit.
Sic ubi fatus erat, lacrymæq; per ora cadebant,
Monstratum digito rus iubet ire duos.
Adduci mandans asinam, pullumq; ferocem,
Dixerat, hi redeunt, Arcadicumq; pecus.
Colle super uiridi, subter labentibus undis,
Plurima pacatæ Palladis arbor erat,
Quem simul attigerant, asinis consistere iussis
Discipuli gazas imposuere suas,
Hinc Dominum properant imponere, tollitur ille,
Dextra manus ferulam, lora sinistra capit,
Exutas equiti substernunt agmina uestes
Quæ iam præcedunt, iamq; sequuntur eum,

Aſt alij palmæ frondes & pinguis oliuæ
Decutiunt, linguis cætera turba fauet
Clamantes Oſianna, uenit benedictus ab illo
Principe, qui Domini nobile nomen habet.
Gratia magna Deo, Salue rex inclyte Chriſte,
Cum Patre tu Dominus totius orbis eris.
Regalis graditur pompæ ſublimis honore,
Miſtaq; cum Plauſu iubila læta uolant.

I.

Ne tamen ignores, ECCLESIA pingitur iſto
(Hiſtoriæ monſtrant quem tibi fila) typo.
Chriſtus ad hanc patrio uenit delapſus olympo
Hæc tergo Dominum ſuaue recepit onus,
Ac ut Apoſtolicis manibus, ſic uoce docentum
Impoſitus populo Chriſtus utriq; fuit.
Iudæos aſinam, gentes intellige pullum,
Hæc patitur frenos, excutit ille iugum.
Pertulit Iſacidæ gens pondera Legis & æſtum,
Immunes, aliæ carcere legis erant.
Impoſita tamen has adducunt ueſte miniſtri,
Ne ſibi, ſed Chriſto regna docendo parent.
Sed neq; prætextu uerbi uenantur honores,
Officijue putant ſe ratione Deos,
Vna ſed eſt Domini meritum celebrare uoluptas,
Spargere noticiam per populosq; Dei.

II.

Quo uero excipiat uenientem Eccleſia ritu,
Læta triumphali uoce caterua monet.

Hæc triplices affert cultus, ſpe plena fideq;
Et noua cœleſtis gaudia lucis habens,
Promiſſum patribus uidet hunc Heroa fuiſſe,
Qui mortale uocet rurſus ad aſtra genus,
Qui caput infeſti collidat calce draconis,
Noſtraq; letheis crimina mergat aquis.
Hinc Oſianna canunt, hinc plebs pia molliter hym-
Incerto titubans ore puerq; ſonat. (nos

III.

Quid uult palma ſibi, & pallentibus arbor oliuis?
Hi fructus fidei iuſtificantis erunt.
Pax oleis decorata fuit, uictoria palmis,
Chriſtus enim uictor munera pacis habet.
Hoc duce teſtantur ſe uincere dæmonis æſtus,
Et graue peccati prædominantis onus,
Hoc autore, pauent non ulla pericula, pacis,
Tranquilloq; ferunt pectore uota Deo.
Pacificis animis hinc ad ſua munia uerſi,
Mandati aggreditur quisq; laboris opus.
Hic Euangelium, docet ille fideliter artes,
Quæ reuocant animos à feritate rudes,
Lege datos faſces tenet alter, & annua iura
Diſtribuit pariter ciuibus æqua ſuis,
Caſta domus reuerens, alios, & amabilis uxor,
Et cum pignoribus dulcia rura, iuuant,
Hoſtibus opponens contraria pectora miles
Prælia pro ſancta Relligione facit.

Hi geſtant oleas, obeundo negocia uitæ,
Neſcit & aduerſis cædere palma malis,
In medio præſens tegit hos certamine Chriſtus,
Hi ſua commendant fata fidemq; Deo.

IIII.

Ac uelut hic Domino ſubſternunt pallia turbæ,
Ne cadat offenſo mitis aſella pede.
Sic in mille uocant illi diſcrimina uitam
Vt uerbi creſcant ſemina læta Dei.
Sic quoq; fortunas expendere fortiter audent
Ne Chriſto pereant organa fida fame.
Hactenus eſt proprijs Eccleſia picta figuris,
Viribus exiguo par numeroq; gregi.

V.

Nunc Euangelij ſupereſt uideamus ut hoſtes,
Myſtarum furias, Pontificumq; ſcelus,
Vnde odij uis tanta, ſitis tam fœda cruoris,
Extinctum cupiant prorſus ut eſſe Deum?
Vt prohibere uelint, poſt hac ne Chriſte colaris,
Accendens uerbi lumine corda tui.
Quæ Phariſæorum ſtimulat face pectus Erinnys?
Nil niſi ut arma uelint, nil niſi ut arma fremant.
Non truculentus aper media ſic frendet in ira,
Non ita crudeli fulminat ungue Leo.
Impius ut flamen tumido præcordia felle
Vritur, impietas cum labefacta ruit.
Fœta ſed exemplis te pluribus inſtruet ætas
Noſtra, quibus cedit priſtinus ille furor.

Dum

Dum populo impoſuit ſe Chriſto Papa retruſo,
Quem ſaxis etiam, ſtipitibusq; petit.
Dum ſacra peruertit, dum Chriſti membra trucidat,
Fœdera dum uocat ad perfidioſa duces,
Dumq; Epicureæ ſequitur ludibria ſectæ,
Et ſupereſſe Deum mens ſcelerata negat.
An quisquam neget hæc manifeſti ſigna furoris?
His comes eſt aliud, tetra libido, malum,
Non obſcura loquor, ſed quæ uaga fama ſuſurrat,
Horret ad hæc eadem lingua modeſta loqui.
Nos decet interea uenienti occurrere Chriſto,
Credimus extremum qui prope adeſſe diem,
Sideream læti caput attollamus ad arcem,
Suſpirent placidam corda ſalutis opem.
Ne dapibus uinoq; graues, ſomnoq; ſepultos,
Vitæ demerſos huius & inter opes
Opprimat incenſi labor & fragor ultimus orbis,
Sed uigilent animi lumina Chriſte tibi.
Cum procul ætherea ducens in nube triumphos,
Spirituum rutilo pone uolante choro
Corpora de tumulis exire ſopita uidebis,
Et ſolium uiuos ante uenire tuum.
Tunc cadet ætnæo Turca abſorbendus hiatu
Omnia qui uaſtat more furentis apri,
Papaq; ſulphureos gemet abijciendus in ignes.
Hæc Epicureæ conuenit aula ſcholæ.

FINIS.

DOMINICA
PRIMA ADVENTVS.

EVANGELIVM

Matth: XXI.

ET cum appropinquassent Ieroſolymis, & uenissent Bethphage ad montẽ Oliuarum, tunc Ieſus misit duos Discipulos dicens eis, Ite

Ite in castellum, quod contra uos est, & statim inuenietis asinam alligatam, & pullum cum ea, soluite & adducite mihi. Et si quis uobis aliquid dixerit, dicite, Dominus his opus habet, & confestim emittet eos. Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam dicentem, Dicite filiæ Sion, Ecce Rex tuus uenit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præceperat illis Ieſus, Et adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos uestimenta sua, & eum super illam collocauerunt. Plurima autem turba strauerunt uestimenta sua in uia. Alij uerõ cædebant ramos de arboribus, & sternebant in uia, Porro turbæ quæ præcedebant & sequebantur clamabant, dicentes, Hosanna filio Dauid, Benedictus, qui uenit in nomine Domini, Hosanna in altissimis.

Quatuor sunt præcipui loci huius Euangely.

I. Pompa ingressus.
II. Quale sit regnum Christi.
III. Qui sint ueri cultus in eo regno.
IIII. Pompa triumphalis est pictura Ecclesiæ.

Primus.

Testimonium exhibiti Messiæ.

Pompa ingressus est publicum testimonium exhibiti Meßiæ qui promissus fuerat. Voluit enim Deus esse multiplicia testimonia exhibitæ promißionis, ad confirmandos pios, & refutandos impios, Sicut initio Angeli, Pastores, Elizabeth, Zacharias, Ioannes Baptista, fuerunt testes, & accesserunt miracula ipsius Christi, & sonuit uox Dei de cœlo, Hic est Filius meus dilectus. Ita habet Euangelium sua testimonia, non est ignotum, tametsi res illæ non ita geruntur in conspectu omnium, ut res Alexandri, aut Iulij.

Secundus.

Concio Zachariæ de regno Christi.

Quale sit regnum Meßiæ, describitur in dicto Zachariæ, Ecce Rex tuus uenit tibi iustus, saluator, & pauper, sedens super asinam, &c. Sed tota concio apud Zachariam intuenda est, quæ docet regnum Christi non fore politiam mundanam, Non erunt, inquit, deinceps in Israël, equi, quadrigæ, arcus belli. Hæc descriptio, sicut constat, significat regnum Christi non fore mundanum imperium, sed spirituale regnum, quod etsi in hac carne incoatur, tamen post resurrectionem magis conspicietur, & perficietur. Et hæ descriptiones ad totum regnum, incoatum & futurum referendæ sunt. Et quidem nominatim de morte Meßiæ, & modo liberationis concionatur. In sanguine testamenti tui educes uinctos de lacu, id est, Meßias suo sanguine, quo confirmabit testamentum, & pactum uitæ æternæ, educet uinctos de lacu, id est, mortuos liberabit à captiuitate mortis & peccati. Ideo hic ait, Veniet pauper, id est, non ut uictor mundanus, sed ut crucem subiturus.

Prodest autem hæc testimonia Prophetarum tenere, non solum contra Iudæos, sed etiam contra nostros hypocritas, qui non rectè intelligunt regnum Christi, non norunt præcipuum beneficium esse, quod deleuit peccatum sua morte, quod est factus uictima pro nobis, non norunt hoc apprehendendum esse fide, non norunt hac fide uinci peccatum & mortem, & sic incoari regnum Christi in hac uita, & simul carnem subijci cruci & mortificationi. Interim homines phanatici falsò imaginantur, regnum Christi aut esse politiam pontificiam, aut politiam cynicam, qualis est Anabaptistica.

Tertius.

Quando dicimus quale sit regnum Christi, & quæ sint eius beneficia, addendum est, qui sint propri

proprij cultus in eo regno, Hi quoq; proponuntur in hoc triumpho. Præcipuus est uera agnitio huius saluatoris,& fides, qua credimus eum factum esse uictimam pro nostris peccatis,& c. Sicut Ioannes inquit, Omnis qui credit in Filium,habet uitam æternam.

Secundus est,hanc ipsam doctrinam celebrare & confiteri,sicut hic pij addunt faustas precationes ex Psalmis,& fatentur hunc esse Meßiam.

Benedictus qui uenit in nomine Domini. Id est, Hic Rex à Deo missus & benedictus, id est, diligitur, adiuuatur à Deo, magnas res geret, liberabit populum ab æternis malis.

Hosianna filio Dauid, id est, salutem, prosperitatem,successus impertiat Deus filio Dauid, Deus aßit, gubernet eius certamina. Est autem hic quoq; totus Psalmus animo intuendus, qui & ipse describit hoc regnum Christi.

Deinde,reliqui cultus sunt, exuere uestes, id est, in professione fortunam & corpus in discrimen adducere. Item, conferre uestes, id est, fortunas, ad iuuandum ministerium. Item, offerre Christo palmam & oleam,id est, agnoscere eum ducem, non facere contra uoluntatem eius, nec seruire regno Diaboli.

Quartus.

PIctura pompæ triumphalis, est imago Ecclesiæ omnium temporum. Semper hæ quatuor personæ in

næ in Ecclesia considerandæ sunt. Christus, Apostoli, auditores,& aduersarij. Christus est agnoscendus Rex & saluator. Hic insidet Asinæ & pullo,id est, populo legis,& gentibus indomitis, qui sine lege uixerunt. Veri Ministri, Prophetæ,Apostoli,& alij pij Doctores adducunt auditores, & imponunt Christum. Populus pius canit Christo,id est,confitetur eum, substernit uestes,iuuat ministerium,Offert palmas, id est, fatetur esse uictorem, & profitetur se quoque subiturum esse certamina,fiducia huius uictoris,& tamen huic palmas offert, agnoscit se uincere per istum & huius auxilio, Offert oleas,id est, petit ab eo pacem, & fatetur esse autorem æternæ pacis cum Deo. Sic enim olim triumphantes reges excipiebantur, Per palmas tribuebatur eis laus uictoriæ, Oleæ significabant uictos pacem petere.

Quatuor personæ in pompa ingressus Christi.

Offerre palmas & oleas Christo.

Iam meminerimus nos quoq; in hoc cœtu esse, Substernimus uestes, cum iuuamus ministerium, aut uenimus in periculum propter confessionem, Offerimus palmas, cum labores & certamina subimus spectantia ad gloriam Christi. Sic studia piorum sunt palmæ. Offerimus oleas,cum prædicamus & pacis autorem,& ipsi ueram pacem Ecclesiæ adiuuamus, retinemus,& c.

Pontifices autem et Pharisæi ardentes odio Christi & indignantes,uetant eum sic excipi. Tales sunt semper Hypocritæ aduersantes Euangelio. Quare

non

non deterreamur ab Euangelio, propter iudicia Pontificum & Phariſæorum, Sciamus Eccleſiam ſemper in talibus certaminibus uerſari.

Contraria imago pontificum & falſæ Eccleſiæ.

Econtra etiam cogitanda eſt contraria pictura Pontificum, ſeſe imponentiũ tergo populi, id eſt, anteferentium impios et Idolatricos cultus mandatis Dei, Item conculcantium Chriſtum & membra eius.

Habent autem & impij, qui oleas & palmas, id eſt, aſſentationes impijs Pontificibus offerunt, ſaxa uerò iaciunt in Chriſtum. Has imagines oculis proponamus, ut nos de diſcrimine ueræ & falſæ Eccleſiæ admoneant, & agnitionem Chriſti, & ueros cultus exuſcitent, & confirment aduerſus ſcandala, hoc eſt, potentiam & autoritatem aduerſariorum.

DOMINICA II.
ADVENTVS.

EVANGELIVM
Lucæ 2.

De ſignis nouiſſimi iudicij.

ERunt ſigna in ſole & luna & ſtellis, & in terris anxietas gentium per deſperationem, reſonante mari, & fluctu, extabeſcentibus hominibus præ timore

timore & expectatione eorum, quæ ſuperuenient orbi terrarum, Nam uirtutes cœlorum mouebuntur. Et tunc uidebunt Filium hominis uenientem in nube cum poteſtate & gloria magna. His autem fieri incipientibus, ſuſpicite & attollite capita ueſtra, quoniam appropinquat redemptio ueſtra. Et dixit illis ſimilitudinem, Videte ficum & omnes arbores, cum protrudunt iam

gemmas,cernentes, ex uobis ipsis scitis,quod iam instet æstas. Ita & uos, cum uideritis hęc fieri,scitote,quod instet regnum Dei. Amen dico uobis, non præteribit ætas hæc, antequam omnia facta fuerint. Cœlum & terra transibunt,uerba autem mea non transibunt.

COncio Christi miscet duas materias, prædictionem excidij Hierosolymæ, & calamitates postremi temporis mundi.

Recenset autem præcipuè has calamitates,tyrannides contra Euangelium,sectas,idolatriam in Ecclesia, regnorum casus,& mutationes,corporum cœlestium ruinas. Addit autem duo præcepta,alterum de temperantia & cura pietatis, alterum de oratione, & docet mitigari calamitates oratione. Addit & consolationem piorum.

Quare oporteatpræscíri nouissimum iudicium.

SEcundo. Fuit ne opus aliqua futura præscire? Respondeo, Deus & iudicium futurum præsciri uoluit,& calamitates Ecclesiæ in hac uita. Primum de iudicio. Quia cum differantur pœnæ & præmia, præmonendi fuerunt homines de futuro iudicio, ne cogitarent mundum casu regi, & nullas esse scelerum pœnas, nulla præmia iusticiæ, Ergo ut sciamus Deo curæ esse humana, & metu pœnarum & expectatione

tione præmiorum exuscitemur ad obedientiam, hæc prædici necesse fuit.

Concio ad Cain de iudicio.

Quare ab initio mundi extitit doctrina de nouissimo iudicio,ut in prima concione ad Cain.Peccatum quiescet donec reuelabitur. Cum ait, peccatum quiescet,significat futurum ut differantur pœnæ, sed postea inquit,reuelabitur peccatum, id est, ostendetur ira Dei aduersus peccatum. Iam cum plurima peccata hic non reuelentur, non puniantur, necesse est aliud iudicium sequi.

Testimonia Enoch & Prophetarum.

Et postea Enoch concionatus est,de nouissimo iudicio,ut scriptum est in Epistola Iudæ, Veniet Dominus facere iudicium. Et deinde Prophetæ, ut Esaias capite ultimo. Veniet omnis caro, ut adoret coram facie mea,dicit Dominus,& egredientur, & uidebunt cadauera uirorum,qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur,& ignis eorum non extinguetur. Deinde Christus & Apostoli hanc doctrinam clarius tradiderunt.

Iam nos cogitatione iudicij ad timorem & fidem excitemus. Ideo enim prædictio diuinitus proposita est,& non fallet. Humanæ mentes naturaliter auidæ sunt cognitionis futurorum, & Deus uult quædam præuideri, uult nos extendere animos in agnitionem uenturarum rerum. Ideo res maximas & necessarias prædixit. Sed his neglectis humana curiositas quærit leuia & inutilia.

Caussæ prædictarum calamitatum Ecclesiæ.

TErtio. Quare calamitates Ecclesiæ & mundi prædictæ sunt?

Primum, ut sciamus non regi mundum casu, non fieri Deo nesciente, quòd hic iusti affliguntur.

Item, si non essent prædictæ calamitates Ecclesiæ, dubitaremus, an hæc esset Ecclesia, quæ est oppressa, præsertim cum ueniente Messia omnes læta expectarent.

Item, de erroribus fuerunt edendæ prædictiones, ut eos caueremus, ut cum Paulus ait, Prohibitionem coniugij esse doctrinam dæmoniorum, seu cum Christus ait, In templo fore desolationem abominandam.

Item, sanctos oportuit præmoneri, quod finis miseriarum futurus sit, ne desperarent.

Item, prædictiones de Monarchijs sunt testimonia, quæ probant doctrinam huius populi diuinam esse. Item admonent sanctos de tempore aduentus utriusq;.

Has caussas prædictionum consideremus, & nostros animos cogitatione certitudinis earum confirmemus, ut repugnemus impijs, & expectemus liberationem, quam ipsæ mutationes regnorum significant non procul abesse. Daniel testatur, destructa quarta Monarchia, uenturum iudicium. Ezechiel testatur paulo ante extremum iudicium Gog & Magog (id est, gentes Scythicas) peruastaturos esse Ecclesiam, quod iam manifestè faciunt Turci, & celeritas cursus eorum, ac magnitudo successium significat accelerare

lerare, nouissimum diem. Et pene completum est, tempus prædictum ab Elia, Sex millia mundus & postea destructio.

Sicut igitur Christus de Vere ait coniecturam fieri ex Ficu, Ita collatione Prophetarum nos admoneamus de fine mundi, seu de nouissimo iudicio. Hæc de prædictionibus utile est cogitare, ut animi præparentur, & confirmentur in fide, excitentur ad timorem & obedientiam.

Præceptum de studio pietatis.

QVarto. Præcepta etiam considerentur. Significat Christus futurum, ut postremo tempore crescant, luxus, superbia & auaricia. Id fieri in conspectu est. Ideo præmonet Christus, inquiens, Cauete ne corda uestra grauentur crapula, ebrietate, & curis uictus.

Secundum. De oratione.

Secundum præceptum de oratione, dulcissimam consolationem continet, Quia testatur mitigari calamitates oratione. Sed meminerimus non posse Deum inuocari mala conscientia, Ideo agenda est pœnitentia, & urgendus cursus bonæ conscientiæ in fide ne opprimamur ingentibus ruinis postremi temporis, præsertim cum uideamus iam in conspectu grassantes Gog & Magog, qui delere Ecclesiam funditus conantur. Aduersus hos dimicemus oratione.

DOMINICA III. ADVENTVS.

EVANGELIVM, Matth. XI.

CVM audisset Ioannes in carcere facta Christi, missis duobus discipulis suis, dixit illi, Tu es ille qui uenturus est, an alterum expectamus? Et respondens Iesus, dixit illis, Ite & renunciate

nunciate Ioanni ea, quæ auditis & uidetis. Cœci uisum recipiunt, & claudi ambulant, Leprosi mundantur, & surdi audiunt, Mortui excitantur, & pauperes lætum accipiunt Euangelij nuncium. Et beatus est quisquis non fuerit offensus in me. Euntibus autem illis, cepit Iesus dicere turbis de Ioanne, Quid existis in desertum ut uideretis? Num arundinem, quæ agitatur à uento? Age, quid existis ut uideretis? Num hominem mollibus uestibus amictum? Ecce qui mollia gestant in domibus Regum sunt. At, quid existis uidere? Num Prophetam? Certe dico uobis, & excellentiorem Propheta, Hic est enim de quo scriptum est, Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præparaturus est uiam tuam ante te.

Quinq; sunt loci.

I. *Testimonium doctrinæ.*
II. *De scandalo Crucis, & specie Christi & Ecclesiæ.*
III. *De officio & constantia Concionatoris.*

IIII. De officio Ioannis & collatione Ioannis & Christi.

V. De discrimine Veteris ac Noui Testamenti. Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem.

DE PRIMO.

Testimonia miraculorum de Christo.

Miracula perpetua totius Ecclesiæ intuēda sunt. Et quanquam apud gentes acciderunt interdum quædam inusitata, tamen nunquam extra Ecclesiam facta est resuscitatio mortuorum, Item miracula Ethnica nunquam fuerunt seruationes uniuersales, sicut seruatio Nohæ, aut eductio ex Ægypto, aut perpetua conseruatio Ecclesiæ inter tantas procellas. Allegat igitur Christus miracula, ut confirmaret auditores, Et quia Prophetæ prædixerant, Messiam hæc miracula facturum esse, admonent ut agnoscant Messiam, & sciant tempus iam adesse, de quo dixerunt Prophetæ.

DE SECVNDO.

Infirma species Christi offendit sapientes.

Beatus qui in me non fuerit scandalizatus, Offendit omnes sapientes infirma species Christi. Et Iudæi longe aliam imaginationem de regno Messiæ habebant. Ideo admonet nos, ne offendamur hac infirma specie, & docet opponere uera testimonia, scilicet uerbi & miraculorum.

Est & similis Ecclesiæ species, quæ est infirma, ærumnosa, dissipata, Ideo hic dicit, pauperibus euangelizatur, significans qualis sit Ecclesia.

Recenset autem & hoc inter miracula, quòd Ecclesia sit talis cœtus. Nam & Prophetæ inter signa Messiæ & miracula hæc posuerunt, & Maria inquit, Exaltauit humiles. Magnum enim miraculum est, quod colligit Deus Ecclesiam ex miseris, abiectis credentibus, & hanc opponit potentiæ diaboli & mundi, & glorificat eam magnis operibus, & conseruat: Sicut Psalmus inquit, Mirificat Deus sanctum suum. Interim uerò pereunt Monarchæ & potentes.

Magnum miraculum Pauperes abiectos & esse Ecclesiam.

Præterea ipsi credentes intelligunt hoc esse singulare & admirandum opus Dei, quod Deus exaudit, respicit, uiuificat afflictos, quòd in sola Ecclesia docetur, & omnibus hominibus, & omnibus gentibus ignotum est, ignaris Euangelij.

DE TERTIO.

Constantia Ioannis.

Constantia Ioannis ornatur egregio encomio, quam uult exemplo esse docentibus in Ecclesia. Econtra aularum sapientia est, inflectere se ad nauis latus felicius. Et omnibus ætatibus accidit, ut aulæ uoluerint attemperari religiones ad suas utilitates, & inueniuntur leuia ingenia, quæ seruiunt Principum cupiditatibus. Sed hortatur omnes doctores Christus, ut Ioannis constantiam imitentur.

DE QVARTO.

Præconium ministerij Ioannis.

DE officio Ioannis, & collatione Christi, Non surrexit maior, scilicet, in officio. Etsi enim Prophetæ fuerunt gubernatores politici, & repurgatores Ecclesiæ, & doctores Euangelij, tamen non incoauerunt totum ministerium noui testamenti, uidelicet, prædicationem Euangelij & Baptismum, non ostenderunt præsentem Christum, non incoauerunt uniuersalem uocationem gentium.

Minor in regno cœlorum.

Quòd autem addit Christus, Qui minor est in regno cœlorum, maior est eo, hoc dictum de persona Christi intelligo, qui uocat sese minorem, quia reuera Christus uera cordis humilitate uincit omnes Angelos & homines, Cum enim perfectè norit patrem, perfectissimè tribuit ei summum honorem, & se infra eum abijcit longius, quàm ulli Angeli aut homines. Arbitror etiam propter tantam humilitatem à superbis Angelis despectum fuisse, & hoc peccato lapsos esse angelos.

Humilitas Christi.

Deinde in passione, Christus reuera etiam depressus est infra omnes homines, sicut Esaias inquit, Vidimus eum despectum, & nouissimum uirorum. Item, Ego sum uermis, & non homo, Hanc humilitatem Christi consideremus, & discamus deprimere superbiam nostram, admirationem nostri, fiduciam nostri, contemtum aliorum, impatientiam, securitatem, cupiditatem uindictæ, & similes affectus, quì oriuntur à superbia, sicut ipse dicit, Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.

Dicit

Dicit autem Christus se maiorem esse, scilicet persona & officio, quia Christus non est tantum Doctor, sicut Ioannes, sed ipse redemtor, sanctificator, uiuificator, cuius fiducia accipimus remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & uitam æternam. Ideo ait Ioannes, Ego baptizo aqua, id est, ministerio, Christus baptizabit Spiritu sancto, id est, dabit remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & uitam æternam.

DE QVINTO.

Lex & Prophetæ usq; ad Ioannem.

LEx & Prophetæ usq; ad Ioannem, id est, politia Moysi & ceremoniæ desinunt in Ioanne, Et hoc dictum tanquam Regula teneatur, confirmans abrogationem politiæ Moysi & ceremoniarum, postea sequitur ministerium spirituale Euangelij, quod Ioannes incoat, arguit peccata, & prædicat remissionem peccatorum propter agnum Dei, &c.

Si quis obijciat, Si lex usq; ad Ioannem, Ergo postea non est prædicanda? Respondeo breuiter ad antecedens, Dictum loquitur de politia Moysi, & non de ministerio spirituali, quod est omnium temporum, usq; ad uitam æternam. Manet enim uox Dei arguens peccata, quæ est æterna lex, & additur uox Euangelij de remissione peccatorum.

Regnum cœlorum uim patitur.

Regnum cœlorum ui inuaditur, & uiolenti rapiunt illud, Id est, non ignaui, non timidi, non cedentes minis, aut terroribus Diaboli. Non enim potest regnum cœlorum obtineri, sine ueris certaminibus, publicis

WBP Opole

blicis & priuatis. Adolescentes dimicent cum suis cupiditatibus, sciant esse opus aliqua contentione ad domandas cupiditates. Senes dimicent cum persecutoribus Euangelij, cum infidelitate, & alijs morsibus diaboli. Hoc docet dictum, uiolenti rapiunt, scilicet, certantes & præliantes aduersus diabolum.

DOMINICA IIII. *ADVENTVS.*

EVANGELIVM, Ioan: I.

HOC est testimoniũ Ioannis, quando miserunt Iudæi ab Ierosolymis Sacerdotes et Leuitas, ut interrogarent eum. Tu quis es? & non negauit, & confessus est, inquiens, Non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum, Quid ergo? Elias es tu? Et dicit, Non sum. Es tu Propheta? Et respondit, Non. Dixerunt ergo ei, Quis es? ut responsum demus ijs, qui miserunt nos. Quid dicis de teipso? Ait: Ego uox clamantis in deserto, Dirigite uiam Domini, sicut dixit Esaias Propheta.

pheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis, & interrogauerunt eum, ac dixerunt ei, Cur ergo baptizas, si tu non es Christus, neque Elias, neque Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens, Ego baptizo aqua, Sed in medio uestrum stat, quem uos nescitis, ipse est, qui post me uenit, qui prior me est, cuius ego non sum dignus, ut soluam corrigiam calciamenti. Hæc in Bethabara

facta

facta sunt trans Iordanem, ubi Ioannes baptizabat.

Loci sex sunt.

Testimonia de Christo.

Primus. Quòd oporteat extare testimonia de Christo, sicut statim initio post natiuitatem testabantur de eo Angeli, Ioseph, Pastores, Simeon, Anna, Magi, Zacharias, Et nunc Ioannes de eo testatur, deinde accesserunt miracula. His testimonijs multi uocati sunt ad Euangelium, & fides piorum confirmata est. Item, hic cernitur quæ fuerit Ecclesia in hoc populo, scilicet exiguus cœtus credentium.

De ministerio non accepto à potestate ordinaria.

Secundus de uocatione, an liceat docere, ceremonias instituere, non uocato ab ordinaria potestate. De hac re hic præcipua quæstio est, & semper magna contentio est ordinariæ potestati cũ Prophetis, quos mittit Deus extra ordinem ad reprehendendam ordinariam potestatem. Ideo hic expostulant sacerdotes cum Ioanne, qui abducebat populum ab ordinario ministerio, tradebat nouum uerbum, recipiebat gentes, instituebat nouam ceremoniam, Hæc fiebant omnia sine autoritate summi sacerdotis. Ioannes respondet de uocatione sua, inquiens se diuinitus missum esse, & allegat uerbum Dei ex Esaia.

Quando discedendum ab ordinaria potestate.

Sic in genere omnes, qui sunt in ministerijs, debent reprehendere impiam doctrinam, siue ordinaria potestas assentiatur, siue non, Iuxta illud, Oportet Deo

Deo magis obedire, quàm hominibus. Docet igitur, cum discedimus ab ordinaria potestate, discedendum esse mandato diuino, scilicet, ne approbemus impiam doctrinam, aut impios cultus.

Confessio Ioannis.

Tertius. Confessio Ioannis est exemplum constantiæ, & perspicuæ confessionis. Non deterretur autoritate Pontificum, & clarè confitetur quæ sit sua uocatio, quod munus, quis sit, & testatur de Christo, quòd sit filius Dei, quòd fuerit ante assumtam naturam, quòd sit agnus Dei, id est, uictima.

Obstinatio sacerdotum.

Quartus. Exemplum, pertinaciæ & cæcitatis sacerdotum, qui discedunt hostili animo, spreto testimonio.

Discrimen baptismi Ioannis & Christi.

Quintus. Quid differat Baptismus Ioannis, à Baptismo Christi. Ceremonia nihil differt, & Ioannes est primus, per quem Ceremonia diuinitus instituta est. Nec effectus differt, requiritur fides, siue Ioannes siue Apostoli baptizent. Et sic fide proderat Baptismus Ioannis, sicut postea prodest Baptismus Apostolorum.

Sed inter personam Ioannis & Christi est discrimen: Ioannes, id est, omnes ministri, baptizant aqua, id est, administrant ceremoniam & uerbum. Christus igne baptizat, id est, dat Spiritum sanctum, qui iudicat & arguit peccatum in nobis, & affert nouam uitam, & lucem.

Concio Ioannis de Christo.

Sextus. Quis sit Christus. Ioannes clarè testatur, hunc Iesum esse filium Dei, & quidem antea fuisse

isse, ante assumptam humanam naturam, affirmat esse redemtorem passurum pro mundo. Ideo inquit, Ecce agnus Dei, qui tollit peccatum mundi, id est, est uictima, à Deo proposita, sola placens Deo, sustinens pœnas pro peccatis mundi, &c. Hic simul interpretatur sacrificia legis, quod fuerint tantum signa huius futuri sacrificij, & non iustificauerint.

DE NATALI CHRISTI.

EVANGELIVM,

Ioan: I.

IN principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum. Hoc erat in principio apud Deum, Omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil, quod factum est. In ipso uita erat, & uita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehenderunt. Erat homo missus à Deo, cui nomen Ioannes, Hic uenit ad testificandum, ut testaretur de luce, ut omnes crederent per

per ipsum. Non erat ille lux, sed missus erat ut testaretur de luce. Erat lux illa uera, quæ illuminat omnem hominem uenientem in mundum. In mundo erat, & mũdus per ipsum factus est, & mundus eum non cognouit. In sua uenit & sui eum nõ receperunt, Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, uidelicet his, qui credunt in nomen ipsius, qui non

ex sanguinibus, neq; ex uoluntate carnis, neq; ex uoluntate uiri, sed ex Deo nati sunt. Et uerbum caro factum est, & habitauit in nobis, & conspeximus gloriam eius, gloriam uelut unigeniti à Patre, plenum gratia & ueritate.

INitium Euangelij Iohannis docet, quis sit Christus, & quam ob caussam uenerit in mundum, Quod sit discrimen Legis et Euangelij, Quæ sint propria Christi beneficia. Hæc apto ordine exponuntur. Ac ut alij Euangelistæ initio describunt natiuitatem ex uirgine, ut testentur Christum esse natum ex semine Dauid, Ita Ioannes describit initio natiuitatem æternam, dicit quæ sit persona Filius Dei, ante assumtionem humanæ naturæ.

De æterna natiuitate filij Dei.

Ideo autem Ioannes de hoc articulo clarius concionari uoluit, ut Hebionis & Cerinthi errorem refutaret, qui docuerant in Christo tantum esse humanam naturam, Sicut nunc quoq; Iudæi de Messia somniant, Hos ut refutaret Ioannes, testatur in Christo duas esse naturas, diuinam & humanam, Ac de diuina sic dicit, In principio erat uerbum, & uerbum erat apud Deum, & Deus erat uerbum.

Immensa bonitas Dei ostensa dato Filio.

Credamus uoci Spiritus sancti de Dei natura, non humanis cogitationibus, & agnoscamus immensam magnitudinem bonitatis diuinæ erga nos, cum intelligimus

gimus admirabili consilio æterni Patris constitutum, ut hic Filius, qui apud ipsum ab æterno fuit ad nos descenderet, ac fieret uictima pro nobis, et rex noster, defensor, adiutor et saluator. Quo pignore potuit Deus magis testari, quod uerè nos curet & diligat, quã dato filio, cui uerè cõmunicauit essentiam suã? Sicut de consilio Patris et ipse Christus inquit, Sic Deus dilexit mundũ, ut Filium suum unigenitum daret, &c.

Hæc cogitare utile est, ut sciamus postulare & uelle Deum, credi hæc de sua uoluntate, quòd propter hunc Filium uerè nos diligat, quòd uelit inuocari fiducia huius Filij, quòd hanc tradiderit normam, quæ ueros cultus à falsis discernit. Quanquam Iudæi & Mahometistæ inuocant conditorem cœli & terræ, tamen, quia non inuocant eum mentione & fiducia Filij, repudiat & abominatur eorum cultus, Sic uult inuocari & coli, ut ipse se patefecit, mentione & fiducia Filij Mediatoris. Hæc in Ecclesia moneri necesse est, & propterea Ioannis concionem hæc docentem meditemur, & sicut inquit Basilius, imprimamus cordibus tanquam sigillum.

Regula agnoscendi & inuocandi Deum.

Quia uerò Diabolus odit Filium Dei, & impulit multa leuia ingenia, ut hanc doctrinam Ioannis deprauarent, præsertim alioqui extra conspectum rationis positam. Ideo piæ mentes diligenter admonendæ sunt, ut ueram, certam & perpetuam catholicæ Ecclesiæ Dei sententiam retineant, & tradant posteris. Sumta est autem narratio ex Genesi 1. ubi

describitur Deus dicens, ita hic Ioannes ait, in principio fuisse uerbum apud Deum.

Quid sit Deus.

Primum ergo discas ex eo loco, quid sit Deus. Quia .n. dicit, est substantia intelligens: Et quia ante omnia est, est æternus, & quia cõdidit omnia, est omnipotens, et est bonus, bona uolens et dans creaturis.

Filius cœternus Patri.

Secundò, quòd hic ait Ioannes, uerbum fuisse in principio discas eum hoc uelle, quod fuerit coæternum Patri, Erat inquit, in principio, quasi diceret, nõ est conditum, sed erat ante conditionem.

Cur uocetur λόγος.

QVare autem uocat Verbum? Hic firmißimis pectoribus retineamus sententiam quòd λόγος significet personam, ut postea textus clarè ostendit. Cur autem uocetur λόγος, alij aliam expositionem tradiderunt. Ioannes sumsit à Moyse, qui ait, Deus dixit. Sed primum recensebo explicationem, postea refutabimus calumniatores, qui hunc locum deprauarunt. Irenæus ait Filium dici λόγον, quia est persona loquens cum patribus. Sicut hic Ioannes inquit, Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Et Ambrosius & Hilarius dicunt, Filium cum patribus locutum esse.

Basilius & alij dicunt, Filium dici λόγον, quia sit imago Patris, genita à Patre sese cogitante. Pater enim intuens sese, gignit cogitationem, quæ uocatur Verbum, quæ cogitatio est imago Patris, in quam imaginem Pater, ut ita dicamus, transfundit suam essentiam.

sentiam. Hæc imago substantialis Patris, est altera persona, & dicitur uerbum. Sequitur in textu.

Et Verbum erat apud Deum.

Hic personæ discernuntur, Pater et Filius, Deinde ut tamen sciamus, Filium non esse creatum ex nihilo, sed uerè natum ex substantia Patris, & esse lumen de lumine, ut inquit Symbolum, Ideo additur, Et Deus erat uerbum. Hic clarè affirmat λόγον esse Deum, ergo & ipse λόγος est persona diuinam essentiam habens. Nam λόγος ponitur subiecti loco, & Deus, tanquam describens quid sit λόγος, ponitur prædicati loco. λόγος est Deus.

Sicut autem Ioannes uocat Filium λόγον, Sic in Epistola ad Ebræos dicitur fulgor gloriæ, & imago substantiæ Patris. Hæc uerba describunt aliquo modo Filium & generationem, Quia enim dicitur imago, est alia persona similis Patri sapientia, iusticia, potentia, & quia est fulgor paternæ essentiæ, significatur communicata essentia. Sequitur autem in Ioanne.

Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est.

Hæc sententia sæpe repetita est in scripturis, ut ad Colossenses & Ebræos, Per quem fecit secula, & in Ioan: Mundus per ipsum factus est. Est autem illustre testimonium, quod λόγος sit omnipotens, & cum Patre conditor rerum.

Sed disertè dicitur, Per Filium omnia condidit, Per Filium

quasi Patre deliberante cum Filio, & statuente, ut cum ait, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Sed de modo non disseramus, tantum testimonia meminerimus, ut sciamus Filium esse omnipotentem, & opitulatorem nobis à Patre donatum, & cum Patre inuocandum.

Cur additur?

Sine eo factum est nihil, quod factum est.

Non dubito quin discernat hic condita à non conditis, qui dicat: Videtis in mundo cœlestia corpora, elementa, plantas, animantia, homines, certas leges cœlestium corporum, uires plantarum, generationes, uidetis & homines præditos esse mente et intelligentia. Hæc omnia agnoscitis esse pulcerrima, optima, ac testari, esse aliquam æternam mentem architectatricem. Sed præter hæc in tam pulcra rerum omnium natura, uidetis in hominibus peccatum & mortem, miramini infinitam confusionem uitæ humanæ, quæ religionum & imperiorum dilacerationes? quantum in singulis hominibus est uiciosarum cupiditatum, erroris & lapsuum? Quàm multi insontes & benè meriti pereunt tragicis casibus?

De quæstione unde sint mors & peccatum,

Hæc mala tanta sunt, ut ea intuentes profani, obliuiscantur pulcritudinem mundi, & incipiant dubitare de caussa mundi. Magis enim mouentur conspectu ingentium malorum, quàm pulcritudinis naturæ.

ræ. Hinc sunt illa Epicurea. Sed sors incerta uagatur, Fertq; refertq; uices, & habent mortalia casum.

Peccatum & mors non condita à Deo.

Discerni igitur apud Ioannem necesse erat opera Dei, ab illa mole miseriarum non condita. Ideo Ioannes inquit, ea tantum per Filium facta esse, quæ sunt condita, id est, ipsam pulcerrimam & optimam rerum naturam, alia uerò quæ irrepserunt, scilicet, peccatum et mortem non condita, non esse orta à Deo uolente & efficiente, sicut scriptum est, Non Deus uolens impietatem tu es. Et Ose. 13. Perditio tua est Israël, tantum in me auxilium tuum.

Ergo Ioannes, ut discernat & excludat ab operibus Dei mala, sic locutus est, Sine ipso nihil factum est, quod factum est, quasi dicat, tantum opera, quæ condita sunt, sunt per eum condita, non alia, quæ postea accesserunt non condita, scilicet peccatum & mors, quæ sunt destructio naturæ & operum Dei.

Præterea cum ait, Omnia per ipsum facta sunt, non tantum intelligatur fabricatio mundi, sed etiam comprehendantur omnes mirandæ liberationes in Ecclesia factæ ab initio, Quia hic λόγος est Emanuel, id est, Deus nobiscum agens, nos defendens contra Diabolum. Ioannes inquit: Filius qui est in sinu Patris, ipse reuelauit nobis. Hic Filius locutus est cum Patribus, dedit promissiones, seruauit Nohe, Abraham, Ioseph, Moysen ereptum ex undis, affuit populo cum educerentur ex Ægypto, sicut inquit Paulus de comitante Petra, gubernauit manus Iosuæ,

Perpetua præsentia Filij DEI in Ecclesia.

Gedeonis, Dauidis contra Diabolum. Quare sicut eum agnoscebant uenturum, ita nos agnoscamus exhibitum, & inuocemus ut nos adiuuet, sicut de eo Ioannes concionatur: Filius Dei uenit, ut destruat opera Diaboli. Ergo inuocemus Filium Dei, ut defendat Ecclesiam suam contra Turcas & alios hostes. Item, ut regat mentes nostras, & sanctificet Spiritu sancto, sicut inquit, Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

Sequitur.

In ipso uita erat.

Id est, hic λόγος est uiuificator, non tantum dans naturalem uitam & motum rebus, sed etiam peculiariter Ecclesiam liberans ab æterna morte, Iterum enim significat se loqui de liberationibus in Ecclesia. Iacob aduersus fratrem seruatus est. Moyses ex undis ereptus. Ita seruati & uiuificati sunt & cæteri Sancti per filium Dei, per quem & ab æterna morte liberati sunt.

Et uita erat lux hominum.

Christus semper illuminator Ecclesiæ.

Hic ipse uiuificator & semper ab initio est illuminator Ecclesiæ, sicut antea dictum est, Filius qui est in sinu Patris, ipse reuelauit nobis, & postea cum apparuit, illuminat Ecclesiam. Idem enim uerbum & patribus & nobis impertit, & creat hoc uerbo lucem nouam, id est, firmam, illustrem & uiuificam noticiam Dei in mentibus credentium, sicut alibi dicitur.

Hæc est uita æterna, ut agnoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum Christum.

Hæc est simplex de luce sententia, Alij hic de luce corporali disputant. Quanquam autem uerum est, & corporalem lucem per eum conditam esse, ut cætera corpora, tamen hic loqui Ioannem præcipuè de alia luce, quæ est noticia uoluntatis Dei, & incoatio uitæ æternæ, sequentia uerba indicant, cum dicitur, Et tenebræ lucem non comprehenderunt. Hîc enim discernitur Ecclesia uera ab impijs non agnoscentibus lucem, sclicet Filium Dei, nec habentibus ueram Dei noticiam. Est autem diligenter obseruandum, quod totum genus humanum, uocat tenebras, præter illos solos, in quibus est noticia Filij Dei, seu in quibus suam lucem per Euangelium accendit. **Tenebræ.**

Habes igitur primam doctrinam in hoc textu, de Filio Dei, quod sit persona genita ab æterno patre de eius substantia, & coæterna, & quod non sit ociosa, Sed quod per eam res bonæ omnes conditæ sint, & factæ mirandæ liberationes in Ecclesia, & quod sit uiuificator, liberator & illuminator Ecclesiæ. Sequens concio describit assumtionem humanæ naturæ.

Collatio Baptistæ & Christi.

INserit autem prius testimonium Ioannis Baptistæ, & disertè dicit, Ioannem Baptistam longè infra Meßiam esse, uidelicet ministerium doctrinæ, nec esse uiuificatorem aut illuminatorem, quæ propriè competunt Filio Dei, efficaci in mentibus nostris, & danti Spiritum sanctum. Postea sequitur repetitio de Filio

Dei, IN *mundo erat, & mundus per ipsum factus est. Hìc cum loquatur de Christo qui apparuit, manifestè ostendit in eo naturam diuinam esse, quia dicit* MVNDVS PER EVM FACTVS EST. *Non erat autem mundus conditus per humanam naturam.*

Christi diuina natura.

Quod dicit, ILLVMINAT OMNEM HOMINEM, *significat primum per ipsum reuelari uerbum, quod ad omnes pertinet. Seu illuminat omnem hominem, scilicet qui illuminatur, sicut infra inquit, De plenitudine eius omnes accepimus.*

Quomodo fiant filij Dei.

Est etiam inserta sententia de applicatione, Quomodo consequamur uitam & lucem, scilicet fide.

Dedit eis potestatem filios Dei fieri, credentibus in nomen eius.

Et addit regenerationem nostram, non esse carnalem, sicut Anabaptistæ imaginantur, ex sanctis nasci filios sine peccato, Quia dicit,

Non ex sanguinibus.

Id est, fiunt filij non carnali generatione.

Neque ex uoluntate carnis, aut uoluntate uiri.

Id est, non adoptione humana uel legali, nec humano studio seu imitatione. Respicit autem Ioannes ad populum legis, significans populum Dei esse non tantum semen Abrahæ, neq; legales filios, hoc est, circumcisos

cumcisos ex gentibus, id est, insertos politiæ Mosaicæ, fore populum, Sed simpliciter Ecclesiam Dei esse, omnes renatos fide filij Dei, siue Iudæi fuerint, siue gentes, sine discrimine locorum aut gentium, &c.

Et uerbum caro factum est.

CVM ait, Verbum caro factum est, testatur Filium Dei assumsisse humanam naturam, & Christum esse unam personam, in qua sunt duæ naturæ, λόγος lucens in tota natura, & natura humana assumta, id est, corpus & anima.

Vsus est autem Ioannes appellatione carnis, ut significaret infirmitatem naturæ assumtæ, quæ fuit sine peccato, sed tamen subiecta morti, sicut dicitur ad Philippenses, Habitu inuentus ut homo humiliauit seipsum, factus obediens usq; ad mortem. Quanquam igitur hic caro significat totum hominem, tamen Emphasis obseruanda est, dici carnem ad significandam mortalitatem.

Emphasis in uocabulo Caro.

Postea allegat Ioãnes testimonia, Vidimus gloriam eius, id est, miranda opera, resuscitationem mortuorum, & alia, fuit igitur dator uitæ & omnipotens.

IAm cognita hac narratione Ioannis, facilis est refutatio Samosateni & Arij. Samosatenus uafrè illusit textum, negans Verbo significari personam, sed propositum Dei, uolentis condere humanum genus, & saluare per quendam excellentem hominem. Ad hanc imaginationem detorsit Iohannis narrationem.

Sed

VSP Opole

Samosateni refutatio.

Sed firma est refutatio, Cum dicitur, Verbum caro factum est, id non potest intelligi de uerbo uocali, uel de cogitatione quæ est ipse æternus Pater, sed necesse est de aliqua persona intelligi. Item de Christo dicitur, Mundus per ipsum factus est. Iam si Christus tantum esset homo, non maneret in eo natura diuina, sic dici non posset, Ergo λόγος significat manentem personam.

Arij refutatio.

Nec difficilis est Arij refutatio, si consideremus quæ fuerit principalis quæstio. Arius concedebat Verbum esse personam, sed negabat esse de substantia æterni Patris, ac contendebat ex nihilo creatum esse. Hic necesse fuit refragari. Et refutatur hoc testimonio. Ioannes ait, Deus erat Verbum, loquitur autem hic de Deo propriè, non metaphoricè. Item ad Ebræos dicitur, fulgor & imago substantiæ Patris, Ergo uerè est de substantia æterni Patris. Item toties uocatur unigenitus filius Dei, ut discernatur à filijs adoptione. Cum igitur sit propriè filius natiuitate, necesse est eum esse de substantia Patris.

POstea sequuntur descriptiones donorum, & officij. PLENVS gratiæ, id est, Patri placens præ omnibus, sicut dicit: Hic est Filius meus dilectus. Et Eph. 1. Propter hunc dilectum dilexit nos. PLENVS ueritatis, id est, ueræ noticiæ Dei, & ueræ iusticiæ.

ANTE me est, seu anterior me, id est, præstantior uocatione, & gloria seu potentia. QVIA prior me

or me erat, id est, coæternus Patri & ab æterno ordinatus ad hoc officium, & primus propter quem Deus dilexit Ecclesiam, & qui fuit efficax in Ecclesia inde usq; ab initio, id est, fuit adiutor & liberator omnium electorum.

Ex plenitudine eius omnes accepimus.

A Christo & propter Christum accipitur gratia.

Omnes Patres, Prophetæ & Sancti, hoc reuelante accepimus Euangelium, hoc donante accepimus remissionem peccatorum, Hoc monente et gubernante accepimus lucem, seu noticiam spiritualem, nouam iusticiam & uitam æternam. Sic ipse enarrat. GRATIAM PRO GRATIA, id est, acceptationem nostri, propterea quod ipse est acceptus seu dilectus. Ideo autem sic dicit, ut testetur nos non propter nostram dignitatem placere, sed propter filium dilectum.

SEquitur discrimen Moysi & Messiæ, Legis & Euangelij. LEX PER MOYSEN data est, quasi diceret, magnum discrimen est inter officia Moysi & Messiæ. Moyses fuit minister Legis, quæ non tollit peccatum & mortem. Sed Christus affert gratiam & ueritatem. GRATIAM, id est, remissionem peccatorum & reconciliationem. VERITATEM, id est, ueram agnitionem Dei, ueram iusticiam, sublato peccato & morte efficit populum Dei iustum & perpetuum.

Gratia. Veritas.

Deum nemo uidit.

Lex

Lex naturaliter nota est, & nascitur nobiscum quædam legis noticia de Deo, quòd sit Deus, quòd puniat sontes. Sed uoluntas illa, de remissione peccatorum gratuita, de admirabili saluatione hominis per Filium, nequaquam naturaliter nota est hominibus, sed tantum reuelata per Filium. Ideo dicit, Deum nemo uidit unquam. Vera est enarratio, siue de substantia, siue de uoluntate arcana saluandi homines, intelligas. Sed hic loquitur de agnitione uoluntatis arcanæ, & mirabili consilio saluandi homines. Id certè nemo hominum uidit aut deprehendit, sed solus Filius, qui est in sinu Patris, enarrauit, quòd uidelicet hoc admirabili modo, quem stupet mundus, uoluerit saluare homines, Filio misso, ut fieret uictima, ut resuscitatus regnaret, redderet uitam æternam, sanctificaret sibi perpetuam Ecclesiam. Quæ omnia sunt plena admirabilium operum, quæ ratio attonita non potest comprehendere. Ideo maxima pars hominum negligit propter incredulitatem, postea fascinata à Diabolo odit & persequitur, sicut supra significatum est, Tenebræ non comprehenderunt lucem.

Videre Deum.

Filius enarrauit.

Sed nos audiamus hunc Filium, sicut mandatum est, HVNC audite, Et discamus discernere eius uerbum à lege, et à sapientia mundi, et accipiamus ex eius plenitudine gratiam et ueritatem, et sciamus certò hæc contingere credentibus, & excitemus fidem intuentes in tot promissiones, & mandata, quæ præcipiunt,

cipiunt, ut credamus in Filium, sicut postea ait Baptista, Omnis qui credit in Filium, habet uitam æternam.

HISTORIA NATIVITATIS CHRISTI.

Lucæ 2.

FActum est autem in diebus illis, exijt decretum ā Cæsare Augusto, ut describe-

describeretur uniuersus orbis. Hæc descriptio prima, facta est præside Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes, ut describerentur singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph ā Galilæa, de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethlehem, eō quod esset de domo & familia Dauid, ut describeretur cum Maria desponsata sibi uxore, quę erat prægnans.

Factum est autem, cum essent ibi, impleti sunt dies, ut pareret. Et peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinauit eum in præsepio, quia non erat eis locus in diuersorio.

Et pastores erant in regione eadem uigilantes, & custodientes uigilias noctis iuxta gregem suum. Et ecce Angelus Domini stetit iuxta illos, & claritas Domini circumfulsit illos, & timuerunt timore magno. Et dixit illis Angelus, Nolite timere, Ecce enim euangelizo uobis gaudium magnum, quod erit omni populo, quia natus est uobis hodie

hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uobis signum, Inuenietis infantem pannis inuolutum, positum in præsepi. Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis, laudantium Deum, & dicentium, Gloria in altissimis Deo, & in terra pax, hominibus beneplacitum.

ET factum est, ut discesserunt ab eis Angeli in cœlum, & homines pastores loquebantur ad inuicem, Transeamus usque Bethlehem, & uideamus hoc uerbum, quod factum est, quod Dominus notum fecit nobis. Et uenerunt festinantes, & inuenerunt Mariam & Ioseph, & infantem positum in præsepi. Videntes autem notum fecerunt uerbum, quod dictum erat illis de puero hoc, Et omnes qui audierunt mirati sunt de his quæ dicta erant à pastoribus ad ipsos. Maria autem conseruabat omnia uerba hæc, conferens in corde suo. Et reuersi sunt pastores, glorificantes & laudantes Deum in omnibus

bus,quæ audierant et uiderant,ſicut dictum eſt ad illos.

Loci huius hiſtoriæ præcipui.

I. Quare fiat mẽtio Auguſti,cenſus, et oppidi.
II. Quòd promiſſiones mirabiliter impleantur.
III. Officia politica ſanctorum.
IIII. Curat Deus præſepe,id eſt, aliquod hoſpitium Eccleſiæ ſuæ.
V. Teſtes de nato Chriſto,Angeli & Paſtores.
VI. Doctrina in concione & cantico Angelorũ.
VII. Cur Angelus ſic confirmet dictum ſuum. Scitote me uerum dixiſſe, quia uidebitis infantem in præſepi iacentem.
VIII. Mariæ ſtudium, hæc teſtimonia memoriæ mandantis & repetentis.

DE PRIMO.

Prædictiones Prophe ticæ de naſcituro Chriſto.

IDeo fit mentio Auguſti,cenſus & oppidi, quia prædictum eſt, in quarta Monarchia uenturum eſſe Meſſiam,& quidem ſtante politia Moyſi, ſed tamen ſubiecta ſeruituti. Auguſtus ſignificat quartam Monarchiam,Cenſus ſeruitutem,oppidi & familiæ deſcriptio teſtatur adhuc ſtare politiã. Admonetur ergo Lector,ut cum euentum Prophetis congruere uidet,firmius credat: & refutantur Iudæi, qui poſt quartam Monarchiam, & poſt euerſam politiam Moyſi,

Moyſi, adhuc expectant Meſſiam, cum oportuerit eum ſtante hac politia, imò ſtante ſecundo Templo naſci,ſicut Aggæus,Daniel, & Micheas teſtantur.

DE SECVNDO.

SEd mirabiliter implentur promiſſiones. Promiſerat Deus ſe daturum Iacob terram Chanaan, ſed prius inducit eum in Ægyptum, & ibi longo tempore poſteritatem duriter affligit, promiſerat ſe defenſurum eſſe Templum,ſed tamen ſinit deleri à Nabuchodonoſor,& poſtea reſtituit, Ita plerunq; promiſſiones,aliter quàm nos imaginamur, exhibentur, Id ſcire nos oportet,ne uerbum Dei abijciamus,cum occurrunt impedimenta, quæ uidentur pugnare cum promiſſione: ut Eccleſiæ promiſſa eſt uita, tamen prius mergimur in mortem.

Promiſſio aliter impleta quàm Iudæi putabant.

Eſt igitur & hoc loco aliter impleta promiſſio, quàm homines imaginabantur. Sciebant omnes fore ut naſceretur Chriſtus in Bethlehem, ſed cogitabant futurum eſſe aliquem opulentum ciuem ibi habitantem,munitum nobilium coniunctione,in cuius familia naſceretur Chriſtus,ut haberet ſocios poſtea rerum gerendarum. Quanquam autem Ioſeph eſt ciuis ac nobilis,tamen ibi non habitat nec ſtipatus eſt præſidijs amicorum,tantum in diuerſorio exigui temporis hoſpitium habebat.

DE TERTIO.

Seruitus populi nato Christo.

VEnturus erat Messias, cum populus esset in seruitute, & tamen haberet αὐτονομίαν. Maximè uerò declarant seruitutem hæ duæ personæ natæ regio genere, nondum enim memoria generis extincta erat, sed ante annos centum & sexaginta adhuc tenuit gubernationem Iannes, qui ab Antiocho interfectus est, quem Iannem recenset Lucas tritauum Ioseph. Quare senes uiderant multos, quibus ille Iannes notus fuit, Vt enim certa esset familiæ series, Deus non uoluit penitus extinctam esse memoriam successionis in ea familia.

Politica officia sanctorum.

Duo autem discantur ex hoc exemplo, Quod sancti debeant politica officia obire pro uocatione, & ea ad utilitatem Ecclesiæ dirigere ut hic fit, obtemperant sancti, & hoc iter seruit maximè utilitati Ecclesiæ, imò Deus ita gubernat edicti tempus, ut seruiat Augustus quanquam ignarus huic magno operi. His exemplis admoniti, sciamus Deo curæ esse, ne imperia penitus obruant Ecclesiam.

DE QVARTO.

Semper aliquod præsepe Christi in mundo.

VT igitur hoc loco Deus curat præsepe nascenti Christo, sic semper aliquod hospitium præbuit & præbet Ecclesiæ, aliàs magis, aliàs minus tranquillum. Ac de utraq; re commonefacit nos hoc spectaculum, de miserijs Ecclesiæ, & de hospitio. Est ærumnosa, sed tamen Deus aliquod hospitium curat, ut nauim seruabat Paulo, tantisper donec in portum ueniret, Act: 27.

DE

DE QVINTO.

ETsi ea quæ in Ecclesia geruntur, non sic incurrunt in oculos, ut res gestæ Alexandri, aut C. Cæsaris, quæ conspiciuntur omnium gentium oculis: tamen Deus uult Ecclesiam certam esse, & exhibet multa testimonia. Ideo & hic de Natiuitate diligenter recitantur testimonia, quæ nobis inculcare debemus, ut fidem in nobis confirment. Initio testes sunt de tempore & loco, Daniel & Micheas. Cum igitur euentus respondeat, certum est uaticinia illa fuisse diuina. Iam uerò à conceptu sunt testes, Maria, Ioseph, Zacharias, Elisabeth, & horum familiæ. A natiuitate, Pastores, Magi, Simeon, Anna, & multi alij.

Testimonia addita nato Christo.

EST igitur Ecclesia uisibilis cœtus, habens certa testimonia hominum uerè asseuerantium ea, quæ Deus ostendit, etiamsi hæc testimonia propter personas imbecilles contemnuntur, Vt pastorum narratio à multis spreta fuit, & tamen aliqui etiam in functione ordinaria Sacerdotum fuerunt testes, ut Zacharias & Simeon.

Nos uerò diligenter ea nobis proponamus, quia fides exemplo membrorum Ecclesiæ confirmatur de omnibus articulis. Simul etiam consideremus dissimilitudinem Ecclesiæ & imperiorum, & sciamus Ecclesiam non esse sine testimonijs, etiamsi res, quæ in ea geruntur non sic incurrunt in oculos omnium, ut exercitus magni imperiorum, qui peruagantur orbem terrarum.

DE SEXTO.

Applicatio historiæ ad nos in dicto Angeli.

DOctrina præcipuè obseruanda est, & applicatio Historiæ in hoc dicto, ECCE annuncio uobis gaudium magnum, Natus est uobis hodie Saluator Christus. Nulla creatura potest huius admirandi consilij causſas & magnitudinem satis expendere, imò humana ratio hæc audiens, Dei filium missum esse, ut supplicio afficeretur, obstupescit & refugit. Ideo inquit Propheta, Quis credet sermoni nostro? Sed nos hæc cogitemus, cum certum sit genus humanum à Deo conditum esse, ut ipse agnoscatur, certum etiam esse, quòd Deus in aliquo uerbo sese patefecerit. Prima est autem hæc Prophetica doctrina & unica, quæ omnibus ætatibus testimonia habuit, quòd sit à Deo tradita, in hac doctrina reuelatum est hoc consilium de Filio Dei. Ideo assentiamur tot testimonijs diuinis, resurrectioni mortuorum, & alijs, nec repugnemus uoci Dei, etiamsi non perspicimus res tantas.

Causſæ quare oportuerit filium Dei uenire in carnem.

Deinde de causſis cogitemus, non frustra tanta res Dei consilio decreta & constituta est, sed necesse est magnas esse causſas. Sunt autem tres nobis præcipuè cogitandæ. Magnitudo iræ Dei aduersus peccatum: Et immensa misericordia Dei: Et amor Filij erga nos.

Conditus erat homo ad excellentem dignitatem, ut esset imago Dei, id est, ut in homine semper luceret noticia Dei, & Deus in eo habitaret, & eo delectaretur,

ctaretur, ibi acquiesceret ac Sabbatum ageret, & homines laudarent Deum: Hanc tantam dignitatem amisit Adam suo lapsu, & iam æternam iram meruerat, sicut Diaboli: nec ulla creatura placare Deum poterat, nec ullum erat par precium pro peccato. Ideo filius Dei interceſsit illi magnæ et horrendæ iræ, & factum est decretum hoc admirandum de redemtione per filium Dei.

Ira Dei aduersus peccatum humani generis.

Si intelligeremus aliquo modo iram Dei, possemus melius cogitare hoc consilium magnam causſam habuisse, Sed humana cœcitas nec uidet, nec curat ista, uerum Ecclesia se ad harum rerum cogitationem accendere & excitare debet. Angelos arbitror magnitudinem peccati & iræ Dei magis ex hoc consilio æstimare, quàm ex pœnis æternis Diaboli. Ac necesse est pium pectus omnino cohorrescere cogitatione harum rerum. Impij hæc non curant, quia non uident quàm tetra res sit peccatum.

Nos uerò cogitemus, quàm horrenda mala sint contemtus Dei, Epicurei furores, dubitationes de Deo, Idolatriæ & multiplex confusio & contumacia aduersus Deum. Hæc illam magnam iram in mente Dei iusta excitarunt, quam placare non potuit ulla creatura, & propter quam deprecator factus est filius. Hæc prima causſa est.

II. Misericordia Patris.

SECVNDA est immensa misericordia æterni Patris: condiderat opus quo uoluit delectari, nec uoluit illud in uniuersum perire, nec potuit auersari

Filium deprecantem, ideo decretum de Filio mittendo factum est. Et quidem sciendum est, gratiam exuberare supra peccatum, ut inquit Paulus, Est ingens ira, sed placatur per hunc deprecatorem.

III. Amor filij erga nos.

TERTIA caussa est ipsius Filij amor erga nos, quem necesse est uerum & immensum esse, cum & deprecator fuerit, & postea subierit pœnam pro nobis, & perpetuò sit propiciator.

Hæc omnia pluris faceremus, si iram Dei & pœnarum magnitudinem cogitare possemus. Angeli clamant se annunciare magnum gaudium, quia ipsi intelligunt quanta res sit ira Dei & pœnæ æternæ, ideo sciunt hoc beneficium uerè magnam læticiam saluandis parituram esse. Sed mundus his rebus parum afficitur, habet quisq; sua negocia, quæ uoluptates aut dolores afferunt, hanc præcipuam rem, Dei reconciliationem & uitam æternam pauci curant, Sed hi qui curant & norunt peccatum, his est magna consolatio Filij agnitio. Hi de applicatione huius beneficij teneant doctrinam de fide, quæ hîc in particula VOBIS significatur, Vobis annuncio gaudium, uobis natus est, id est, unusquisq; statuat pro sese filium Dei uictimam esse factum, sibi reconciliatum esse Patrem, sibi redditam esse uitam æternam.

DE CANTICO Angelorum.

SIcut Prophetæ de regno Meßiæ loquentes, plerunq; de consummatione loquuntur, uidelicet de illo ipso futuro statu, in quo resuscitati fruemur æterna

na gloria cum Christo, ita si hîc Angelorum hymnum ad eum statum referas, quem certè complectuntur Angeli, facilima erit declaratio.

Descriptio æterni regni Christi. I.

Et Hymnus est descriptio illius æterni regni, quasi dicant, Meßias afferet uobis deinceps non imperium mundi sicut putatis, sed aliud quoddam regnum, quod erit tale: Deus coram agnoscetur, & tunc æterna & uera laude sine ullis dubitationibus celebrabitur, intelligemus quomodo sit conditus homo, intelligemus iram Dei aduersus peccatum, & prædicabimus misericordiam, conspiciemus filium Dei, & qualis sit illa miranda societas diuinæ & humanæ naturæ uidebimus, cernemus quomodo semper affuerit Ecclesiæ, & quomodo factæ sint mirandæ liberationes, intercessio post lapsum, liberatio in diluuio, in mari rubro, & deinceps omnibus temporibus, Laudabimus igitur potentiam, sapientiam, iusticiam, bonitatem, & misericordiam Dei.

Aeterna gloria & celebratio Dei.

II. Pax æterna.

ERIT & in terra PAX quia Diaboli & impij omnes erunt in supplicijs æternis, & mors erit abolita. Ecclesia ardebit amore Dei, & erit dulcissimè consociata beneuolentia & studijs doctrinæ, nihil odiorum, dissidiorum, tumultuum, & factionum erit.

III. Lætitia æterna.

Nec erit tantum pax, sed etiam LÆTICIA hominibus, quia ipsis hominibus benè erit, & suauiter fruentur conspectu Dei & Christi, agnitione tan-

tarum rerum & mutua consuetudine. Si illum statum inspicias, quem certè complectuntur Angeli, facilè potest intelligi canticum.

Lætitia æterni regni.

CONFER autem ad hunc statum regna mundi, Primùm debebant Dei gloriam illustrare, sed ferè semper defenderunt & defendent idola, & manifestus est contemtus Dei in maxima parte regum, ut Alexandro, Antiocho, Cæsare, Caligula, &c. Nec in terra faciunt pacem quia subinde noua bella, noui tumultus, nouæ confusiones omnibus ætatibus oriuntur, adeo ut non sine caussa dicat Plato, pacem inane nomen esse, quod cur dicatur, gubernatores facilè intelligunt, qui sciunt nihil esse ocij & quietis. Deinde semper manent in mundo inter principes & in populo, odia, iniuriæ, & perpetuæ discordiæ.

Postremò nec lætitia est ulla diuturna in hac uita, quæ obnoxia est infinitis calamitatibus, & morti, & accedunt pœnæ æternæ. Hæc antithesis declarat hymnum Angelorum.

Effectus regni Christi in hac uita.

Quanquam autem commodissima & maximè illustris est hæc interpretatio de consummatione regni Christi, tamen quia id regnum in hac uita incoatur, etiam ad Ecclesiam ante resurrectionem accommodemus hunc hymnum. Eadem gloria Deo tribuenda est in hac uita, etsi nondum cernitur oculis corporalibus. Eadem pax & lætitia erunt in animis, sed interim incurrunt multa impedimenta, Magnæ ærumnæ foris faciunt, ne conspiciantur in animis illa incoata

ta bona. Deniq; hoc futurum regnum, quod hîc incoatur, adhuc uelatum est.

Idem significant hæ quæstiones, Quid differt aduentus Christi? Quæ sunt beneficia Euangelij? Quale regnum est Ecclesiæ? Hæc affert Christus, seu hæc beneficia distribuit Euangelium, facit ut gloriam Deo tribuamus, ut sit pax in terra, & ut homines uerè lætentur, seu habeant uera & non peritura gaudia.

DE GLORIA.

Quid gloria, & quomodo tribuatur Deo.

TRibuere gloriam, est tribuere potentiam, sapientiam, iusticiam, bonitatem et misericordiam: ut Epicurus non tribuit Deo gloriam, quia fingit nihil esse Deum, aut Deum ociosum esse. Nec Saul tribuit Deo gloriam, etsi .n. iudicat esse Deum, & sentit eum irasci peccatis: tamen non statuit sibi ignosci, fugit Deum, & horribiliter ei irascitur. Ergo nec ratio, nec lex sine Euangelio tribuit gloriam Deo.

Vt igitur uerè tribuatur Deo gloria, necesse fuit per Christum afferri ex sinu Patris Euangelium, quo audito, tribuimus Deo misericordiam, quòd uerè nos recipiat, uerè remittat nobis peccata, curet nos, & uelit nobis reddere uitam æternam. Hîc igitur agnoscimus Deum non esse ociosum, sed iram sentimus in pœnitentia & pœnis, & misericordiam cernimus in remissione peccatorum, quam ut credimus, simul statuimus uerè nos respici, exaudiri, curari, iuuari, defendi ab eo.

ITA

ITA gloria tribuitur Deo prorsus eadem, quæ tribuetur in uita æterna sed tunc erunt omnia illustriora. Nunc impediunt ærumnæ foris, ne gloria conspiciatur. Verè pius circundatus à Turcis, etsi uidet magnam esse potentiam Turcicam, & species talis offertur oculis, quasi Deus nihil curet nos, tamen retinet hanc sententiam: Christus pro nobis crucifixus & resuscitatus uerè est filius Dei, & saluator noster, propter hunc Deus te recepit, te curat, & in æternum seruabit.

Ac nunc quidem Ecclesia dispersa est, & subiecta cruci, iusto iudicio Dei, sed tamen aliqua membra seruabit Deus in hac uita, etiamsi aliqua interfici sinit. Sic pius tribuit gloriam Deo, quod assit, recipiat, curet, sit seruaturus, etiamsi externæ ærumnæ impediunt, quo minus adhuc illa cernantur, & conspicietur gloria suo tempore.

Et in terra pax.

Pax Ecclesiæ.

PAX in Ecclesia præsenti talis est: inter Deum & Ecclesiam pax est, quia Deus iam placatus per Christum, non irascitur nobis, & nos non fugimus eum. Est item pax aduersus hostes eatenus, quòd custodem certum habemus contra Diabolum, & eius organa, & scimus non posse sæuire hostem pro sua crudelitate, sed reprimi eum à Christo, nec plus nocere, nisi quantum ei permittitur, sicut inquit Christus, Capilli capitis uestri numerati sunt, &c. Cum autem

autem adhuc maneat mors corporis, maneant & cæteræ calamitates communes generis humani, & diabolus non desinat oppugnare Ecclesiam, nondum pax consummata est. Arcentur hostes, etiamsi nondum sunt prorsus oppressi. Sed erit integra pax, cum Ecclesia post resurrectionem ornabitur sua gloria.

LÆTICIA. Omnes homines quærunt aliquid ultimum in quo acquiescant, & quo uerè lætentur: Sicut auaro summum bonum est, quo uerè lætatur, ingens accessio pecuniæ, & uerè dolet ingenti iactura. Ita Scipioni summum bonum est gloriosa uictoria, hac maximè lætatur, & contra maximè doleret, si uinceretur. Hæc exempla monstrant, qualis sit hic affectus, quærens aliquid ultimum, quo lætetur animus.

Vera lætitia piorum.

Sed supra communes hominum affectus, est in Ecclesia, ut in Ieremia, in Paulo, peculiaris affectus, acquiescere in Deo, seu lætari agnito Deo, quem sciunt iam se habere propicium & custodem, quare ei uolentes & læti obtemperant, & hac lætitia superant metum & mœrorem, quem afferunt pericula corporis, famæ aut rerum, ut cum Laurentius iacet in craticula, tamen retinet magnitudinem animi acquiescentis in Deo, quæ non potest existere, nisi animus lætetur & delectetur Deo. Sic Dauid inquit, Pater & mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me. Item, Dedisti læticiam in corde meo, à fructu frumenti multiplicati sunt. Porrò sine Christi agnitione non potest animus lætari in Deo, quia adhuc

Lætitia ex fide Christi.

huc fugit iratum. Item, non scit placere Deo obedientiam, in tanta nostra infirmitate. Sed illas priores partes hymni comitatur Lætitia. GLORIA, significat ueram noticiam Dei in Euangelio patefactam. PAX, significat pacem cum Deo, & custodiri à Deo, Ex his oritur lætitia & uoluntaria obedientia. Sed hæc lætitia in hac uita sæpe interturbatur magnis terroribus & doloribus, ex quibus tamen eluctatur, sed post hanc uitam erit integra.

Cultus Primi præcepti.

VT autem intelligas hymnum concionari de summis bonis & de uita æterna, intuearis Primum præceptum, prorsus enim complectitur Hymnus præcipua opera & summos cultus primi præcepti, scilicet ueram agnitionem Dei, pacem cum Deo, id est, credere Deum esse reconciliatum propter Filium, Et lætitiam, id est, ueram dilectionem Dei. Hæc cum erunt consummata, erunt ipsa uita æterna.

Est ergo hymnus descriptio beneficiorum Christi, seu summa Euangelij, seu descriptio regni æterni Ecclesiæ, quod tamen in hac uita incoatur.

Præterea ut Angeli sunt præcentores, ita sciant omnes Pastores se hunc Hymnum debere Ecclesiæ præcinere, id est, tradere ueram doctrinã, qua agnoscatur Deus, annunciare pacem conscientiæ, propter filium Dei, & esse autores pacis & concordiæ in Ecclesia, retinere etiam lætitiam conscientiarum, id est, cauere ne saucientur conscientiæ uel perturbentur, qua re impeditur inuocatio. Impij doctores omnia membra

membra conturbant. Primum, quia falsa doctrina lædit gloriam Dei. Deinde, turbat concordiam Ecclesiæ. Tertio, sauciat mentes, ne rectè inuocent Deum. Iulius turbat in secundo gradu, contendens de re non necessaria, de tempore Paschatis. Dauid quanquam erat bonus doctor, ac retinuerat concordiam, tamen contristat bonos suo scandalo, rapta alterius coniuge. Sint ergo intenti Doctores in hos tres gradus, ut uerè præcinant hymnum Angelicum populo, id est, ut uera doceant, pacem pijs conscientijs annuncient, tueantur concordiam, & caueant scandala, ne quoquo modo sauciatis mentibus impediant inuocationem Dei.

DE SEPTIMO.

Quid hic uocetur signum.

SIgna plerunq; uocantur opera inusitata à Deo facta, ut testentur aliquid nunciari diuinitus, ut resuscitatio Lazari erat opus à Deo factum, ut testaretur Christum uerè à Deo missum esse. An hoc loco etiam sic intelligit signum, cum ait, inuenietis infantem in præsepi? Aliàs aliter signa intelliguntur. Hic simplicissimum est dicere, quod signum uocet, non miraculum quod de narratione testificetur, sed rem qua uelit agnosci hunc infantem, & discerni à cæteris, quasi dicat, Hic infans est Messias, quem inuenietis positum in præsepi, in fasciolis, Ita discernitur infans à cæteris omnibus, quia Deus certò monstrari Christum uoluit, uoluit sciri quis esset, ubi esset, quæ

mater

mater esset, Vult enim Deus extare certa testimonia tantæ rei in Ecclesia.

Cæterum ipse conspectus Angelorum erat signum, id est, miraculum testificans de narratione, Difficile erat credere hunc esse Messiam, natum ex paupercula muliere, ut igitur hoc crederetur, Pastores confirmantur re inusitata, conspectu Angelorum, sed ut agnoscant & discernant infantem à cæteris, adduntur circumstantiæ.

Fasciæ. Cæterum hìc allegoria consideretur, Quòd iubet infantem quærere in præsepi inuolutum fascijs, significat Messiam quærendum esse in dictis Prophetarum, in ipso populo legis, suntq; dicta Prophetarum fasciæ, quibus euolutis aspicitur & agnoscitur filius Dei. Cur credis filium Dei induisse humanam naturam? Quia credis solum hoc uerbum quod extat in Ecclesia, esse à Deo traditum, & in hoc uerbo Deus promisit se talem Messiam missurum esse, Hæc confirmatio, hoc testimonium toto pectore tenendum est, quod Deus clarissimis testimonijs ostendit se tradidisse hoc uerbum Prophetis, Christo & Apostolis, quod sonant, Et in hoc uerbo affirmatur, talem esse Messiam, ideo assentiris.

Testimonia patrum & Prophetarum de Christo. Omnia igitur miracula à principio, omnia dicta Prophetarum, sunt signa & testimonia de hoc Messia, Hæ sunt illæ fasciæ, quibus inuolutus est, has uult nos considerare Deus, dedit testimonium uerbo Moysi, & deinde aliorum Prophetarum, qui omnes eandem promis-

promißionem repetiuerunt. Esaias inquit, Paruulus natus est nobis, &c. Deus pater uitæ æternæ. Micheas inquit, Egressus eius ante initium mundi. Ioannes inquit, In principio erat Verbum. Addunt etiam cur datus sit: ut, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Cum igitur nominantur fasciolæ, deduci nos ad talia dicta sciamus, quibus uerè inuoluta est noticia Messiæ, & hæ fasciæ sunt signa, id est, testimonia miranda de Messia.

DE OCTAVO.

Studium Mariæ considerantis testimonia de Christo. QVod inquit Mariam hæc omnia meminisse, & contulisse in corde suo, monet totam Ecclesiam, ut hoc studium considerandi testimonia imitemur, Audierat mater ex pastoribus narrationem Angelorum, Hanc conferebat ad cætera miracula quæ norat, & collatione omnium confirmabat suam fidem. Rursus & Ioseph exposuit Pastoribus miracula sibi nota, ut illorum fidem confirmaret. Ita nos alere fidem & confirmare debemus collatione omnium harum rerum, dictorum Propheticorum, miraculorum & factorum, quæ narrantur in Euangelio. Hæc meditatio utilis est pijs, ac semper accedat ultima cogitatio de causßis, non temerè, non frustra, tantam rem à Deo decretam esse, ut Filius indueret humanam naturam: longè supra conspectum omnium creaturarum posita est caussarum magnitudo, sunt enim

causſæ, uera & inenarrabilis ira Dei aduerſus peccatum, & immenſa miſericordia erga genus humanum, quod Deus condiderat, ut in eo celebraretur. Ideo totum perire noluit.

Quare agnoſcamus uoluntatem Dei, & ei gratias agamus, quòd Filium miſit, & ſicut in Pſalmo ſcriptum eſt, Oſculamini Filium, ita uera pietate eum amplectamur, diſcamus hunc præcipuum cultum Dei eſſe, inuocare Deum fiducia Filij, & ſtatuamus uerè exaudiri ſic inuocantes. Talibus exercitijs uult Deus in nobis ueram fidem accendi, & hæc fides eſt agnitio Meſſiæ, quæ eſt incoatio uitæ æternæ, ſicut ſcriptum eſt, Hæc eſt uita æterna, ut agnoſcant te eſſe uerum DEVM, & quem miſiſti IESVM eſſe Chriſtum.

DIE CIRCVMCISIONIS DOMINI.

EVANGELIVM, Lucæ 2.

ET poſtquam conſummati ſunt dies octo, ut circumcideretur puer, uocatum eſt nomen eius IESVS, Quod uocatum

uocatum eſt ab Angelo, priuſquam in utero conciperetur.

I. Locus. *Collatio ritus & uerbi Dei.*

II. *Quid ſint Sacramenta.*

III. *Quare ſit inſtituta Circumciſio, & cuius beneficij fuerit pignus.*

IIII. *Quid ſignificauerit, & quare in hac parte corporis uoluerit Deus extare ſignum.*

V. *Quare Chriſtus circumciſus ſit.*

DE PRIMO.

De collatione ritus, & uerbi Dei.

VItuperamus Ethnicas ceremonias propter absurditatem, quòd discurrebant luperci pelliti, & alias. Plus uidetur absurditatis habere Circumcisio: Sed primùm hic discamus in ceremonijs diuinis non opus sine uerbo, sed una cum uerbo Dei considerandum esse. Ethnici habuerunt ritus sine ullo uerbo Dei, & multæ gentes circumcisionem retinuerunt sine uerbo Dei, ut Colchi, Ægyptij, & nunc Turcæ & Iudæi retinent. Sed opus sine uerbo Dei nihil est, imò est damnatum à Deo. Hanc regulam diligenter meminerimus de omnibus operibus, quòd uerbum requirendum sit, & ibi uoluntas Dei agnoscenda, postea in opere significatio aliqua quærenda est.

DE SECVNDO.

Quid sint Sacramenta.

DEVS subinde instaurauit collapsam doctrinam suarum promissionum, & ut hæc instauratio esset illustrior, noua signa instituta sunt. Et generaliter Sacramentum propriè dictum est, signum promissæ reconciliationis, Quærenda est igitur promissio addita signis.

Promissiones datæ Abrahæ.

Duæ autem traditæ sunt promissiones Abrahæ, Altera de reconciliatione, Altera de caussa reconciliationis, uidelicet de semine, in quo benedicentur omnes gentes. Hæ promissiones coniungendæ sunt: Ero Deus eorum. Item, In semine tuo benedicentur omnes gentes. Harum promissionum nota fuit illa circumcisio, instituta in illa parte corporis, ut de uenturo semine admoneret circumcisos.

DE TERTIO.

Quare sit instituta Circumcisio?

Circumcisio quare fuerit Sacramentum

EST igitur Circumcisio Sacramentum additis promissionibus, uidelicet, promissione reconciliationis, & promissione seminis. Nam promissio terræ, et regni seu politiæ, data est propter semen. Oportuit enim certum esse populum, in quo Saluator nasceretur, Et propter has promissiones Circumcisio afferebat gratiam, quia Deus inquit, Ero Deus eorum. Hinc potest intelligi uerè fuisse Sacramentum, & adulti admoniti hoc signo, fide intuebantur promissionem gratiæ, & uenturi Saluatoris. Hac fide placebant Deo & inuocabant eum.

Hæc fides & inuocatio sunt summi cultus, ignoti carnalibus iudicijs, quos pij præstabant admoniti per Circumcisionem, etiamsi opus ipsum uidebatur impijs absurdum. Erat autem gratum pignus, & insigne testimonium his, qui inde statuebant Deum propicium esse.

DE QVARTO.

Quid significauerit.

Significatio ceremoniæ Circumcisionis.

OMnia opera Ceremonialia & Moralia, sunt Symbola, et imagines præcipuè earum rerum, quæ in promißionibus significantur. Deinde accedunt et aliæ significationes rerum cœlestium, Et quidem ea quæ propriè Sacramenta dicuntur, præcipuè sunt signa uoluntatis Dei erga nos, propositæ in promißionibus. Postea possunt addi aliæ significationes.

Circumcisio igitur principaliter significabat promißam reconciliationem, quia Deus dicit, Ero Deus eorum: & locus admonebat de caussa reconciliationis. Quia enim fuit promissum semen, in quo benedicerentur omnes gentes, Ideo illi parti corporis additum est signum. Hæc fuit præcipua significatio.

Sed ad hanc accedunt aliæ, quia præciditur particula à membro generationis, significabatur hanc naturam lapsam esse, & nunc destinatam morti, et hanc pelliculam abijciendam esse. Sed tamen uenturum semen, quod sublata maledictione redditurum esset nouam & æternam naturam & uitam. Hæc Sancti uidebant tanquam picta esse in hac imagine.

Accedebant & aliæ admonitiones, mundus miserimè contaminat eas partes, & generatione abutitur, Deus econtra in hac ipsa parte posuit notam, ut cogitemus Deum uelle, ut hæc membra sint sancta, & sanctè utamur generatione.

Nobis Baptismus præcipuè significat reconciliationem in promißione propositam: Sed postea multa monet

monet imago, mergimur, ut peccatum abluatur mersione, uidelicet morte Christi, & nos inserti morti Christi mortificemur, & omnibus procellis obruamur: Sed resurgimus & emergimus cum Christo, Sic cœna Domini præcipuè pignus est reconciliationis, Sed imago ipsa testatur nos effici membra Christi, Item, nos mutuò membra esse unius corporis. Sic & moralia uoluit Christus esse Symbola, Remittite, & remittetur uobis. Amor parentum erga liberos est στοργὴ diuinitus indita humano pectori, & imago amoris Dei erga nos.

Cœna Domini.

DE QVINTO.

Quare Christus sit circumcisus.

PLacebat filius Dei etiam sine circumcisione, nec tenebatur illa lege: Si quis non fuerit circumcisus, eradicabitur. Sed sicut uniuersaliter Christus uoluit esse subiectus legi, sic etiam circumcidendus erat. Et concurrunt multæ caussæ, Voluit extare testimonium, quòd natus esset ex posteris Abrahæ in hoc populo, quòd esset huius Ecclesiæ socius & membrum: Sed præcipua caussa est, subiectio sub legem, quæ non est intelligenda tantum ciuiliter, quòd uoluerit esse obsequens ciuis, sed subiectio sub legem in illa persona, quæ non erat debitrix, singulare beneficium significat, ad nos pertinens. Est enim subiectus legi pro nobis, uidelicet, non tantùm officijs legalibus, sed etiam maledictioni, & pœnæ, quam nos

Christus pro nobis subiectus legi.

eramus meriti,ut fieret hostia pro nobis, placans Patrem & liberans nos à maledictione Legis, Itaq; circumcidi Christum,significabat eum subijci Legi pro nobis,cùm ipse non esset debitor, & iam obligari ad mortem pro nobis.

Hæc beneficia agnoscere,intelligere & celebrare discamus,uidelicet nos redemtos esse à maledictione legis,hoc est,ab ira Dei propter Filium legi subiectum,& hac fide Deum inuocemus,& ei obediamus: Discamus item hanc ueterem naturam lapsam, umputatam,& præcisam esse,& promissam nouam & perpetuam naturam & uitam.

IN EPIPHANIIS
DOMINI.

EVANGELIVM,
Matth: 2.

CVM autem natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ in diebus Herodis regis, Ecce Magi ab Oriente uenerunt Hierosolymam,dicentes, Vbi est qui natus est rex Iudæorum? uidimus enim stellam eius in Oriente, & uenimus adorare eum.

Audiens

Audiens autem Herodes rex,turbatus est,et omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis,ubi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei,In Bethlehem Iudææ. Sic enim scriptum est per Prophetam, Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaq; minima es in principibus Iuda, Ex te .n. exibit mihi dux, qui regat populum meum Israël.

Tunc Herodes clam uocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus ſtellæ quæ apparuerat, & mittens illos in Bethlehem, dixit, Ite & exquirite diligenter de puero, & cum inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniens adorem eum.

Qui cum audiſſent regem, abierunt. Et ecce ſtella, quam uiderant in Oriente, antecedebat eos, uſq; dum ueniens ſtaret ſupra ubi erat puer. Videntes autem ſtellam, gauiſi ſunt gaudio magno ualdè. Et intrantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius, et procidentes adorauerunt eum, Et apertis theſauris ſuis, obtulerunt ei munera, Aurum, Thus & Myrrham. Et oraculo admoniti in ſomnis ne redirent ad Herodem, per aliam uiam reuerſi ſunt in regionem ſuam.

Loci quinq.

I. *Teſtimonium de nato Meßia.*
II. *De uocatione gentium.*
III. *Teſtimonium Prophetæ de loco, Et locus nominatus eſt, ut de tempore etiam nos confirmet,*

firmet, quòd uidelicet ſtante politia huius populi, uenire Chriſtum oportuerit.
IIII. *Nato Chriſto mox ſequitur perſecutio.*
V. *Magi offerunt munera, ut infans & parentes habeant uictum.*

DE PRIMO.

Teſtimonia de Chriſto.

Sæpè dicimus diſſimilitudinem obſeruandam eſſe imperiorum, & Eccleſiæ. Alexandri uictoriæ conſpiciuntur omnium oculis, & omnium gentium teſtimonia habent: Sed res, quæ geruntur in Eccleſia, non ſic incurrunt in oculos, & tamen oportet eſſe certa teſtimonia.

Stellæ teſtimonium.

Quanquam igitur non omnes norant ibi natum eſſe Meßiam, tamen multa ſunt teſtimonia propoſita, ut fides ſit certa. Mater ſcit ſe uirginem peperiſſe, Ioſeph audit idem ex Angelis: Nunciant Angeli Paſtoribus, natum eſſe Meßiam: Nunc ſtella monet Magos, poſtea erant teſtes nati Meßiæ, Nec refert utrum ſtella noua, aut Angelus fuerit, ut Chryſoſtomus intelligit. Ita deinceps reliqua teſtimonia conſideranda ſunt, ut fidem noſtram confirmemus, & certò ſciamus exhibitum eſſe Meßiam, & hunc eſſe Saluatorem, & facturum ea, quæ promiſit, exauditurum nos.

DE SECVNDO.

De uocatione Gentium.

Magi reliquiæ Eccleſiæ Danicis.

Magi propriè dicebantur Perſarũ Sacerdotes, quos neceſſe eſt aliquam habuiſſe de uenturo Salua-

Saluatore doctrinam: Alioqui enim cur in Iudæa quærerent Regem, quam sciebant oppressam esse misera seruitute? Arbitror autem fuisse reliquias Ecclesiæ Danielis, qui fuit præfectus Persiæ, ac fuisse pios, quales plurimi erant inter gentes, qui inuocabant Deum fide promissionum traditarum populo Israël, etiamsi ceremonijs non onerabantur. Sciebant autem ex Daniele etiam circiter ea tempora uenturum esse Messiam.

Vocatio gentium.

Estq; hoc exemplum insigne testimonium, quòd Euangelium ad gentes pertineat. Et cùm de uocatione gentium dicitur, simul comprehenditur hæc doctrina, quòd gratis, non propter legem donetur remissio peccatorum. Hæc consolatio simul ueniat in mentem.

DE TERTIO.

De loco Micheæ.

Testimonium quod Christus uenerit.

VTile testimonium est ad refutandos hoc tempore, Iudæos, Oportuit nasci Christum in Bethlehem, Ergo necesse est eum uenisse iam, quia oportuit eum stante politia illa nasci, quam Deus funditus deleuit, ut testetur uenisse Christum. O mira Dei consilia, excidium Iudaicum confirmat pios, & conuincit Iudæorum pertinaciam.

Test imonium de utraque natura Christi.

Est autem & hoc obseruandum in dicto Micheæ, quod de utraq; natura in Christo concionatur, dicit: ducem uenturum esse ex Bethlehem, id de natiuitate ex

ex uirgine dicitur. Deinde addit, Egressus eius ante initium mundi. Hic testatur eum esse natum ex Patre ante initium mundi. Iam hìc dicendum est, qualis sit dux, qui liberat, uidelicet, à ueris malis, à peccato, ab ira Dei, & à morte æterna: Et hanc liberationem uerbo suo efficit in credentibus, non propter nostram dignitatem. Hæc cogitanda sunt hoc loco.

QVARTO.

De persecutione.

Sanguinaria hypocrisis.

NAto Christo statim metuunt mutationem regni Herodes & Pharisæi, Ideo conantur eum tollere. Et diligenter hìc consideranda est simulatio. Sic semper Ecclesia oppugnatur simulatione & aperta ui.

DE QVINTO.

Magi offerunt munera.

MAgi agnoscunt hunc infantem esse Messiam, quia haud dubiè fuerunt tales, quales supra descripsi, discipuli Prophetarum, qui tenuerunt doctrinam de futuro Messia, sicut hæc doctrina latè toto orbe terrarum sparsa fuit. Etiam Hierosolymis audierant uaticinium Micheæ, quo etiam confirmati sunt. Nec dubium est, quin de talibus scripturis multa cum Ioseph, Zacharia, & reliquo sodalitio ibi contulerint.

Porrò

Pictura ueræ Ecclesiæ.

Porrò hoc totum exemplum est illustris pictura Ecclesiæ, qualis sit, in quibus periculis uersetur, quomodo defendatur, & alatur, non humanis consilijs, sed Deo gubernante. Ecclesia est cœtus paucorum dispersus, Mariæ, Ioseph, Zachariæ, Elisabeth, Simeonis, Annæ, Pastorum, Magorum, & similium, cum interim sibi titulum sumerent Pontifices, & alij impij cum uerbo Dei belligerantes, cum Ecclesia tantum ibi sit, ubi est uerbum Dei. Hostes sunt Herodes & Pontifices, Et defenditur hæc Ecclesia aduersus Herodem, & alitur muneribus Magorum. Hîc Deus mirabili modo seruat Ecclesiam, etiam in hac uita, Sicut inquit Psalmus, Non uidi iustum derelictum in fame, &c.

ALLEGORIA.

MAgi offerunt Aurum, Thus, Myrrham. In his est pulchra significatio, quanquam prius considerandum est beneficium corporale, quod Deus munere oblato à Magis uoluerit curare uictum matri & puero. Quia Deus uult sustentare Ecclesias liberalitate aliquorum piorum principum aut locupletum. Et quòd hæc beneficia magni æstimet Christus, testatur ipse, cum dicit, Quodcunq; fecistis uni ex minimis meis, mihi fecistis. Item, Qui dederit alicui potum aquæ frigidæ in nomine meo, &c. Sic & Paulus dulcissimè gratias agit Philemoni, quòd exceperit & iuuerit pauperes & egentes ministros, Refecta sunt, inquit, abs te uiscera Sanctorum.

Aurum

Allegoria munerum.

Aurum regulariter significat puram doctrinam fidei. Sicut in Psalm. Lex tua sicut aurum purissimum. Thus significat inuocationem & confessionem. Myrrha crucem & afflictiones, quæ sequuntur confessionem.

Hæc munera nos quoq; debemus offerre Christo. Primus cultus, est studium doctrinæ, & fides. Secundus est inuocatio. Nam sic uerè colitur, non cum ipsi damus, sed cum ab eo petimus. Sed inuocari debet fide, id est, fiducia Mediatoris Christi, non Propter nostra merita. Postea sequuntur afflictiones, non tantum corporales, sed etiam Diaboli insidiæ. Et Deus uult Ecclesiam suam subiectam esse afflictionibus, ut in his exerceatur fides.

DOMINICA I. *POST EPIPHANIA.*

EVANGELIVM, Lucæ II.

ET ibant parentes eius quotannis in Hierusalem, in die festo Paschæ. Et cum factus esset annorum duodecim, ascendentibus illis Hierosolymam secundum consuetudinem festi, consummatisq;

ſummatiſq; diebus cum redirent illi, remanſit puer Ieſus in Hieruſalem, & nō cognouerunt parentes eius. Exiſtimantes autem eum eſſe in comitatu, uenerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos, & inter notos. Et non inuenientes eum, regreſſi ſunt in Hieruſalem, requirentes eum. Et factum eſt poſt triduum, inuenerunt illum in templo ſedentem in medio doctorum, & audi-

& audientem illos, & interrogantem eos. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, ſuper intelligentia & reſponſis eius.

Et uidentes eum ſtupebant. Et dixit mater eius ad illum, Fili, quid feciſti nobis ſic? Ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos, Quid eſt quod me quærebatis? Neſciebatis, quod in his, quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe? Et ipſi non intellexerunt uerbum quod locutus eſt eis. Et deſcendit cum eis, & uenit Nazareth, & erat ſubditus illis. Mater autem eius conſeruabat omnia uerba hæc in corde ſuo. Et Ieſus proficiebat ſapientia & ætate, & gratia apud Deum & homines.

Loci ſeptem ſunt.

PRIMVS.

Ceremoniæ propter miniſterium ſeruandæ.

Exemplum de ſeruandis ceremonijs diuinitus inſtitutis. Maria, Ioſeph & Ieſus, ueniunt ad Paſcha, tametſi erant iuſti, nec pro ſeſe habebant opus hac diſciplina, ſed præbent exemplum, ut diſcamus ceremonias ſeruandas eſſe, quæ proſunt ad conſeruationem

tionem ministerij, tum ut ipsi discamus, tum ut alij inuitentur, & propagetur Euangelium.

SECVNDVS.

Colloquium Christi cum doctoribus.

FIlius inconsultis parentibus manet in templo, & confert cum doctoribus de doctrina, haud dubiè disputans de regno Messiæ, quod ipsi arbitrabantur fore mundanum, & reprehendens errorem eorum de cultibus, quos putabant esse iusticiam.

TERTIVS.

Quatenus præstanda obedientia parentibus.

QVando licet filijs detrectare autoritatem parentum? Respondeo, Mandatum Dei anteferendum est uoluntati parentum, ut Christus inquit, Si quis patrem aut matrem plus diligit quàm me, non est me dignus. Vt quando parentes prohibent studium ueræ doctrinæ, confessionem, coniugium. Rursus extra hunc casum debetur obedientia parentibus. Vt hîc Christus redit domum cum parentibus, absoluto uocationis officio.

QVARTVS.

Infirmitas et negligentia sanctorum.

DE negligentia & dolore Mariæ. Mundus non intelligit esse peccata, nisi externa ciuilia peccata. Non agnoscit quantum malum sit naturalis infirmitas, & negligentia in quocunq; mandato Dei. Sed sancti intelligunt magnitudinem huius interioris imbecillitatis, & sæpè experiuntur ingentes pœnas sequi leuem negligentiam, ut uidetur: & magnitudo calamitatum, quibus præcipuè oppressi sunt sancti, coarguit & conuincit eos, quòd adhuc circumferant peccatum, & quidem in illis calamitatibus agnoscunt sua uitia, securitatem, negligentiam, diffidentiam, &c.

Mariæ ingens dolor de sua negligentia.

Ita hîc Maria agnouit suam negligentiam, cogitabat sibi præcipuè mandatam esse custodiam huius filij, se oblitam officij sui, conferebat se cum Eua, quæ antea perdiderat genus humanum, nunc ipsa cogitat se alteram Euam esse, quæ amisso Filio, rursus perdiderit genus humanum, cogitauit omnia miracula, quibus Deus ipsam ad curam huius Filij excitauerat. Cum igitur uideret quantum peccatum esset hæc negligentia, necesse est fuisse ingentes dolores toto triduo, quorum magnitudinem nemo hominum intelligit.

Hîc igitur discamus, qualia sint peccata sanctorum, nec extenuemus uitium naturalis infirmitatis aut negligentiæ. Sicut magnitudo calamitatum monere nos debebat, ne id extenuaremus. Est autem in singulis sanctis multiplex negligentia, quæ postea etiam accersit ingentes ærumnas.

QVINTVS.

Christus quærendus in ministerio.

CHristus inuenitur in templo, id est, in ministerio, Quo significatum est, quærendum esse Christum apud Ecclesiam, Ecclesiam audiendam esse, sed iudicandam esse ex ministerio, hoc est, ex uerbo Dei. Illa demum est Ecclesia, quæ habet ministerium uerbi Dei, & uerbo monstrante, reperitur Christus.

SEXTVS.

Obedientia reddita parentibus.

VT Christus officio uocationis absoluto domum redit cum parentibus, ita meminerimus & nobis præcipi, ut obediamus parentibus, sed ita ut anteferamus mandatum Dei iuxta uocationem.

SEPTIMVS.

Profectus filij Dei.

QVomodo proficit filius Dei? Respondeo, In omnibus sanctis dona fiunt illustriora, & excitatiora usu, sicut econtra fiunt languidiora, & extinguuntur negligentia, ut parabola de Talento docet. Et Paulus inquit ad Timoth: Excita donum, quod tibi est collatū, &c. Habebant Apostoli donum linguarum, sed id alebant lectione & exercitatione.

Hæc exempla nos quoq; hortentur ad intentionem & curam, & ad exercitationem in omnibus donis spiritualibus, hoc est, in studijs & in coërcendis prauis cupiditatibus, in excitandis bonis motibus inuocatione & alijs.

DOMINICA II. *POST EPIPHANIA.*

EVANGELIVM,

Ioan: 2.

ET die tertia nuptiæ factæ sunt in Cana Galileę, & erat mater Iesu ibi. Vocatus

Vocatus est autem & Iesus & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente uino, dicit mater Iesu ad eum, Vinum non habent. Dicit ei Iesus, Quid mihi tecum est mulier? Nondum uenit hora mea. Dicit mater eius ministris, Quodcunq; dixerit uobis facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex, positæ secūdum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas uel ternas.

Dicit eis Iesus, Implete hydrias aqua, & impleuerunt eas usq; ad summum, Et dicit eis, Haurite nunc, & ferte Architriclino, Et tulerunt. Cum autem gustasset architriclinus aquam uinum factam, & non sciret unde esset, ministri autem sciebant, qui hauserant aquam, uocat sponsum architriclinus, & dicit ei, Omnis homo primum bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est, Tu seruasti bonum uinum usq; nunc.

Hoc fecit initium signorum Iesus in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.

QVATVOR LOCI insignes sunt.

I. De coniugio, quod ornat sua approbatione Christus,
II. Consolatio necessaria in coniugio.
III. De *inuocatione*.
IIII. Allegoria Ecclesiæ.

DE

DE PRIMO.

Prohibitio libidinum.

NEcesse est hominibus proponi mandata Dei de prohibitis libidinibus, & horribilem iram qua Deus præcipuè punit prohibitas libidines. Sicut inquit Paulus, Scortatores, adulteri, &c. non possidebunt regnum Dei. Item, ad Ebræos, de castitate, Sine hac nemo Deum uidebit. Item, Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.

Pœnæ libidinum.

Et pœnæ cogitentur in populo Dei, & inter gentes. Multæ enim magnæ clades, bella & uastationes ortæ sunt ex libidinibus. Diluuij caussa fuerunt libidines, post diluuium deletionis Sodomorum. Num: 25. cap. occisa 24. millia propter stupra. Postea ferè tota tribus Beniamin deleta est propter uiolatam Sacerdotis uxorem. Item, Dauid dedit grauissimas pœnas adulterij.

Historiæ gentium plurimæ sunt, Troia euersa est, Romæ reges expulsi, Athenis interfecti filij Pisistrati. Philippus Macedo interfectus est propter libidines. Perijt & Alexander inter uoluptates. Lacedæmonij deleti sunt, cum quidam stuprassent filias hospitis, & postea interfecissent. Thebanæ calamitates etiam dicuntur ortæ propter raptum Chrysippi. Et Aristoteles plurima exempla collegit in politicis, quibus admonet, mutatas esse Respub. propter libidines. Et natura quò magis decrescit, eò fit imbecillior. Ideo remedium diuinitus propositum magnificiendum & amandum est, & fugiendæ caussæ turpitudinis.

Coniugium necessarium propter uitandas libidines.

Etsi autem magnum onus est liberi & uxor, ut dicitur μεγάλη τυραννὶς ἀνδρὶ τέκνα καὶ γυνή, & totum coniugium multiplicia habet impedimenta, & multas ærumnas & miserias, tamen ordinationi Dei parendum est. Non disputemus de suauitate huius generis uitæ, sed meminerimus esse necessarium, propter mandatum Dei, quia Deus horribiliter irascitur prohibitis libidinibus. Deinde cogitemus quæ sit causa difficultatis, scilicet peccatum originis, & tyrannis Diaboli, qui auget calamitates, & opponamus consolationem.

SECVNDVS LOCVS DE consolatione.

Consolationes contra difficultates coniugij.

CVm difficultates coniugij sint pœnæ peccati originis, & in his Diabolus exerceat suam sæuitiam, sciamus tamen Deum non permittere diabolo, ut ordinationem diuinam prorsus deleat, sicut conatur. Adest igitur Deus, & conseruat coniugium, & ut cæteræ afflictiones in uita, ita maximè coniugium sit pijs schola exercendæ fidei, inuocationis, confessionis, obedientiæ, dilectionis erga cæteros homines, & erga Rempub. Quia coniugium implicat homines negocijs: parentes cupiunt tradere posteris Ecclesiam & Rempub. Ideo multò magis afficiuntur cura Reipu: & Ecclesiæ quàm cæteri, qui nec liberos, nec coniuges habent, nisi sint summi uiri, ut Christus, Elias, Paul. Et est pietas intelligere, quòd Deus ita deuinxerit

xerit inter se homines, ut habeamus materiam exercendæ fidei & dilectionis.

Item, pios opus ipsum generationis de creatione admonet, & de præsentia Dei mirabiliter formantis fœtum, impertientis uitam. Item, est immanis, qui non uult alteram partem generis humani cõseruare.

His igitur qui piè in matrimonio uersantur, hic promittitur consolatio, cum Christus donat uinum sponso, id est, toto tempore coniugij adiuuat eos, depellit Diabolum, à quo præcipuè augentur ærumnæ coniugales.

Proponamus igitur nobis necessitatem et mandatum Dei de coniugio. Item cõminationes de pœnis libidinũ, Cogitemus & consolationes coniugibus propositas, quòd Deus defendat suam ordinationem, quòd Christus depellat diabolum, quòd uelit coniugium esse scholam exercendæ fidei, inuocationis et dilectionis.

TERTIVS DE Inuocatione.

Non abiicienda fides cum differtur auxilium.

IN periculis, humano affectu citò liberari cupimus, sed interdum differtur auxilium, ut quasi reiecti uideamur, ibi discamus non deficere fide, etiam cum non statim exaudimur. Sicut monet Christus in Parabola de iudice tardè uindicante. Eius rei hîc proposita est imago, Maria petit autoritate materna, ut filius unum efficiat, sed ille reijcit matrem, uidelicet admonens eam, hæc mandata non pertinere ad maternum officium, & se non uelle ea quæ ad ipsius uo-

cationem pertinent, gubernari affectibus humanis, Et tamen postea facit quod illa periurat.

Discamus igitur in inuocatione utrunq;, non defatigari, scilicet cum differtur auxilium, & expectare ac petere auxilium, quia Deus requirit utrunq;, obedientiam in afflictionibus, & inuocationem.

QVARTVS LOCVS
Allegoria.

Pictura est Ecclesiæ, quæ celebrat nuptiale conuiuium, cum docet & confitetur Euangelium. Et quia accedunt ingentes afflictiones & ingentia pericula, uidentur negligi à sponso, imò ipsa Ecclesia cum inuocat uidetur reiecta esse, uidetur non exaudita. Sed tamen exauditur, & tandem donatur optimum uinum.

DOMINICA III.
POST EPIPHANIA.

EVANGELIVM,
Matth: 8.

CVM autem descendisset de monte, secutæ sunt eum turbæ multæ. Et ecce Leprosus ueniens adorabat eum, dicens, Domine, si uis potes me mundare.

mundare. Et extendens manum Iesus, tetigit eum dicens, Volo mundus esto, Et confestim est mundata lepra eius. Et ait illi Iesus, Vide nemini dixeris, sed uade, ostende teipsum sacerdoti, & offer munus quod præcepit Moyses, in testimonium illis.

Cum autem introisset Iesus Capernaum, accessit ad eum Centurio, rogans eum & dicens, Domine, puer meus

us iacet in domo paralyticus, & grauiter torquetur. Et ait Iesus, Ego ueniam & curabo eum. Et respondens Centurio, ait, DOMINE, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic uerbum, & sanabitur puer meus, Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites, et dico huic uade, & uadit, et alteri, ueni, & uenit, & seruo meo, fac hoc & facit. Audiens autem Iesus, miratus est, & sequentibus dixit. Amen dico uobis, non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem uobis, quod multi ab Oriente & Occidente uenient, & recumbent cum Abraham, & Isaac & Iacob in regno cœlorum, filij autem regni eijcientur in tenebras exteriores, ibi erit ploratus & stridor dentium. Et dixit Iesus Centurioni, Vade & sicut credidisti fiat tibi. Et sanatus est puer eius in illa hora.

Loci sunt nouem.

I. *Duo sunt miracula, quæ primùm sunt testimonia, quòd hic Doctor sit missus à Deo. Deinde sunt exempla promißionum, quòd sic uelit & nobis opitulari.*

II. *Fides leprosi petit cum conditione, Si uis, etc.*

III. *Dilectio anteferenda præceptis ceremonialibus.*

IIII. *Commendatio ministerij, cum mittuntur leprosi ad sacerdotes.*

V: *Exemplum Centurionis illustrius est, quod continet doctrinam pœnitentiæ & fidei.*

VI. *Laus fidei, quæ docet hæc exercitia esse ueros cultus Dei.*

VII. *De uocatione gentium.*

VIII *De pœna non credentium Euangelio.*

IX. *De Centurione, quòd Euangelium approbet politiam & militiam.*

DE PRIMO.

SEmper de miraculis tenenda est regula. Primùm, quòd testentur hunc Doctorem uerè à Deo missum esse, Ideoq; habet Ecclesia multa peculiaria miracula, ut resurrectionem mortuorum, &c. ut certi simus Euangelium uerè à Deo traditum esse. His testimonijs nostram fidem confirmemus. De miraculis.

Deinde miracula sunt exempla promißionum. Sic uult nobis opitulari filius Dei, & semper adest nobis, sicut illos iuuabat, & in nostris ærumnis confugere ad eum, petere ab eo auxilium, fide eum inuocare debemus.

Et

Et semper referantur miracula ad hanc regulam: Filius Dei apparuit, ut destrueret opera Diaboli. Christus tollit peccatum, & peccati effectus, mortem, & alias ærumnas, famem, morbos, excidia, bella. Sed sicut corpori Christi alia tempora fuerunt mitiora, alia sæuiora, ut tempore crucifixionis, ita Ecclesia, aliàs magis, aliàs minus tranquilla est. Nunc extremum tempus est, quod tristissimum est, sed tamen habemus hanc consolationem, quod Daniel inquit: Tunc stabit dux magnus pro filijs populi sui. Iam igitur exerceamus fidem, & inuocemus ducem Christum.

DE SECVNDO.

De fide in petitione rerum æternarum.

IN omni inuocatione debet adesse fides generalis, quæ credat remissionem peccatorum & placere Deo nostras preces, nec irritas esse: Sed de rebus, quæ petuntur, discrimen est. De promissione gratiæ est mandatum, ut nominatim tibi hanc rem tribui credas, ut Paulus inquit Rom: 4. Credenti autem imputatur fides ad iusticiam. Nam de gratia Deus expressit uoluntatem suam, et addidit mandatum, ut singuli credamus promissioni gratiæ, & hæc fides est obedire Deo in hac inuocatione.

De petitione rerum corporalium.

De corporalibus uerò sciendum est, et aliam obedientiam requiri, ut uidelicet parati simus ad obedientiam, si Deus uelit nos diutius exerceri, & tamen fides in genere statuat Deum uelle peti corporalia, ut conseruet Ecclesiam, œconomias, & politias esse opera Dei, esse Deo curæ, & Deum uelle nos in his tuendis exercere fidem & inuocationem. Et cum in his obtemperamus uocationi, non dubitemus quin Deus nobis opituletur, sicut hic in Centurione apparet, qui laborans pro ministro exauditur.

Afferamus igitur in petitione corporalium fidem remissionis peccatorum, fidem intuentem promissionem beneficiorum corporalium, quòd Deus Ecclesiam, Politiam, Oeconomiam conseruare uelit, quòd uelit harum conseruationem à se peti: Sed quia non expressit uoluntatem suam, quomodo corporalia beneficia singulis daturus sit, & requiritur obedientia nostra in afflictionibus: ideo addita est conditio, Si uis, Sic Dauid petit, Si Dominus uolet, reducet me, Et tamen sciamus, preces non esse irritas, quia Deus etiam corporalia dat, ut seruet Ecclesiam, Politias & Oeconomias.

DE TERTIO.

Lex cæremonialis cedit officijs dilectionis.

LEX dicit immundiciem esse attingere leprosum: Sed Christus, ut seruet proximum, negligit hanc legem, iuxta regulam, Misericordiam uolo magis quam sacrificium. Sic Maccabæi in Sabbato dimicarunt. Hi gradus operum discendi sunt, & uidendum qui alijs cedant.

DE QVARTO.

Missio ad sacerdotes propter conseruationem ministerij.

MIssio ad Sacerdotes est commendatio ministerij quos mundat Deus, hos uult audire Euangelium sonans in Ecclesia. Et quidem iubet dari munus,

munus, quia Christus uult conseruari ministerium nostris collationibus. Et additur quod mandauit Moses in testimonium ipsis. Phrasis est Ebraica, quasi dicat, quod constituit Moyses ius sacerdotibus, Testimonium enim sæpè significat legem seu ius. Et Christus uult comprobatum hoc ius, ut doceat nos de conseruando ministerio. Hæc est simplicissima interpretatio. Alij aliter enarrant: in testimonium illis, id est, ut tota lex est testimonium de Christo, ita & in hoc casu sacerdotes debebant testari hunc esse Messiam, qui hos sanauerat.

DE QVINTO.

Doctrina fidei in pœnitentia.

CEnturionis exemplum continet doctrinam de pœnitentia & fide, & perspicuè docet, fidem non niti propria dignitate, Ideo primùm fatetur se esse indignum, & tamen petit beneficium. Sic & nos uera pœnitentia agnoscamus indignitatem nostram, & excitemus nos ad inuocandum filium Dei. Si incidant dubitationes de modo liberationis, sustentemus nos uerbo, & modum Deo permittamus, sicut facit hic Centurio, Contentus est uerbo Messiæ, & quidem prædicat potentiam uerbi Christi creaturis imperantem. Quare agnoscit in Christo potentiam à Deo datam, & sentit esse Messiam promissum.

DE SEXTO.

Veri cultus piorum.

QVia Christus laudat fidem Centurionis, hortatur nos ad similia exercitia fidei. Nam hi sunt

sunt ueri cultus Dei, ut: Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te, &c.

DE SEPTIMO.

Christus approbat Centurionem gentilem & militem.

DE uocatione gentium dictum est supra de Magis. Estq; hic etiam exemplum quod iusticia Christiana non sit in externa obseruatione rituum, Sed in ueris motibus timoris & fidei. Nam etsi Centurio non est Iudæus, & in eo, ut in homine militari, nihil est speciosum, Tamen Christus opponit eum Iudæis, qui habebant gloriam iusticiæ legis. Ita exæquat Iudæos & Gentes, nec propter externam diuersitatem rituum facit discrimen: Sed utrisq; concedit suæ uocationis officia. Leprosum ut Iudæum, iubet ire ad sacerdotes, Centurionem sinit uti suius militaribus officijs.

DE OCTAVO.

Pœnæ contemnentium Euangelium.

HOrribilis commination est de pœnis Hypocritarum contemnentium Euangelium. Minatur enim Christus Iudæis exitium, quòd freti lege, & titulo populi Dei, contemnebant & persequebantur Christum. Sicut nunc aduersarij titulum Ecclesiæ opponunt puræ doctrinæ Euangelij.

DOMINICA IIII. *POST EPIPHANIA.*

EVANGELIVM, Matth: 8.

ET ascendente eo in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et ecce motus magnus factus est in mari, ita ut nauicula operiretur fluctibus, ipse uerò dormiebat. Et accesserunt discipuli, & suscita-

uerunt eum, dicentes, Domine salua nos, perimus. Et dicit eis. Quid timidi estis modicæ fidei? Tunc surgens comminatus est uentis & mari, & facta est tranquillitas magna. Homines autem mirati sunt, dicentes, Qualis est hic, quia & uenti & mare obediunt ei.

LOCI QVATVOR.

I. *Imago periculorum & ærumnarum Ecclesiæ.*
II. *De dubitatione in inuocatione.*
III. *Quòd maneat in sanctis etiam infirmitas fidei.*
IIII. *Consolatio, in qua apparet etiam infirmam fidem exaudiri & iuuari.*

DE PRIMO LOCO.

Nihil est admirabilius inter opera Dei, quàm gubernatio & conseruatio Ecclesiæ, inde usq; ab initio mundi, populus Dei est exiguus cœtus, oppressus ingentibus ærumnis, & deformatus multis scandalis, sicut inquit Paulus, Infirma mundi elegit Deus. Et Christus ait, Ago tibi gratias Pater cœlestis, quòd hæc reuelasti paruulis. Hæc species Ecclesiæ, non leuiter mouet humanos animos, qui cogitant magis populum Dei esse maiorem multitudinem, tenen-

Miranda gubernatio Ecclesiæ.

tem imperia, florentem gloria, uirtute, sapientia. Item, tenentem ordinariam gubernationem, Vt, Principes Iudaici iudicabant se esse Ecclesiam, non Apostolos, qui erant pauci, & tanquam seditiosi aduersabantur Pontificibus. Oportet igitur pios firmissimè tenere doctrinam de uera Ecclesia, Quòd ibi sit Ecclesia, ubi uerbum Dei rectè traditur, sine impijs dogmatibus, & sine impijs cultibus. In tali cœtu necesse est esse aliqua utua et uera membra Ecclesiæ.

Quare Ecclesia subijciatur ærumnis. I.

Iam illa est mira sapientia, Cur Deus suam Ecclesiam, quam pronunciat esse iustam, sinit tam duriter exerceri. Rationes duæ sunt.

Quòd hæc ipsa Ecclesia iustorum adhuc habet peccatum, quòd uult Deus agnosci à pijs, & mortificari. Sicut Paulus inquit, Corpus morti destinatum est propter peccatum, Et petrus, Iudicium à domo Dei incipit. In secundis rebus non sentimus iram Dei aduersus peccatum, ideo languescunt animi, fiunt ignaui, obliuiscuntur Dei. Vt igitur peccatum, agnoscamus, Ecclesia subijcitur ingentibus ærumnis, quibus admonemur, ut inuocemus liberatorem filiũ Dei.

Dictum est ad Cain, Peccatum tuum quiescet, donec reuelabitur. Vbi breui uerbo significata est illa totius mundi securitas, cum ait: Peccatum quiescet, scilicet in impijs pœnæ differuntur, non cernitur ira Dei. At in Ecclesia non quiescit peccatum, sed agnoscitur, incutit terrores, & magno certamine uincendum est. Ideo propositæ sunt ærumnæ.

Secunda

Secunda ratio est, quare Ecclesia subiecta est ærumnis, Quia Deus uult potentiam Filij sui ita fieri conspectiorem, cùm uincit Diabolum per infirmos. Nam in hoc certamine, nos non sumus duces, tantùm milites uel instrumenta sumus, Diabolus ardet odio Dei & belligeratur cum filio Dei, hunc uincit filius Dei in Ecclesia infirma: sicut restituit Adam lapsum, sicut conseruauit Ecclesiam, sæuientibus in eam omnium temporum Tyrannis. Sciamus igitur nos ad hoc certamen uocatos esse, ut in nostra infirmitate luceat confessio & gloria Dei. II.

Has causas intueamur in omnibus ærumnis, & sciamus Deo obediendum esse, quia subiecit Ecclesiam talibus afflictionibus. Ac meminerimus nos oportere agnoscere & mortificare peccatum, etiamsi id in impijs quiescit, hoc est, in præsentia, nec iudicatur, nec punitur. Præceptum de obedientia in afflictionibus.

Huc pertinent plurimæ sententiæ. Humiliamini sub potenti manu Dei. Item Psalm: 36. Subditus esto Deo, & expecta eum. Hæc tota doctrina ignota est rationi, philosophiæ, & legi, sed in Euangelio proposita est, cur affligantur iusti, Item, quòd Deus uerè exaudiat inuocantes ipsum in afflictionibus, Quòd Deus sanet contritos, quòd sacrificium Deo sit spiritus contribulatus.

Hæc de primo loco breuiter monui, in quo singuli cogitemus de nostris ærumnis, præsertim illis quæ comitantur nos, postquam in nauim Christi conscendimus.

Nauicula Christi quassatur procellis.

dimus. Hæc nauicula concutietur ingentibus procellis. Diabolus impellit Tyrannos ad eam delendam, serit scandala horribilia & inextricabilia. Sed propter hæc non deficiamus à ueritate, discamus item regi Ecclesiam non humanis consilijs, sed diuinis, ac Deum uelle, ut non nitamur nostris consilijs & præsidijs, sed simpliciter obtemperemus uocationi, & præsidijs, sed simpliciter obtemperemus uocationi, & ipsum inuocemus.

SECVNDVS LOCVS.

De dubitatione uincenda in Inuocatione.

NAturaliter dubitant animi, præsertim in afflictionibus, an Deo curæ simus, an sit nos seruaturus, an uelit exaudire. Hoc ingens & arcanum peccatum, non intelligunt hypocritæ. Imò fingunt has tenebras & dubitationes non esse peccata. Hic error maximè reprehendendus est in Ecclesia. Et discrimen facit doctrina de fide inter Ecclesiam & omnes alias sectas. Est enim mandatum Dei æternum & immutabile, ut credamus in filium Dei, hoc est, ut credamus nobis propter filium Dei ignosci, nos recipi, curæ esse Deo, exaudiri à Deo, & seruandos esse, ideo toties scriptum est, Orate sine hæsitatione. Oret in fide nihil hæsitans. Imò cum dubitatione semper coniuncta est indignatio aduersus Deum. Superantur autem impij dubitatione, sed sancti cum dubitatione luctantur, & uincunt eam fide.

Præcepta de petendo incremento fidei, & abiicienda dubitatione.

Hæc doctrina in conspectu nobis esse debet in omni inuocatione, & clamitandum est, Domine, adauge nobis

nobis fidem. Item, Credo Domine, sed adiuua incredulitatem meam. Colligendæ sunt etiam sententiæ & exempla, quæ prohibent dubitationem, ut, Omnis qui confidit in eum, non confundetur. Item, Fides tua te saluam fecit. Et in hoc Euangelio Christus obiurgat Apostolos, Quid timetis, seu potius trepidatis, uos modicæ fidei?

Quomodo fides petat sine aut cum exceptione.

Diligenter autem considerandum est discrimen, ubi sit dubitatio impia, seu quæ nominatim credi & expectari oporteat, uidelicet promissionem Euangelij propriam, quòd Deus propter Christum tibi uelit ignoscere, te recipere, te exaudire & saluare. Hæc necesse est credi, & prælucere hæc generalis fides in omni inuocatione debet, quia est mandatum immutabile & uniuersale: HVNC audite. Omnis qui credit in Filium saluabitur. Qui non credit in Filium, manet ira Dei super eum.

Sed de euentibus periculorum corporalium regula tenenda est, Quòd Deus in his quoq; opitulari nobis uelit, uelit inuocari, sed tamen requirat obedientiam, etsi euentus gubernat, mitigat, aliàs aliter: Ideo sic petamus, ut tamen ad obedientiam in his corporalibus afflictionibus parati simus, ut Dauid pulsus in exilium, petebat se reduci, credebat sibi condonari peccatum, se exaudiri, Deum opitulaturum esse, se habiturum esse uitam æternam. Sed hunc corporalem euentum Deo committebat, etsi liberationem seu mitigationem petebat, & tamen ad obedientiam

paratus erat, sicut inquit, Si uolet Dominus, reducet me, si non uolet, fiat uoluntas Domini.

Moysis gubernatio.

Sic exercuit Deus omnes sanctos, gubernauit euentus longè aliter, quàm ratiocinari humana mens potest. Moyses cum educebat populum ex Ægypto, nequaquam existimabat tantum exercitum quadraginta annis in deserto regendum esse. Non præuidebat futuras tot seditiones, tantum scandalorum. Tandem inducit Deus populum in terram promissam. Ita euentus longè aliter gubernatur, quàm cogitare Moyses poterat. Ieremias erat suasor, ut populus proficisceretur in exilium, & affirmabat redituros esse, sed quomodo, quo duce redituri essent, nesciebat. Ita nos oportet uocationi parere, & euentus corporales Deo committere, & tamen exercere fidem in inuocatione, & petere, ut Deus gubernet, & moderetur pericula & euentus,

TERTIVS LOCVS.

De peccatis sanctorum.

TEstimonium hic extat, quòd in sanctis sint peccata, ut hic in Apostolis trepidatio propter infirmitatem fidei. Metuebant se & Dominum perituros esse, cum tamen uocationem Domini nossent. Hæc infirmitas multa peccata gignit, quæ tamen ratio non satis iudicare potest. Sæpè peccant homines, uel securitate uel diffidentia, ut nunc multi iniusta diffidentia quærunt præsidia inconcessa.

Quartus

QVARTVS LOCVS.

Etiam infirmam fidem exaudit Christus.

PRoponitur dulcis consolatio, quòd etiam infirmam fidem Deus exaudiat, & sunt multa similia exempla, ut in Marco, Credo Domine, sed adiuua incredulitatem meam. Hæc exempla monent, ut agnoscamus infirmitatem, & tamen non deterreamur ab inuocatione, sic enim crescit fides, cùm magis magisq; exercetur. Sicut dicitur, Habenti dabitur.

DOMINICA V. *POST EPIPHANIA.*

EVANGELIVM, Matth: 13.

De Zizanijs.

ALiam parabolam proposuit eis dicens, Simile est regnum cœlorum homini qui seminauit bonum semen in agro suo. Cum autem dormirent homines, uenit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abijt. Cum autem germinasset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui

Patrisfamilias dixerunt ei, Domine, nonne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania? Ille autem ait, Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei. Vis ergo ut euntes colligamus ea? Ille autem ait, Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul cum eis triticum, Sinite utraq; crescere usq; ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, Colligite primum

mum zizania, & colligate ea in fasciculos, ut comburantur, Triticum autem congregate in horreum meum.

Ecclesiæ potestas non coercet ui corporali.

VNus est præcipuus locus huius Euangelij, quòd in Ecclesia non liceat tollere ui uel gladio inobedientes, scilicet quòd attinet ad ministerium Apostolorum & uerbi, id est, ad potestatem Ecclesiasticam, cuius officium proprium est, non ui corporali, sed tantum uerbo arguere homines. Nam regnum Christi, est regnum spirituale, quod solo Verbo, sine gladio regitur.

Iam hic quæritur, Vtrum igitur non licet tollere adulteros, homicidas? &c. Sic enim aliquis argumentari posset: Zizania non sunt tollenda, Adulteri sunt zizania, Ergò adulteri non sunt tollendi. Concedendum est totum argumentum, quod attinet ad ministerium Verbi, non quod ad ciuilem potestatem. Magistratus ciuilis habet potestatem tollendi adulteros, homicidas, & similes palàm flagitiosos. Magistratus enim, ut inquit Paulus, est qui fert gladium in terrorem malis, ut puniat eos. Item, Lex est iniustis posita, & pœnarum ciuilium tres sunt caussæ. Prima est iusticia Dei. Secunda, Exemplum. Tertia, Pax publica, ut aliàs prolixius dicitur.

Magistratus rectè coercet impi-

Licet ne Magistratui punire Hæreticos? Maximè. Magistratus enim est custos totius Legis, hoc est, non tantùm

orum dogmatum autores.

tantum secundæ, uerumetiam primæ tabulæ, quod ad externam disciplinam attinet. Sed iudicium de doctrina non tantum pertinet ad Magistratum, sed ad totam Ecclesiam, cuius pars est Magistratus. Is igitur uiderit, ut certò iudicet, non ut nunc fit, ex duorum aut trium Monachorum sæuitia & crudelitate, sed ex sententia optimorum & doctissimorum in Ecclesia.

Quorum iudicium fit de doctrina.

Sic in hæresi Donatistarum, qui fingebant Ecclesiam, in qua prorsus nulli essent uitiosi, & contendebant, Sacramenta per malos administrata fieri irrita, Constantinus Imperator iudicium commisit Episcopis Romanis, qui cum re cognita damnassent Donatistas, neq; ij stare hoc iudicio uellent, Imperator Arelate conuentum instituit, ubi præsens ipse re dijudicata, sententiam tulit contra Donatistas, & ut pœna aliqua afficerentur, transtulit bona ipsorum Ecclesiastica, ad ueram Ecclesiam.

Ita in summa hoc Euangelium docet, ne Apostoli prætextu Euangelij arripiant gladium, & constituant regnum mundanum, quod longè aliud est quàm regnum Christi. Sed de eorum officio loquitur Paulus: Increpa, argue, cum omni imperio. Quibus uerbis significat Paulus, potestatem Ecclesiasticam posse imperare in ijs, quæ sunt iuris diuini, eiq; necessariò obediendum esse.

Id enim significat ἐπιταγή.

DOMINICA SEPTVAGESIMÆ.

EVANGELIVM, Matth. XX.

SImile est regnum cœlorum homini Patrifamilias, qui exijt primo diluculo conducere operarios in uineam suam. Conuentione autem facta cum operarijs ex denario diurno, misit eos

in

in uineam suam. Et egressus circa horã tertiam, uidit alios stantes in foro ociosos, & dixit illis, Ite & uos in uineam meam, & quod iustum fuerit, dabo uobis. Illi autem abierunt. Iterum autem exijt circa sextam & nonam horam & fecit similiter. Circa undecimam uero horam exijt, & inuenit alios stantes ociosos, & dixit illis, Quid statis tota die ociosi? Dicunt ei, Quia nemo nos conduxit. Dicit illis, Ite & uos in uineam, & quod iustum fuerit, accipietis.

Cum autem sero factum esset, dixit dominus uineæ procuratori suo, Voca operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouissimis usq; ad primos. Et cum uenissent, qui circa undecimam horam, acceperunt singuli denarium, Venientes autem primi arbitrati sunt, quod plus essent accepturi. Acceperunt autem & ipsi singuli denarium. Eo autem accepto, murmurabant aduersus Patremfamilias dicentes, Hi nouissimi unam horam fecerunt, & pares illos nobis fecisti, qui portauimus pondus diei & æstum. Et

Et ille respondens uni eorum dixit, Amice, non facio tibi iniuriam, Nonne ex denario conuenisti mecum? Tolle quod tuum est, & uade, Volo autem huic nouissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi quod uolo facere in rebus meis? An oculus tuus nequam est, quod ego bonus sum? Sic erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, Multi enim sunt uocati, pauci uero electi.

I. Locus *De ordine Ecclesiæ omnium temporum.*
II. *De uocatione gentium.*
III. *De denario & meritis.*
IIII. *Comminatio aduersus ingratos, miscentes humanos affectus ministerio Euangelij, & corrumpentes bonam caussam.*

DE PRIMO.

PArabola *significat ab initio mundi semper aliquam Ecclesiam uocatam esse, & mirabiliter gubernatam & seruatam, quæ quidem & nobis in conspectu esse debet, ut nos doctrinæ perpetuitas, & exempla prioris Ecclesiæ doceant & confirment. Vt enim Nohe, Abraham, Iacob, non humanis præsidijs defensi sunt, Sic sciamus semper ueram Ecclesiam diuinitus regi & defendi. Et hanc esse ueram Ecclesiam,* Perpetuitas Ecclesiæ.

siam, quæ ueram doctrinam circumfert, & in hác fide Deum inuocat, & pericula sustinet.

Falsa Ecclesia admixta ueræ.

Cùm autem sint duo corpora, Alterum ueræ Ecclesiæ, Alterum impiæ, & persecutricis, sæpè accidit ut uera Ecclesia sit prorsus oppressa, & soli impij dominantes teneant publicum ministerium, sicut in Papatu. Hìc discant pij, non propterea nullam esse Ecclesiam, & ministerium ualere, etiamsi est penes impios, & persecutores, quod deberet quidem eripi impijs, sed dum per uim tenent, non propterea ea, quæ rectè administrant, ut baptismum pro salute Ecclesiæ, sunt inefficacia, aut irrita, sed ualent, quia ministerium non est istarum personarum, sed est Ecclesiæ.

DE SECVNDO.

HÆC parabola in genere est comminatio aduersus omnes ingratos omnium temporum, qui miscent humanos affectus ministerio Euangelij, et priuatis cupiditatibus prætexunt nomen Dei, nomen Euangelij, nomen Ecclesiæ. Sed tamen hìc plerunq; dicitur de uocatione gentium, de qua quoties dicitur, complectenda est doctrina Euangelij de gratuita remissione peccatorum. Ideo enim fit exæquatio gentium & Iudæorum, quia lex non meretur remissionem peccatorum: sed donatur reconciliatio propter Filium Dei gratis, Et hæc consolatio utraq; manu tenenda est, ut fide possimus inuocare Deum in uera agnitione Christi.

Exæquatio gentium & Iudæorum.

DE TERTIO.

HIc fit mentio denarij, & mercedis, ideo hunc locum aduersarij ualdè iactitant: Sed dum rixamur de meritis, & rixas sequuntur multa humana uicia, odium, studium quærendi humana præsidia, superbia, iniuriæ, fit ut primi fiant nouissimi, & bona caussa malè agendo corrumpatur. Ideo primùm commonefacti hac grauissima comminatione, reuerenter audiamus Euangelium, simus fideles in ministerio, simus patientes, & luceat fides nostra in professione fidei. Sed tamen refutemus modestè immodicas laudes meriti, quas non rectè ex hoc textu excerpunt.

De merito.

Ac satis apparet etiam ante hæc tempora, pijs uocabulum meriti multos scrupulos iniecisse, ideo erumpit Bernardus in hanc uocem, Sufficit ad meritum scire, quod non sufficiat meritum, hoc quid aliud est? quàm quòd oporteat credere propter Christum accipi uitam æternam, non propter nostra merita. Sicut aliàs ipse clarius dicit.

In accommodandis parabolis uidendum est, quæ sit principalis propositio, et cuius rei similitudo pingatur. Non enim semper singula membra congruunt ut hic genus conuenit: benè meriti postea insolentes, & ingrati ejciuntur, recipiuntur obsequentes & grati. Huius regulæ generalis imago pingitur, nec necesse est ipsa præmia similiter se habere, Sicut hìc dissimilitudo est, quia denarius datus est etiam ingratis:

Denarius in genere significat præmia.

tis: At uita æterna non datur his, qui hìc intelliguntur reijci. Non igitur quadrabunt membra, si ubique denarium de uita æterna interpreteris, Estq; præcipua collatio non in similitudine præmiorum, sed in similitudine ingratitudinis. Iudæi cùm fierent ingrati reijciuntur, nacti antea præmia, quæ data fuerant tum præsentia, tum perpetua. Nunc alij recipiuntur, ut grati ijs præmijs fruantur, quæ dabuntur. Hæc accommodatio generis est natiua sententia textus, urgere in singulis membris similitudinem, calumniosum est.

Ingrati nacti præmia reijciuntur.

Interpretatio denarij de ministerio Euangelij.

Cæterum & hoc modo contexi singula membra possunt: Vt paterfamilias dat denarium, ita Deus dat Euangelium Patribus, Prophetis, populo, tamen populus fit ingratus, quare reijcitur, & tandem retinet denarium, sed non fruitur eo, quia promissio non est irrita, quæ ad Iudæos & gentes pertinet, & prodesset Iudæis, si crederent, ut Roman. 11. capite disputatur, Communicatur autem gentibus Euangelium, quæ fiunt Ecclesia & populus Dei, si manserint grati. Nam eadem Parabola uniuersaliter minatur & Iudæis & gentibus, si accersant negligentiam, & contemtum Dei, & similes furores, sicut tunc Iudæi fecerunt. Hæc accommodatio satis concinna est.

Si quis autem non desinit urgere partem collationis, quia hìc tantum dicitur dari merces ijs, qui sunt grati, responderi potest ex hac ipsa similitudine. Primum.

Hìc

Hìc dari inæqualiter meritis, Ergo non tantum habetur ratio meritorum: Sed significare uoluit Christus, potius spectandam esse misericordiam Dei, quam nostra merita. Hoc fateri aduersarios necesse est. Mox autem hæc quæstio sequitur, Cum misericordia spectanda sit, an fiducia misericordiæ possit ex conditione meritorum pendere. Constat autem labefactari hanc fiduciam, si addatur conditio nostræ dignitatis, & nota est Pauli sententia, Ideo ex fide gratis, ut certa & firma sit promissio.

I. Denarius datur non propter meritum.

Deniq; concedo, usitatam phrasim legis esse de æterna uita, ut de mercede loqui, quia lex etiam de fide, tanquam de nostra iusticia loquitur, & tamen scimus fidem non esse fiduciam nostræ dignitatis, sed fiduciam misericordiæ Dei.

II. Quomodo uita æterna uocetur merces.

Postremò & hoc uerum est, uitam æternam, etsi datur propter Christum, tamen simul esse mercedem, quia compensat rectè facta. Minus esset disputationum de hoc uocabulo, si non inde nimis absurda extruxissent Monachi. Nam audita hac uoce mercedis, postea prorsus ut in humanis contractibus, finxerunt meritum, seu precium, dixerunt nostra bona opera esse legis impletionem, & pro hoc tanquam precio, id est, caussa sufficienti, & impellente uoluntatem Dei, deberi uitam æternam. Ita obliti sunt Euangelij de Christo, & de fide in Christum, sicut constat de hac fide, quæ est fiducia gratuitæ misericordiæ

IIII. Monachorum absurda de meritis.

propter Christum promissæ, silentium apud eos esse. Item affinxerunt absurdiora, quosdam abundare meritis, qui possint ea alijs applicare. Hæc portenta necesse fuit taxari, ideo de uocabulo aliquid disputandum fuit. Et his absurdis refutatis prudens facilè uidere potest, quatenus congruat uocabulum mercedis.

Causæ quæ hortantur ad rectè faciendum.

Hæc monuisse satis est. Sed simul ueras causas rectè faciendi colligamus, ne & nos inter ingratos istos, de quibus hîc dicitur, eijciamur. Sciamus puniri peccata horribilibus pœnis, præsentibus & futuris, Sciamus non posse Deum inuocari mala conscientia, Sciamus hominem desertum à Deo, obnoxium esse tyrannidi diaboli, sicut dicitur, Qui peccatum facit, ex diabolo est, Ideo fugiamus peccatum. Deinde & hoc sciamus, bona opera esse debita necessaria, & mereri ingentia præmia, in hac uita, & post hanc uitam, Et tamen manet hæc sententia, quòd propter aliud simus reconciliati, & hæredes uitæ æternæ, & quòd ita placeat obedientia, si offeratur in fide propter mediatorem.

Has causas benè operandi semper intueamur, & nos ad timorem Dei excitemus, in hoc cursu melius discemus res illas maximas intelligere, quàm in ocijs rixis, & tunc rei magnitudo aliquo modo conspicitur. Iudicari de uocabulis facilè potest, & qui uidet aliquo modo magnitudinem infirmitatis humanæ, & immundiciei, facilè intelligit præconia meriti inania esse: Et rursus, qui intelligit placere Deo obedientiam

entiam propter Filium, intelligit compensari nostra benefacta immensis præmijs amplioribus, quàm meriti ratio, etiamsi qua esset, posceret.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

EVANGELIVM, Lucæ 8.

CVM autem turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent

ad eum, dixit per similitudinem. Exijt qui seminat seminare semen suum. Et dum seminat, aliud quidem cecidit secus uiam, & conculcatum est, & uolucres cœli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram, & natum exaruit, quia non habebat humorem. Et aliud cecidit in terram bonam, & ortum, fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat, Qui habet aures audiendi, audiat.

Interrogabant autem eum discipuli eius dicentes, quæ esset hæc Parabola. Ille autem dixit, Vobis datum est, nosse mysteria regni Dei, cæteris autem in Parabolis, ut uidentes non uideant, & audientes non intelligant.

Est autem hæc parabola, Semen est uerbum Dei, Qui autem secus uiam, hi sunt, qui audiunt, deinde uenit diabolus, & tollit uerbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Qui autem supra petram, hi sunt, qui cum audierint, cum gaudio, suscipiunt uerbum,

bum, Et hi radices non habent, qui ad tempus credunt, sed in tempore tentationis recedunt. Quod autem inter spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus, & diuitijs, et uoluptatibus uitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi sunt, qui corde syncero & bono audientes uerbum, retinent, & fructum afferunt in patientia.

Nemo autem lucernam accendens, operit eam uase, aut subter lectum ponit, sed super candelabrum ponit, ut intrantes uideant lumen. Non est enim occultum, quod non manifestetur, neq; absconditum, quod non cognoscatur, & in apertum ueniat. Videte ergo, quomodo audiatis, Qui enim habet, illi dabitur, & quicunq; non habet, etiam quod putat se habere, auferetur ab illo.

Summa Euangelij & principalis propositio est consolatio de Ecclesia, quòd certò sit aliqua Ecclesia, ubicunq; docetur Euangelium. Est & consolatio aduersus scandalum paucitatis credentium. De Ecclesia.

Deus per Euangelium efficax est.

Est ergò primus locus. Euangelium nunquam prorsus est sine fructu, sed semper in aliquibus est efficax, ut testatur Esaias 55. Non reuertetur uerbum ad me uacuum, sed faciet quæcunq; uolui.

Secundus. Semper in eo cœtu, ubi est uera doctrina, necesse est aliqua esse uera membra Ecclesiæ, quia uerbum Dei, non est sine fructu, & necesse est aliquam esse Ecclesiam. Hæc non est defendentium impias opiniones, ergò necesse est eam in altero cœtu esse.

Tertius. Cum Ecclesia sit exigua, sicut inquit Esaias, Nisi Deus reliquisset nobis semen, essemus sicut Sodomæ: animi multorum dubitant, an sit aliqua Ecclesia Dei, an Deus adhuc exaudiat, præstet promissa. Aduersus id scandalum confirmat nos hæc Parabola, præcipit ut credamus esse Ecclesiam, & uerè Deum exaudire, & præstare promissa Ecclesiæ. Et

Terra bona.

testatur illos bonam esse terram, qui non deficiunt ab Euangelio.

Caussæ defectionis ab Euangelio.

Quartus. Modos recenset deficientium, Vbi diligenter obseruandum est, quòd non tantùm enumerat uulgaria peccata humanæ infirmitatis, ut inconcessos quæstus, & illicitas uoluptates, & metum persecutionis, sed addit alias obscuras tentationes, uidelicet cum diabolus excutit animis rectam sententiam, & instillat Epicureas opiniones, uel alias. Aduersus has insidias oportet pios esse uigilantes.

Habenti dabitur.

Quintus. Dulcissima consolatio proposita est in dicto, Habenti dabitur: quod uidelicet infirmos Deus

us recipiat, quòd uelit eos prouehere, quod initia non contemnat. Sicut alibi dicitur, Linum fumigans non extinguet. Item Paulus de infirmis, Deus eos recepit. Sunt autem habentes, qui habent initia pœnitentiæ, & hos ipsos hîc uocat bonam terram, scilicet non deficientes à uerbo Dei, quia supra enumerauit deficientes.

Sextus. Traditur & doctrina, qua præcipit ut studeamus proficere, ut simus habentes, ut retineamus uerbum, quod sine cura, & sine dimicatione fieri non potest.

Gradus fructuum.

Septimus. Gradus sunt piorum, alij fructum faciunt centuplum, &c. quod generaliter intelligendum est, de donis singulorum, & de ministerijs, ut Ioseph copiosiorem fructum tulit, quam reliqui fratres, hoc est, & donis excelluit, & plures conuertit. Estq; præcipuus fructus confiteri & docere, sicut Christus inquit, Sic Pater cœlestis glorificabitur, si eritis mei discipuli, & copiosiorem fructum feretis, id est, propagabitis & conseruabitis Euangelium.

Pœnæ contenti Euangelij, cœcitas & obstinacia.

Octauus. Comminationes multæ hic propositæ sunt aduersus contemtores uerbi Dei, & persecutores. Mirum est enim, qui fiat, ut tanta pertinacia agnitam ueritatem oppugnent. Hîc autem admonemur, ne illorum pertinacia uel iudicijs frangamur, quia prædictum est, tales aliquos fore hostes ueræ Ecclesiæ, qui uidentes, tamen sunt cœci futuri. Quare fugiendi sunt pertinaces illi hostes Euangelij, & con-

tra erigendæ mentes, ut retineamus uerbum Dei, simus bona terra, feramus aliquem fructum, unusquisque in sua uocatione.

EADEM DOMINICA Sexagesimæ.

EVANGELIVM, Matth. 13.

PRIMVS locus, Imago Ecclesiæ, quæ admonet & confirmat pios, & obiurgat ignauos:

II. De incrementis piorum, & excœcatione contemnentium & prosequentium.

III. Quomodo patres nouerint regnum Christi.

IIII. De multiplici fructu.

DE PRIMO.

Contra scandalum paucitatis credentium.

MVlta offendunt infirmos animos, paucitas piorum, quotidianæ desertiones & perfidiæ. Aduersus hæc scandala teneamus consolationem in hac imagine propositam, quæ admonet futuram talem confusionem, & dissimilitudinem in Ecclesia, erigamus nos, ne propter aliorum lapsus, & ipsi deficiamus.

Causæ & modi defectionis ab Euangelio. Præstigiæ

Et causæ confusionis & desertionis hîc recitantur, Prima est obscurior cæteris, sed communior & potentior, uidelicet cum præstigijs diaboli capiuntur animi, & excutitur uerbum Dei, sicut Eua primùm seducta

seducta est, ita plurimi sapientes fiunt Epicurei, aut Academici, aut Hæretici, quibus diabolus offert aliquam falsam persuasionem, ac deinde implicatos & irretitos tenet & urget, sicut uidemus quomodo paulatim Euam euerterit. Has insidias sæpè Paulus describit, & uocat tela ignita.

diaboli, quibus uerbum ex cordibus rapitur.

Habet autem hæc ætas plurima & uaria exempla, partim propter ingeniorum petulantiam, quæ crescit, partim, quia diabolus postremo tempore sentiens breui affuturum esse iudicem rabiosius grassatur. Ideo iam plures sunt ἄθεοι, & monstrosiores sectæ oriuntur, ut deliria Anabaptistarũ multiplicia.

Cogitemus igitur uigilandum esse, ac repugnandum insidijs diaboli, qui miras quærit occasiones, quibus pertrahat animos in errores, & ad defectionem, &c. Ac dicto Petri excitemur. Vigilate, quia aduersarius uester tanquam leo rugiens circumit.

Reliquæ causæ desertionis minus sunt obscuræ, ut metus suppliciorum, immoderatæ solicitudines retinendarum opum, imperij, dignitatis.

DE SECVNDO.

De incremento piorum.

VAldè utilis doctrina hîc traditur, de incrementis piorum. Lucæ 8. Videte quomodo audiatis, Habenti enim dabitur, & à non habente, quod uidetur habere, auferetur. Discamus igitur exercenda esse dona spiritualia, quia in his exercitijs crescunt, sicut

Habenti dabitur.

sicut alibi Paulus inquit, Qui fideliter seruiunt confirmantur in fide. Et Augustinus, Dilectio meretur incrementum dilectionis. Ideo Christus inquit, Si possunt homines bona dare, quantò magis Pater uester qui in cœlis est, dabit Spiritum sanctum petentibus: quod significat non ociosis, non securis, non contemnentibus, sed audientibus uerbum Dei, cupientibus obedire, & petentibus auxilium.

Mandatum ut petamus incrementa Spiritus.

Extant promissiones, extant mandata, quæ iubent petere, ergò uult dare, & cumulare dona, sicut & precatio ipsa testatur, quam Christus tradidit.

Summa precationis Dominicæ.

Sanctificetur nomen tuum, id est, da ut uerè agnoscamus Deum, uerè inuocemus, tolle idolatriam, & omnes impias opiniones. Adueniat regnum tuum, id est, rege tu nos Spiritu sancto, non concedas regnum Diabolo. Fiat uoluntas tua, sicut in cœlo obtemperant Angeli, & suum quisq; facit officium, ita fac ut in terra obtemperent tibi omnes doctores, principes, gubernatores, priuati, suo quisq; loco, tolle omnia scandala gubernatorum & aliorum, quæ offendunt tuam uoluntatem. Da panem quotidianum, id est, omnia corporis commoda, pacem, annonam, bonum regimen. Remitte debita, ne sinas nos succumbere diabolo in tentationibus. Libera nos ab omnibus malis, & traduc in uitam æternam.

Hîc uidemus præcipere Christum, ut omnis generis bona, spiritualia & corporalia petamus, & hæc cumulare uult petentibus, & exercentibus. Additur autem

autem & hîc comminatio contra negligentes. Vt uidentes non uideant. Item, à non habente, quod uidetur habere, auferetur, id est, contemtores punientur cœcitate, & multiplici amentia.

Pœna negligentiæ.

DE TERTIO.

Vestri autem beati oculi, &c.

Beati oculi qui uident, &c.

CHristus inquit de Abraham, Abraham uidit diem meum & lætatus est, ita omnes sancti ab initio mundi saluati sunt fide uenturi liberatoris, quem norant promissum esse, & alij habuerunt lucem clariorem alijs. Quòd autem hîc dicuntur non uidisse, intelligatur tantùm de conuersatione corporali. Hanc incoationem regni patres mirati sunt, & certè coràm cupiebant audire prædicantem, cupiebant uidere suum dominum, cupiebant crescere agnitionem sui domini.

DE QVARTO.

DIuersi fructus significant, alios excellere alijs donis. Item, in singulis uocationibus alios plus laborare alijs, ut Paulus pluribus prædicauit, quàm aliquis alius.

DOMI-

DOMINICA QVINQVAGESIMAE.

EVANGELIVM, Lucæ. 18.

ASsumsit autem Iesus duodecim, & ait illis, Ecce ascendimus Hierosolymam, & consummabuntur omnia quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis, Tradetur enim gentibus & illu-

& illudetur, & contumelijs afficietur, & conspuetur. Et postquam flagellauerint, occident eum, & die tertia resurget, Et ipsi nihil horum intellexerunt, & erat uerbum istud absconditum ab eis, & non cognoscebant quæ dicebantur.

Factum est autem, cum appropinquaret Hiericho, cœcus quidam sedebat secus uiam mendicans. Cum autem audiret turbam prætereuntem, sciscitabatur, quid hoc esset. Annunciauerunt autem ei, quòd Iesus Nazarenus transiret. Et clamauit dicens, Iesu fili Dauid miserere mei. Et qui præibant, increpabant eum ut taceret. Ipse uerò multò magis clamabat, Fili Dauid miserere mei. Stans autem Iesus iussit illum adduci ad se. Cum autem appropinquasset, interrogauit illum dicens, Quid tibi uis faciam? Ac ille dixit, Domine, ut respiciam. Et Iesus dixit ei, Respice, fides tua te saluum fecit. Et confestim respexit, & sequebatur illū glorificans Deum,

Deum, & omnis plebs ut uidit, dedit laudem Deo.

Cœcitas humana de regno Christi.

PRimus locus est de cœcitate humana, quæ fugit crucem, & de Christo & de Ecclesia, propter crucem, secus iudicat. Sicut Apostoli & Iudæi expectabant Messiam, qui eis daret opes & imperia, non qui augeret miseriam. Sic prophani non iudicant hunc ærumnosum cœtum esse Ecclesiam, quem Reges & Principes persequuntur. Ideo Euangelium toties nos admonet, oportere Ecclesiam similem esse Filio Dei. Sicut ab initio subiecta fuit afflictionibus, ut exempla Abel, Isaac, Iacob, Ioseph,, Esaiæ, Hieremiæ, & similium testantur. Talis semper est Ecclesia sicut in Paradiso prædictum est, Et serpens calcaneum eius mordebit.

Infirmitas & errores sanctorum.

Secundus, Quòd Ecclesia habeat errores & infirmitatem, testatur hæc imbecillitas Apostolorum, qui tum nondum persuaderi poterant, Christum tam atrocia & indigna passurum esse, Estq; consolatio, quòd Deus etiam infirmos, qui tamen sunt dociles, non aspernatur, sicut Paulus inquit de infirmis, Deus eos recepit.

Tertius, Accommodatio fiat ad nos ipsos. Hæc misera natura est sub peccato, ideo morti & multis ingentibus calamitatibus subiecti sumus, & iudicium à domo Dei incipit. Porrò cum sumus in afflictionibus, cogitamus nos abiectos & desertos esse. Hic

Ecclesiam oportet subiici cruci.

discamus

discamus ex Euangelio iudicare de his ærumnis, discamus hanc oportere esse formam Ecclesiæ, imponi ærumnas, ut agnoscamus peccatum, & quæramus liberatorem. Sicut inquit Paulus, Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut omnium misereatur. Item, Venite ad me omnes, qui laboratis. Item, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

SECVNDA PARS de Cœco.

Exemplum fidei in cœco.

COEcus fide impetrat uisum, & constantiam fidei tantam præstat, ut non desinat clamare, etiam alijs eum obiurgantibus. Hoc exemplum, ut pleraq; alia, uidelicet Centurionis, Cananæa, & aliorum, pertinet ad hunc præcipuum locum, docet qualis liberator sit Christus, docet item de fide. Nam hunc cultum ratio & lex non docent, sed est proprius Euangelij. Ideo toties proponitur, ut nos quoq; eum exercere discamus, & Christo præstare.

Sicut hic cœcus, sicut Cananæa petunt fide sanationem propter hunc Dominum, nec deterrentur ab eo conspectu suæ indignitatis: ita & nos confugere ad hunc Dominum, fide petere & expectare necessaria beneficia debemus. Hic est præcipuus cultus, & proprius sanctorum seu Ecclesiæ, & huc omnes tales sententiæ pertinent. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Item, In ipso gentes sperabunt.

Præcipuus cultus piorum.

Exercere fidem in inuocatione.

Huc congerantur omnia exempla in Euangelio, ubi Christus suo testimonio fidem prædicat. Fides tua saluam te fecit. Et hæc ipsa exempla testantur, Christum esse talem liberatorem, cui hæc natura, mors & peccatum subiecta sint, qui sit liberaturus nos à ueris & æternis malis, à quibus nemo alius princeps liberare potuit. Et sic sentit cœcus de hoc Domino, cum uocat eum filium Dauid, id est, Meßiam promissum Dauidi, & petit reddi uisum, quod nemo præstare poterat, nisi talis Dominus, cui hæc natura rerum subiecta sit.

DOMINICA
INVOCAVIT.

EVANGELIVM,
Matth: 4.

TVnc Iesus ductus est in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Et cum ieiunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens ad eum tentator, dixit. Si filius Dei es, dic ut lapides isti panes fiant. Qui respondens dixit, Scriptum est, Non in solo pane uiuit homo, sed in

in omni uerbo quod procedit de ore Dei.

Tunc assumsit eum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum supra pinnaculum templi, & dixit ei, Si filius Dei es, demitte te deorsum, scriptum est enim, Quia Angelis suis mandabit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi Iesus, rursum scriptum est, Non tentabis Dominum Deum tuum.

Iterum assumsit eum Diabolus in montem excelsum ualde, & ostendit ei omnia regna mundi et gloriam eorum, & dixit ei, Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei Iesus, Vade Satana, Scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum Diabolus, Et ecce Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

I. Locus. Quòd non casu tentemur.

II. De tyrannide & insidijs Diaboli.

III. Quomodo liberetur homo ex seruitute, scilicet per filium Dei.

IIII. Victoria filij Dei prodest nobis, & sicut in sua persona uicit, ita uult in credentibus uincere insidias Diaboli, etsi uult nos quoque certare, ut experiamur auxilium.

V. Tres tentationes in persona Christi, sunt exempla tentationum Ecclesiæ, & persecutionum.

Primùm Ecclesia premitur inopia, & excruciatur à tyrannis.

Secundò laceratur à doctoribus impijs, qui dogmata spargunt sua audacia sine uerbo Dei.

Tertiò contaminatur manifesta Idololatria.

DE

DE PRIMIS QVATVOR LOCIS.

ETsi tot horribilia scelera, idolatriæ, libidines, cædes, bella, excidia regnorum & magnæ calamitates quæ sequuntur scelera, satis ostendunt grassari aliquem sæuum & potentem hostem aduersus genus humanum, tamen tantus est stupor hominum, ut hæc ducat leuia, & putet casu accidere. Sed doctrina Euangelij patefecit ueras caussas, ostendit Diabolum grassari aduersus genus humanum, & homines propter peccatum subiectos esse eius tyrannidi. Rursus etiam ostendit nobis liberatorem, qui cum Diabolo præliatur, Sicut Ioannes inquit: Filius Dei apparuit ut destruat opera Diaboli. Itaq; in summa de tentationibus tenendæ sunt hæ admonitiones, de caußis, & de liberatore. Diaboli tyrannis & insidiæ.

Certum est non casu accidere tanta hominum mala, Sed Diabolum odio Dei hostiliter grassari contra omnes, & insigni morsu sauciare singulos, Sicut initio Euam & Adam sauciauit. Quare suam quisq; uitam intueatur, & deprehendet aliquod insigne uulnus. Insidiosè pertrahit Diabolus uel ad scelus, uel ad calamitatem, ut inde pertrahat in desperationem, & blasphemiam. Has insidias consideremus, & discamus confugere ad ducem nostrum Christum filium Dei, qui præliatur aduersus Diabolum, Sicut initio in Genesi dictum est, Hoc semen conteret caput serpentis, quæ uox prorsus conuenit cum illo dicto Ioannis,

Filius Dei apparuit ut destruat opera Diaboli, id est, peccata, calamitates, mortem.

Certamina piorum aduersus diaboli insidias.

Hæc in summa hîc obseruanda sunt, ut præparemus animos, quia non leuia certamina subeunda sunt, in his luceat & exerceatur fides, & imploretur auxilium filij Dei, qui ideo uicit Diabolum in his tentationibus, ut ostendat se victorem fore, etiam in his prælijs, in quibus nos adoritur Diabolus.

V.

Christi tentationes.

DE Christi tentationibus cogitemus fuisse mirum quoddam insidiosum & uehemens certamen, & multò acrius & maius, quàm à nobis cogitari possit. Tentatus est aliàs sæpè, sed hæ tentationes nominatim describuntur, quia haud dubiè significant aliquid toti Ecclesiæ.

VI.

Prima tentatio.

De prima tentatione historiæ notæ sunt, tempore Apostolorum & Martyrum, corpora & facultates piorum semper erant in periculo, Idem solet accidere quandocunq; mouentur certamina de doctrina, ut nunc, Et hæc tentatio sub Turcica tyrannide recrudescit. Hîc insultat Diabolus multorum animis, Si

Corporalia pericula & ærumnæ Ecclesiæ.

filij Dei estis, si Deo seruitis, scilicet uictitandum uobis erit ex lapidibus. Est enim ironia obijcientis inopiam, famem, & alias miserias exprobrantis.

Hîc quærendæ & opponendæ sunt consolationes. Primùm

Primùm sciamus mansuram esse Ecclesiam, & non posse euerti à portis inferorum. Deinde sciamus inuocantes Christum habituros esse auxilium, iuxta hoc dictum, Filius Dei apparuit, ut destruat opera diaboli. Item, non in solo pane uiuit homo, id est, Ecclesia alitur, conseruatur, defenditur nõ tantum communibus, & uisibilibus auxilijs & modis, sed etiam diuinis, quæ non perspicit ratio, Si tamen Ecclesia maneat in agnitione uerbi Dei, non deficiat à uerbo Dei. Psalmus inquit, Scitote quòd mirificat Dominus sanctum suum. Ita, etsi iam non uidemus, qualis sit futura Ecclesia, etiamsi Turci tota Europa potirentur, tamen si retinebimus uerbum Dei, curæ erit Deo, ut habeamus defensionem.

Consolatio de defensione & liberatione diuina.

Cæterùm hæc doctrina etiam singulis accommodanda est, unusquisq; in sua inopia, in suis periculis cogitet, se solis humanis consilijs non posse tueri uitam, uocationem, statum. Sed petendum & expectandum esse auxilium diuinum, ut in fide & inuocatione Dei uiuamus. Sed pauci sic uiuunt, omnes quærunt opes, ut habeant certa auxilia in conspectu, & in promtu, & ridetur doctrina Christi: Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis.

VII.

DE SECVNDA.

ORdo historiarum ostendit post corporales uexationes accessisse hæreses, sicut hîc aptè significatur.

Hæreses secutæ corporales tentationes.

ficatur. Stans in fastigio templi, est aliquis excellens doctrina, Is se deijciens, id est, spargens dogma sine uerbo Dei, tentat Deum. Tales fuerunt, sunt et erunt plurimi, sed tunc erant, Ebion, Cerinthus, Marcion, Manes, Samosatenus, Arius, Pelagius, & similes.

Tentare Deumquid.

Tentare Deum proprie, est certare cum Deo fiducia propriæ sapientiæ, iusticiæ, & uirium, & nolle regi ipsius Dei uerbo, ac ordinatione & uocatione. Sed his spretis aliud quærere, fiducia nostræ sapientiæ, quod nobis magis placet. Vt humana sapientia Pontifices mandarunt cœlibatum: Samosatenus corrupit doctrinam de filio Dei, & quærebat aliud concinnius. Pseudoapostoli quærebant humano iudicio aliquid plausibilius, cum legem abrogari nollent. Ideo dicit Petrus: Quid tentatis Deum? id est, fiducia uestræ sapientiæ & humanarum rationum certatis cum Deo, disceditis ab eius uerbo. Et postea Pontifices profectò horribiliter tentauerunt Deum multis prauis dogmatibus, de abusu Sacramentorum, de ignoratione fidei, & ueræ inuocationis, de monasticis cultibus.

VIII.

DE TERTIA.

Idololatria inuecta in Ecclesiam

Postrema tentatio est regni caussa manifestam idololatriam constituere, & defendere. Sicut utrunq; regnum Papæ & Mahometi habet præcipuos neruos, tetram idololatriam. Præmonet igitur nos Christus ut hæc regna postrema oppressura Ecclesiam,

am, iudicare discamus, & uitemus idololatrias, & non defugiamus certamina, & significatur exitus certaminum.

DOMINICA
REMINISCERE.

EVANGELIVM,
Matth. XV.

ET egressus inde Iesus, secessit in partes Tyri & Sidonis, Et ecce mulier

Cananæa à finibus illis egressa, clamauit ad eum dicens, Miserere mei domine fili Dauid, filia mea ā dæmonio male uexatur. Ille autem non respondit ei uerbum. Et accedentes discipuli eius rogabant eum dicentes, Dimitte eam quia clamat post nos. Ipse autem respondens ait, Non sum missus nisi ad oues quæ perierunt domus Israel.

At illa uenit et adorauit eum dicens, Domine adiuua me. Ille autem respondens ait, Non est bonum sumere panem filiorum, ac proijcere catellis. At illa dixit, Etiam Domine, Sed enim & catelli edunt de micis quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens Iesus, ait illi, O mulier, magna est fides tua, fiat tibi sicut uis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Loci præcipui tres sunt.

I Locus, De *miraculis.*
II. De *tentationibus quæ obstrepunt precanti.*
III. De *fide & præcipuo cultu.*

DE

DE PRIMO.

PRImum hîc generalis doctrina repetenda est, quòd miracula sint testimonia, hunc doctorem uere missum esse à Deo. Item, quòd hic doctor sit Dominus, & promissus Saluator, qualem se prædicat, destruens opera Diaboli, peccatum, tyrannidem Diaboli & mortem. Testimonia miraculorum.

DE SECVNDO.

PEculiaris imago hîc proponitur. Nusquam adeo duriter præterit, aut reijcit preces ortas ex uero & magno dolore, ut hic. Et duo obijciuntur, Primùm, quod non sit ex Israel. Secundò, quòd sit indigna, ut canis. Ex his tentationibus ipsa tamen eluctatur, & tandem fide impetrat, quod petit. Hîc igitur discamus singulorum animos oppugnari similibus tentationibus: Nec propterea fidem abijciendam esse, sed potius erigendam inter hos fluctus. Tentationes oppugnantes inuocationem.

Sunt autem duæ præcipuæ tentationes, Altera de indignitate, Altera de electione. Prior ex lege oritur. Semper enim clamitat lex in conscientijs nostris, Deum respicere, exaudire, saluare dignos, iustos. Nos uerò iniustos, indignos, pollutos, & abiectos esse sicut canes. Huic tentationi debet opponi doctrina Euangelij de gratuita iustificatione, & de exclusiua, Gratis, & colligi testimonia quæ ostendunt indignos, iniustos recipi. Rom. 3. Gratis iustificamur fide. Item, Beati quorum remissæ sunt iniquitates. Item, Tibi Tentatio de indignitate

Doctrina Euangelij opponenda.

sum

sum tantum peccator. Item, hoc loco conferri debent peccatum & gratia, Sicut paulus confert Rom. 6. Gratia exuberat supra peccatum. Pluris fiat filius Dei, & sacrificium filij Dei, quam nostrum peccatum, ut statuamus nobis ignosci, remitti peccatum, & incipiamus obedire Deo. Hæ sunt firmæ & ueræ consolationes contra tentationem de indignitate.

II. De electione.

ALTERA concurrit de electione, Quia homines, cum uideat reijci multos benè meritos ut Saulem, Augustum, Ciceronem, & recipi longè deteriores, ut Magdalenam, Latronem in cruce, &c. disputant de particularitate, uidelicet, Deum habere quendam catalogum eorum, quos uelit saluos facere, cæteros uerò negligi, sicut canes. Ita tribuunt Deo inæqualitatem, quod reipsa est accusare eum tyrannidis. Hæc est durissima tentatio.

Sed huic tentationi opponenda est doctrina, quòd promissiones sunt uniuersales. Et diligenter uniuersales colligendæ sunt, ut Ioan: 3. Vt omnis qui credit in filium, non pereat. Item, Venite ad me omnes. Item, Roman: 10. Deus est idem omnibus, diues in omnes inuocantes se.

Consolationes opponendæ.

Huc adiungatur mandatum immutabile, & quòd longè positum est supra omnes leges, uidelicet, quod præcipit, ut omnes credant filio Dei, & huic mandato necesse est omnes obtemperare. Nec nos quærere aut scrutari uoluntatem Dei debemus, sepositio hoc mandato, & reiectis promissionibus. Et cum Christus

stus dicat, Ego sum uia, ueritas, & uita. Item, Qui uidet me, uidet et Patrem, uoluntas Dei necessariò quærenda est in Filio nobis donato, & Euangelio, quod filius Dei ex sinu Patris protulit.

Has consolationes meminerimus, ut habeamus firmas refutationes illarum tentationum, quæ plurimorum animos exercent, & quotidiè in inuocatione proferamus has consolationes. Nam si inspexeris animum tuum, uidebis te his duabus tentationibus impediri, ne inuoces, quia cogitas te indignum esse, Item, cogitas Deum suos quosdam elegisse, te uerò negligi. Et accedunt huc humana argumenta, quia non sumus pares Abrahæ, Eliæ, Eliseo, Danieli, & similibus, sumus imbecilles, sine magnis donis, sine autoritate, ideo negligi nos iudicamus, et desperatione quadam omittimus inuocationem.

Exemplum magnæ fidei in Cananæa.

Sed hìc debemus intueri animis doctrinam Euangelij, quæ præcipit de fide, sicut iam dictum est, Debemus etiam intueri hanc Cananæam magistram, quæ refutata indignitate, & particularitate, ratiocinatur promissiones non tantum ad Israël pertinere, sed etiam ad gentes. Canes, inquit, edunt de micis. Ita excitata fide inuocare Deum in agnitione filij eius debemus. Et hæc fides ac inuocatio in his qui agunt pœnitentiam, est summus cultus Dei, & præcipuus Ecclesiæ, sicut dicitur. O mulier magna est fides tua. Et hanc non esse irritam, sed impetrare bona, hæc ipsa

uox teſtatur,Fiat tibi ſicut uis. Iuxta illud,Petite,& accipietis.

Proponitur ergo nobis in hoc Euangelio exemplum fidei eluctantis ex grauiſſimis tentationibus,& bona impetrantis,ut nos quoq; diſcamus uincere diffidentiam,excitare fidem,& inuocationem. Nec habemus minores cauſſas,quam hæc Cananæa, quæ laborat de filia ſua,ſic & nos de noſtris neceſſitatibus, et de publicis.

DOMINICA
OCVLI.

EVANGELIVM,
Lucæ XI.

ET erat eíjciens Dæmonium,& illud erat mutum. Factum eſt autem egreſſo dæmonio,locutus eſt mutus,& admiratæ ſunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt,In Beelzebub principe dæmoniorum eíjcit dæmonia. Alíj autem tentantes ſignum de cœlo quærebant ab eo. Ipſe autem ſciens cogitationes eorum,dixit eis, Omne regnum contra ſeipſum diuiſum,deſolabitur,& domus

domus ſupra domum cadet. Si autem & Satanas contra ſeipſum diuiſus eſt, quomodo ſtabit regnum eius, quia dícitis,in Beelzebub me eíjcere dæmonia.Si autem ego in Beelzebub eíjcio dæmonia, filíj ueſtri in quo eíjciunt? Ideo ipſi iudices ueſtri erunt. Si autem in digito Dei eíjcio dæmonia,profecto peruenit in uos regnum Dei.

Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum,

suum, in pace sunt ea quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens uicerit eum, uniuersa arma eius aufert, in quibus confidebat, & spolia eius distribuit. Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.

Cum immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens, dicit, Reuertar in domum meam, unde exiui. Et cum uenerit, inuenit eam scopis mundatam & ornatam, tunc uadit, & assumit septem alios spiritus, nequiores se, et ingressi, habitant ibi. Et fiunt nouissima hominis illius peiora primis.

Factum est autem cum hæc diceret, extollens uocem quædam mulier de turba, dixit illi, Beatus uenter qui te portauit, & ubera quæ suxisti. At ille dixit, Quinimo, beati qui audiunt uerbum Dei, & custodiunt illud.

PRIMVS *locus, Disputatio principalis est de miraculis.*

II. De

II. *De blasphemis, & de medijs, seu naturalibus.*
III. *Doctrina de timore Dei, contra securitatem, quæ sequi solet liberationem.*

DE PRIMO.

FVerunt omnibus temporibus inde usq; ab initio mundi, & Ecclesiæ & impiorum aliqua miracula, ut apud Ethnicos sæpè spectra aliquid denunciarunt. Item, Statuæ locutæ sunt, Item Calchas prædixit fore, ut primùm decimo anno Troia caperetur. Quæri igitur potest, Si doctrina ex miraculis iudicanda est, utra est uera? Respondeo, Vera discernuntur à falsis dupliciter, Primùm impossibilitate, secundò finibus. Discrimen miraculorum falsorum & uerorum.

Primùm enim habet Ecclesia quædam propria miracula quæ diabolus non potest imitari, ut resuscitationem mortuorum, sistere cursum Solis, anum sterilem & effœtam, efficere fœcundam. Hæc & similia sunt solius Ecclesiæ, & sunt impossibilia diabolo. Ideo miracula Ecclesiæ anteferenda sunt Ethnicis, & sunt certa & firma testimonia doctrinæ diuinitus traditæ. His annumerandum est, quòd & hîc traditur, eijcere repugnantem diabolum. Etsi enim diabolus interdum quasi colludens, cedit etiam præstigiatoribus & impostoribus, tamen hæc eiectio, quam Christus & Apostoli faciebant, erat dissimilis. Eijciebant enim repugnantem, non colludentem, quia toties clamitat diabolus, se ante tempus cruciari. Rectè igitur argumen- Miracula Christi non imitabilia Diabolo.

tatur Christus, Eijcio diabolum repugnantem, & inuitum, & ubiq; eijcio, quamuis atrociter sæuientem, Ergo eijcio diuina potentia superante diabolum repugnantem.

Finis uerorum miraculorum & falsorum.

Secundum discrimen sumendum est à finibus. Finis miraculorum diaboli, est regulariter alicuius erroris aut sceleris confirmatio: Econtra finis miraculorum Ecclesiæ, est confirmatio ueri cultus, et consentit cum uerbo iam ante reuelato, de uero cultu, & filio Dei: Vt uaticinia Tiresiæ, aut Calchantis, quos fines habebant? Iubebant mactare humanas hostias, & confirmabant præsentem idolomaniam. Cum autem hi errores sint manifesti furores, et quidem multa alia uitia Ethnicorum stabilirent, satis apparet hæc miracula non esse diuina. Talia miracula fiunt etiam nunc in inuocatione mortuorum, ut confirmetur impietas & error.

Hæc discrimina miraculorum diligenter obseruanda sunt, ut confirmemus animos nostros testimonijs uerorum miraculorum, & discernamus ea à præstigijs. Magna est enim diaboli potentia, & multos offundit errores humanis mentibus: & omnibus temporibus confirmauit impias superstitiones prodigiosis quibusdam euentibus. Ideo muniendi sunt pij firmis testimonijs, ut Moyses superabat Magos, sic Ecclesia superat diabolum dupliciter. Habet quædam propria miracula, quæ imitari diabolus non potest. Item, refert ea non ad stabilienda scelera, sed ad confirmandam ueram agnitionem Dei, & consentientem cum uerbo Dei tradito. Has regulas memineri-

mus.

DE SECVNDO LOCO.

De peccato irremissibili.

DIcitur hic quoddam peccatum non remitti: Nec opus est à priori definire, quodnam sit, Quia nos habemus mandatum, ut agamus pœnitentiam, & credamus omnia peccata remitti. Huic regulæ necesse est obtemperare, quia uniuersaliter uera est sententia: Gratia exuberat supra peccatum. Item, Et ipse est propiciatio pro peccatis nostris, non pro nostris tantum, sed pro peccatis totius mundi. Sed manifestum est quosdam mordicus tenere perpetuum contemtum, uel odium Christi, etiam contra conscientiam. Hi nec uolunt oblatam remissionem accipere, nec uolunt credere, sed aut securi superbissimè derident Euangelium, aut furenter oderunt. De his à posteriore iudicemus, habere eos peccatum contra Spiritum sanctum, Quia in illo perpetuo contemtu, uel odio Christi discedunt, & ruunt in æternam iram, sicut Iudas, & similes.

Et hic utriq; complectendi sunt, hostes, qui contra conscientiam Euangelium oppugnant, & medij, qui superbè contra conscientiam derident omnes religiones, De his dicit, Qui non est mecum, dispergit. Tales enim plurimi sunt. Tales sunt etiam, qui sibi suo arbitrio fingunt religiones, & sumunt ex Euangelio quod libet, quod non libet reijciunt.

DE TERTIO.

Concio de retinendo timore Dei.

Postquam Christus de rebus maximè arcanis, & sublimibus contra aduersarios superiora dixit, iam uertit sermonem ad Ecclesiam, cui concionatur de timore Dei, quasi dicat, Maior est potentia diaboli, quam uos intelligitis, maior ira aduersus blasphemiam, quam cogitare potestis. Iam igitur uos præmoneo, ut agnito Euangelio, & consecuti liberationem, retineatis timorem Dei, quia multi post liberationem fiunt securi & ocioſi: & ocium alit ac incendit prauas cupiditates, sicut scriptum est, Incrassatus est seruus meus, & recalcitrauit. Item, Sedit populus manducare & bibere, & surrexit ludere. Et Sodoma sexennio, aut circiter, postquam hostes diuinitus profligati erant per Abraham, cepit ruere in horrenda uicia. Et in Matthæo nominatim dicitur de ocio. Inuenit domum uacantem, &c. Ideo excutiamus securitatem propositis exemplis, quæ ostendunt, quæ uicia, & quæ pœnæ post securitatem secutæ sint.

DOMINICA
LÆTARE.

EVANGELIVM,
Ioan: 6.

post

POst hæc abíit Iesus trans mare Galilęæ, quod est Tyberíadis, & sequebatur eũ turba multa, quía uidebant eíus signa, quæ faciebat super his, qui infírmabantur. Subíit autem ín montem Iesus, & ibi sedebat cum discípulis suís. Erat autem proxímum Pascha, dies festus Iudæorum. Cum subleuasset ergo oculos Iesus, & uidísset quod turba multa ueníret ad se, dicit ad Philíppum, Vnde ememus panes, ut manducent

hi? Hoc autem dicebat, tentans eum. Ipse enim sciebat quid esset facturus.

Respondit ei Philippus, Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; eorum modicū quid accipiat. Dicit unus ex discipulis eius, Andreas frater Simonis Petri, Est puer unus hic, qui habet quinq; panes ordeaceos, & duos pisces. Sed hæc quid sunt inter tot?

Dixit autem Iesus, Facite homines discumbere, Erat autem fœnum multum in eo loco. Discubuerunt ergo uiri, numero quasi quinq; millia. Accepit autem Iesus panes, & cum gratias egisset, distribuit discipulis, discipuli uero discumbentibus. Similiter & ex piscibus quantum uolebant.

Vt autem impleti sunt, dicit discipulis suis, Colligite quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinq; panibus ordeaceis, quæ superfuerant his, qui manducauerant. Illi ergo homines, cum uidissent, quod Iesus fecerat signum, dicebant, Quia hic est uerē ille Propheta, qui uenturus est in mundum. Iesus ergo cum cognouisset, quod uenturi essent, & rapturi ipsum, ut facerent eum regem, secessit iterum in montem ipse solus.

I. Locus. *Consolatio contra curam uictus & defensionis.*

II. *Exemplum de præmijs liberalitatis.*

III. *Præceptum de parsimonia, Colligite reliquias, ne pereant.*

IIII. *Allegoria, Cum doctores pascunt Ecclesiam docendo, agitatione fit illustrior doctrina: & reliquiæ diligenter & cum delectu asseruandæ sunt.*

DE PRIMO.

IOannes Baptista interfectus est secundo anno prædicationis Christi, & post necem eius, cum Herodes etiam insidiaretur Christo, secesit aliquātisper Christus. In hoc secessu, cum haud dubiè Apostoli uiderent suam uitam in periculo esse, ac metuerent uel supplicia, uel exilia & famem. Hic Christus mœstis ostendit aliquam consolationem, ut sæpè fit in Ecclesia, & exemplum proponit huius regulæ: Primum quærite regnum

Consolatio de uictu & defensione Ecclesiæ.

regnum Dei,& cætera adijcientur uobis. Item, Pietas habet promißiones præsentis uitæ,& futuræ. Item Psalmi dicunt, Non est inopia timentibus eum. Item, Saturabuntur in die famis. Vult nos Deus primùm quærere regnum Dei, id est, doctrinam cœlestem, & huic obedire,& in uocatione fideles esse. Postea, etsi uult Ecclesiam subiectam esse cruci, tamen non sinit eam penitus deleri, sed conseruat corpus, dat uictum, dat aliquem nidum, dat œconomias, dat politias, defendit & liberat Ecclesiam mirabilibus modis, etiam destitutam humanis præsidijs: Sicut exempla Abrahæ, Isaac, Iacob, Ioseph, ostendunt.

Idem docet historia huius textus, quæ nos de promißione admonet, & consolatur in similibus periculis, ut iam, etsi Diabolus in Turcis, & alijs Tyrannis, & principibus minitatur se funditus deleturum esse Ecclesiam, tamen obediamus Christo, & expectemus defensionem à Christo, qui mirando aliquo euentu seruabit reliquias Ecclesiæ, Sicut dixit, Ero uobiscum usq; ad consummationem sæculi. Et quidem uult Christus nos exercere fidem, & inuocationem, in his corporalibus periculis.

DE SECVNDO.

Præmia liberalium eleemosynarum.

Post distributionem superest magnus cumulus reliquiarum. Hìc significatum est compensari eleemosynas magnis præmijs, & non minui facultates, sed defendi, & augeri diuinitus, ut sæpè docet scriptura, Date, & dabitur uobis. Item, Qui dat potum

tum aquæ frigidæ, non perdet mercedem suam, &c. Et uult nos Deus exercere fidem & expectationem auxilij in hoc officio liberalitatis: Sicut ostendit in exemplo uiduæ Sareptanæ. Est & hoc insigne, quod Apostolis mandatur distributio, ut gubernatores præcipuè admoneantur de cura pauperum. Item, crescunt cibi in manibus Apostolorum, quia piorum contrectatio & societas est felix, Sicut dicitur de Abraham: Propter te benedixit nobis Deus.

DE TERTIO.

De parsimonia & usu donorum Dei.

Vt antea de liberalitate, quæ est pia & non ambitiosa communicatio, ita postea de parsimonia præcipit, ne fiant inanes profusiones. Ac discamus hic uerè peccatum esse prodigalitatem quæ uidelicet facit mutiles sumtus. Primùm quia Deus uult nos suis donis reuerenter uti, hoc est, agnoscere, quod sint diuinitus data, & modestè conferre ad eos usus, ad quos condita sunt. Conferre res ad alios usus, per ludibrium, est contumelia afficere dona Dei. Ideo Paulus inquit: Omnis creatura Dei bona, & cum gratiarum actione percipienda. Item 1. Corinth: 7. Vtentes mundo sic, ut non abutamini. Item, Roman: 13. Carnem ne curetis ad concupiscentiam, sed ad necessitatem, id est, utamini rebus pro necessitate, non pro libidine. Vult Deus comparci res, ad nostras & aliorum necessitates, & detestatur luxum ac profusiones. Sicut econtra præcipit temperantiam & mo-

deſtiam: Attendite ne corda ueſtra grauentur crapula, & ebrietate. Diligenter igitur hoc loco præceptum de parſimonia obſeruandum eſt: Colligite reliquias, ne quid pereat: Suntq; duæ uicinæ uirtutes, Liberalitas & Parſimonia.

DE QVARTO.

Allegoria Hiſtoriæ.

Allegoria eſt dulciſſima, Significat enim diſtributionem doctrinæ. Hæc creſcit agitando, Sicut alibi dicit Paulus. Colonum oportet primùm de fructibus percipere: Ita docens primùm accipit præmia à Deo, illuſtratur ipſe maiori luce. Deinde reliquiæ ueræ doctrinæ diligenter, & cum delectu ſeruandæ ſunt. Quare & nos ueterum monumenta, ſed cum delectu ſeruemus. Ac utinam eius rei maior cura fuiſſet, & monumenta tradita per Apoſtolorum diſcipulos conſeruata eſſent.

Cophini ſignificant literas, & eruditionem, quibus conſeruari monumenta debent.

DOMINICA
IVDICA.

EVANGELIVM,
Iohan. VIII.

Quis

QVIS ex uobis arguet me de peccato? Si autem ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex Deo eſt, uerba Dei audit, propterea uos non auditis quia ex Deo non eſtis.

Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei, Nonne benè dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus, Ego dæmonium non habeo, ſed honoro Patrem meum,

&

& uos inhonoraſtis me, Ego autem nõ quæro gloriam meam, Eſt qui quę=rit & iudicat.

Amen amen dico uobis, ſi quis ſer=monem meum ſeruauerit, mortem nõ uidebit in æternum. Dixerunt ergo Iudæi, Nunc cognouimus quod dæ=monium habes, Abraham mortuus eſt, & Prophetæ, & tu dicis, ſi quis ſer=monem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in ęternum. Nunquid maior es patre noſtro Abraham, qui mortu=us eſt, & Prophetæ mortui ſunt, Quem teipſum tu facis?

Reſpondit Ieſus, Si ego glorifico me=ipſum, gloria mea nihil eſt, Eſt pater meus qui glorificat me, quem uos dici=tis, quia Deus ueſter eſt, & non cogno=uiſtis eum, Ego autem noui eum, & ſi dixero quod non nouerim eum, ero ſimilis uobis mendax, ſed noui eum, & uerbum eius ſeruo.

Abraham pater ueſter exultauit, ut uideret diem meum, & uidit & gauiſ=ſus

ſus eſt. Dixerunt ergo Iudæi ad eum, Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidiſti? Dixit eis Ieſus, Amen amen dico uobis, antęq; Abra=ham eſſet ego ſum. Tulerunt ergo la=pides, ut iacerent in eum. Ieſus autem abſcondidit ſe, & exiuit de templo.

I. *Locus.* *Aſſeueratio, quòd rectè doceat, & ſit miſ=ſus à Deo.*

II. *De cauſſa pertinaciæ, ſeu indurationis im=piorum.*

III. *Refutatio conuicij, quod ad doctrinam pro=priè pertinet.*

IIII. *Doctrina propria Chriſti, quòd ſit miſſus, ut aboleat mortem.*

V. *Altercatio mutua, an Chriſtus antecellat Patribus, & Prophetis, & quomodo Patres & Prophetæ ſaluati ſint.*

VI. *Teſtimonium de diuinitate Filij.*

DE PRIMO LOCO.

OMnes docentes in Eccleſia oportet habere hãc certitudinem, quòd rectè doceant, ideo Chri=ſtus inquit, ſibi non poſſe obijci peccatũ, ſcilicet quod ſit pſeudopropheta, quòd ſit impoſtor, De hac ſpecie præcipuè loquitur. Etſi enim & alioqui ſine pec=cato

Aſſeueratio de doctri=na & mini=ſterio diui=no.

cato fuit, tamen præcipua quæstio est de ministerio, & regula communis ad omnes pertinet. Omnes sint certi, se uera docere, sicut inquit Petrus, Qui loquitur, loquatur sermones Dei: Deinde etiam caueant, ne doctrinam scandalis deforment.

DE SECVNDO.

Causa indurationis impiorum.

CAussa pertinaciæ, & indurationis impiorum, est ipsorum peruersa uoluntas, deserta à Deo, quia contra conscientiam aduersata est doctrinæ, & deinde confirmata à diabolo, qui impellit, ut humanas persuasiones ipsi sibi exaggerent, quærant prætextus sui odij, ut Iudæi argumentabantur, Legem Moysi à Deo traditam, non posse mutari, promissum esse huic populo regnum, politiam diuinitus constitutam, non esse dissoluendam. Hæc erant speciosa, & plausibilia, quibus paulatim & alebantur & confirmabantur Timonica odia. De talibus loquitur Paulus Rom: 9. & Psal: 69. Dorsum eorum semper incurua. Ita nunc disputant sapientes, magnam esse autoritatem Ecclesiæ, non labefactandum esse statum ordinis Ecclesiastici, &c. His fascinati imaginationibus, maiores paulatim flammas odij aduersus Euangelium concipiunt. Ideo simus intenti, ne Diabolus offundat nobis persuasiones, quæ odium aut contemtum Euangelij pariant, ne postea sequatur hæc horrenda pœna, excœcatio uel indurátio Pharaonis, seu Iudæ, de quo dicitur, Et ingressus est in eum Satanas.

tanas. Ita hic dicit: Qui non sunt ex Deo, non audiunt, id est, deserti à Deo. Deseruntur autem propter blasphemias.

DE TERTIO.

CHristus alterum conuitium præterit, alterum refutat, Dæmonium habes. Hoc enim propriè pertinebat ad doctrinam. Talia conuicia refutare, pars est necessaria confessionis.

DE QVARTO.

SI quis sermonem meum seruabit, mortem non uidebit in æternum. Hæc uidebatur esse mira uox, et longè supra hominem, quia pollicetur uitam æternam. Deinde hoc offendit Iudæos, quòd non inquit, Si quis sermonem Moysi seruabit. Item quòd discrimen est inter sermonem Moysi & Messiæ? Non existimabant Pharisæi Messiam allaturum esse aliam doctrinam, præter Mosaicam. Sed hic testatur, se alium sermonem afferre, scilicet Euangelium, hoc est, dicit se mitti, ut sit uictima pro peccato, & homines reconciliari Deo, non per legem Moysi, sed fiducia Messiæ, & hac fiducia Deum inuocandum esse, & regnaturum esse Messiam in cœlo ac gubernaturum suam Ecclesiam Spiritu sancto, & uerbo, non futurum mundi Dominum, qui politica imperia teneat, Ecclesiam futuram in cruce, non habituram imperia mundi. Hic sermo longè differt à Pharisæorum opinionibus, quas de lege ipsi habebant.

DE

DE QVINTO.

Discrimen Messiæ & Patrum.

HIC ipse articulus est proprius Euangelij, quòd Messias antecellat Patribus & Prophetis. Sicut Ioannes inquit, Ex plenitudine eius omnes accepimus. Ideo omnes sancti ab initio usq; ad finem uno & eodem modo saluantur, scilicet fide, qua credunt Deum ipsis remittere peccata per misericordiam, propter liberatorem promissum. Hac fide se Adam, Abraham, Moyses, Dauid, & omnes sancti consolabantur. Hac fide placebant Deo, hac fiducia Deum inuocabant.

Patres omnes seruati fide Christi.

Ideo hîc dicitur: Abraham uidit diem meum, & lætatus est, id est, agnouit in promissione, meum aduentum, mea beneficia, Et lætatus est, id est, accepit remissionem peccatorum, nouam lucem, & inuocationem uitæ æternæ, quæ est lætitia, pax, &c. Sed Pharisæi longè alias opiniones de Messia habebant, erant oppressi imaginationibus iusticiæ legis, nihil norant de fide in Messiam, aut de uictima pro peccato, tantum expectabant regnum mundanum. Ideo has conciones Christi furenter detestantur.

DE SEXTO.

Christus ante Abraham ab æterno.

TEstimonium hîc clarum extat, quòd filius Dei fuerit etiam ante assumtam carnem. Sicut clarè dicit: Antequam Abraham natus esset, ego sum, Sed hoc declarandum est ex primo capite: In principio erat uerbum, &c.

DIE

DIE PARASCEVES.

DE PASSIONE Domini nostri Iesu Christi.

TRiplex est meditatio passionis Filij Dei, Pædagogica, Spiritualis, & Exemplaris.

Pædagogica, est sæpè legere ipsas narrationes discendæ aut docendæ historiæ caussâ, & quærere testimonia Prophetarum, & caussas, an Deus uoluerit Filium pati, cur uoluerit eum pati, quomodo natura humana sit subiecta peccato, an redemta per solum Filium, &c. & confirmare tali lectione fidem, qua assentimur historiæ. Hæc diligentia etiam est utilis, & sine hac sequentes usus haberi non possunt. Ideo hæc lectio & cogitatio sit crebra, ut simul accedant sequentes usus.

I. Meditatio lectionis & cogitatio Historiæ.

SPiritualis meditatio hæc est, quia Filiũ Dei oportuit fieri hostiam, agnoscere magnitudinem iræ Dei aduersus peccatum, et uerè expauescere, ac rursus agnoscere misericordiam, & fide erigi & uiuificari, quia hæc hostia est præstantior tota mole peccati, & Filius est certum pignus, quòd Deus diligat nos, & uelit nos saluos facere. Cum hi ueri motus,

II. Spiritualis meditatio.

pauores, & consolatio, timor & fides, sensus iræ Dei & uiuificatio per fidem in Filium Dei accedunt, hæc est præcipua & salutaris meditatio, & applicatio beneficij Dei ad nos.

I. Serio agnoscere iram Dei.

Sed utrunq; oportet animo intueri, iram & misericordiam. Homines ociosis animis cogitant de Deo, non existimant eum uerè irasci peccato, quia humani animi leuitas non magnificat errata sua. Sed Deus hanc amentiam uult corrigi, Ideo totum genus humanum ingentibus calamitatibus onerauit. Omnes miseriæ singulorum, mors, & supplicia, bella, excidia, uastitates, ut diluuium, conflagratio Sodomæ, clades omnium regnorum, omnium ætatum, sunt testimonia proposita, ut conuincant nos, Deum uerè irasci peccato. Sed euidens testimonium erit impijs, qui in hac uita uerbum & testimonia Dei contemnunt, cruciatus æternus post hanc uitam.

Verum in hoc mundo uisibili fuit euidentißimum testimonium iræ Dei, quod placari nulla re potuit, nisi morte unigeniti Filij, Non poterat placari nec sanctorum ærumnis, ut Abel, & aliorum. Iam cogita, quis hominum satis consideret magnitudinem huius iræ, & beneficium Dei tanti æstimet, quanti reuera æstimandum est, Omnes igitur sunt ingrati, ignari & iræ Dei, & beneficij. Hanc securitatem, ingratitudinem, ignorantiam agnoscamus, & aliquo modo corrigamus.

Rur-

II. In pauoribus agnoscere magnitudinem misericordiæ.

Rursus, cum uerus pauor extitit in corde, accedat consolatio, & agnoscamus magnitudinem misericordiæ, quòd uoluit Deus ideo pati Filium, ut per hunc placatus, uerè nos recipiat & saluet: Et discamus applicationem, quòd non aliter consequamur remißionem peccatorum, & uitam æternam, nisi hac ipsa fide, statuentes, quod propter Filium Dei factum pro nobis uictimam, Pater æternus recipiat nos, & saluet.

III. Applicatio historiæ ad nos fide.

De hac applicatione teneantur in promptu testimonia: Roman: 3. Iustificamur autem gratis per redemtionem Iesu, quem fecit Deus propiciatorem, per fidem in sanguine eius, &c. Rom: 8. Pro peccato damnauit peccatum. 2. Corinth. 5. Eum, qui non nouit peccatum, fecit peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei per ipsum. Hanc applicationem discas, ne sanguis Christi frustra pro te effusus sit, & Deo gratias agas, & ei obedias pro tanto munere. Hæc meditatio, uidelicet expauescere intuentem iram Dei in passione Filij, & rursus erigi fide, agnoscentem misericordiam, & gratias agere, est uerè cultus Dei, qui debet esse perpetuus.

Iam cogita, quam multi homines sint, qui hoc tantum munus curent, qui non anteferant sanguini filij Dei suas cupiditates. Plurimi fatentur se dubitare, an ad ipsos pertineat hoc tantum munus. Sed contra hanc dubitationem confirmemus nos Euangelio, & assiduo exercitio in inuocatione.

Meditatio exempli in cruce & afflictionibus.

TErtij generis meditatio est exemplaris, ubi iam utimur hoc exemplo, ut lege, seu regula, quòd sicut Christus passus est, ita oportcat & nos pati. Estq; hæc singularis sapientia Ecclesiæ, intelligere causſas calamitatum humanarum, & ueras consolationes. Sapientes inde usq; ab initio mundi mirati sunt, quid sit causſæ cur hæc præstans natura hominum tantis ærumnis onerata sit, imò qui fiat, ut optimi tristißimis casibus opprimantur, & alij alias causſas cogitauerunt. Sed uerbum Dei monstrat ueras causſas. Initiò, ut Paulus inquit, Per peccatum peruasit mors in omnes homines, & secuti sunt morsus Diaboli ingentes, sicut dicitur de serpente: Serpens mordebit calcaneum tuum.

Cur Ecclesia affligatur.

CAVSSÆ AFFLIctionum.

I. Peccatum & morsus Diaboli.
II. Peccati agnitio in Ecclesia.
III. Voluntas Dei, uolentis reuocare ad pœnitentiam, & agnitionem promissæ misericordiæ.
IIII. Occasio confirmandæ fidei.
V. Agnitio auxilij Dei & exercitium, ut confirmetur fiducia Dei, exuatur fiducia nostri.
VI. Vt conspiciatur in nostra imbecillitate potentia Dei.

Vt effi-

VII. Vt efficiamur similes filij Dei.
VIII. Vt afflictio sit testimonium futuræ uitæ.

Cur Christus subiectus fuerit morti.

Sed cur Christus cum esset sine peccato, subiectus est cruci? Quia mors est pœna peccati. Cum igitur Christus esset uictima, hoc est, pœnam peccati pro nobis subiturus esset, Mors & tristißimæ afflictiones ei subeundæ fuerunt. Et uult Deus Ecclesiam huius sui capitis similem fieri, ideo præcipua membra, Abel, Esaias, Prophetæ, Apostoli, & alij multi interfecti sunt, ut fierent similes capitis. Sed in his, & cæteris hominibus afflictiones hanc quoq; causſam habent, ut ipsi suum, & generis humani peccatum agnoscant. Nam Ecclesia præcipuè subiecta est cruci, ut agnoscat peccatum, quod impij contemnunt. Deinde accedunt & cæteræ causſæ, quas recensui.

Finis afflictionum.

Ac præcipuè finis afflictionum considerandus est, uidelicet, quod Deus uelit nos affligi, non ut pereamus, sed ut saluemur, hoc est, ad agnitionem peccati, & misericordiæ reuocemur, iuxta illud: Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur, & uiuat. Hanc uoluntatem Dei, & has causſas humana ratio per sese non uidet, Cum sunt res aduersæ, statim cogitamus nos abiectos esse à Deo. Rursus hos putamus diligi, qui florent gloria & potentia. Sed hic error eximendus est animis, & opponenda imago Christi, & discenda perpetua sententia Euangelij, quòd subiecta sit Ecclesia cruci, & quare subiecta sit, & tenendæ sententiæ, quæ docent nos de hac uoluntate

Dei,ut: Qui uult me ſequi,tollat crucem ſuam,& ſequatur me.Item, Multæ tribulationes iuſtorum.Item, Humiliamini ſub potenti manu Dei,uidelicet,quæ & potenter humiliat,& poteuter liberat.

CAP. LIII. ESAIÆ.

Hoc caput octo habet locos præcipuos:

PRIMVS *locus eſt hiſtoria.*

II. *Cauſſa.*

III. *Applicatio beneficij. Noticia eius iuſtificabit multos.*

IIII. *Prædicatio pœnitentiæ uniuerſalis.*

V. *Promißio uniuerſalis.*

VI. *De ſacerdotio Chriſti.*

VII. *De reſurrectione,& regno.*

VIII. *De pœnis impiorum.*

QVIS credit ſermoni noſtro, & brachiũ Domini quis agnoſcet? Pullulabit coram Deo ſicut uirgultum, & ſicut radix de terra ſitiente. Non eſt ſpecies ei neq; decor cum aſpiceremus eum,non erat ſpecies quę placeret,Deſpectus erat & abiectiſſimus omnium, dolore & ærumnis oppreſſus. Sic abhorruimus eum, ut uultus noſtros auerteremus ab eo, Ideo nihili fecimus eum. Verẽ

Verẽ languores noſtros ipſe tulit,& dolores noſtros ipſe ſuſtinuit, Nos reputauimus eum tanquam afflictum,& à Deo percuſſum & proiectum. Sed uulneratus eſt propter peccata noſtra, & afflictus propter iniquitates noſtras.

Pœnam ipſe ſuſtinet, ut nobis pax & uenia concedatur, & uulneribus eius nos ſanati ſumus.

Omnes nos quaſi oues errauimus, ſinguli in uijs ſuis,et Dominus coniecit in eum iniquitates omnium noſtrum, Cum affligeretur & humiliaretur, non aperuit os ſuum,ſicut agnus qui ad mactationem ducitur, & ſicut ouis, quæ obmuteſcit coram tondente ipſam, nec aperit os ſuum.

Ex afflictione et pœna liberatus eſt, & quis enarrabit ſœcula eius? Cum abſciſſus eſt de terra uiuentium propter ſcelus populi percuſſi eum, & ſepultus eſt ſicut impij,et mortuus ſicut diuites. Ipſe non iniuſtẽ egit, nec dolus fuit in ore eius, ſed Deo placuit eum conte-

rere afflictione. Quia dedit animam suam, ut esset hostia pro peccato, uidebit longam posteritatem, & consilium Dei feliciter perficietur manu eius, Quia laborauit anima eius, fruetur uoluptate.

Et seruus meus iustus iustificabit noticia sui multos, quia peccata eorum ipse sustinuit. Ideo distribuam ei magnam hæreditatem, & fortes spoliabit, Quia tradidit animam suam in mortem, & cum sceleratis reputatus est, & ipse peccata multorum sustinuit, & pro transgressoribus rogauit.

DE AGNO MACTATO IN PASCHATE.

EX CAP: XII Exodi.

Vetus Pascha imago uictimæ Christi.

CErtum est ueterem ritum mactationis agni tantis miraculis institutum, non solum fuisse signum admonens de præterita liberatione, sed etiam de futura, & de agno, hoc est, uictima, per quam uera & æterna

æterna liberatio donanda erat. Ideo & Paulus confert uetus Pascha cum Christo, inquiens, Pascha nostrum immolatus est Christus.

Vt autem in nostro Paschate, id est, passione Christi, conspicitur magnitudo iræ Dei aduersus peccatum: & rursus misericordia in inuocatione uitæ æternæ, per resurrectionem, & promissionem liberationis à peccato & à morte. Ita in Paschate ueteri tota historia consideretur, ut & ira Dei aduersus peccata Ægyptiorum, & misericordia in liberatione Ecclesiæ agnoscatur.

Triste exemplum fuit, Regnum illud omnium toto orbe terrarum florentissimum, subitò tumultu dissipari & euerti, consumta maxima parte hominum, continuatis cladibus multiplicibus, deletis principibus, mutata tota regni forma. Hæ fuerunt pœnæ idolatriæ, magiæ, libidinum, crudelitatis aduersus sanctos.

Lex de Paschate Exo. xij.

PRimùm autem describitur tempus, primo Mense, id est, mense Lunari, qui proximè secutus est æquinoctium Vernum, is enim fuit anni initium: Die decimo eligendus est agnus integer, anniculus, masculus, & ex agnis & hœdis, id est, ex reliquo grege sumendus, & seruandus usq; ad XIII. diem, tum uespere mactandus est. Hæc descriptio conuenit ad Christum, generaliter agnus & præsertim mactatus, significat uictimam: Quare & ipsi Israëlitæ intelligebant significari aliam quandam uictimam, per

Typus uictimæ Christi.

quam consecuturi essent ueram & æternam liberationem, Et eã uictimam oportebat esse integram, sine peccato, masculam, fortem: sumtam ex reliquo grege, id est, ex populo Israël. Oportet igitur Christum in hoc populo nasci, & non alibi, oportuit eum in hoc populo prædicare, & pati, Ideo prius segregabatur agnus, ut significaretur prius Christum aliquo tempore prædicaturum esse.

II. Vespere mactabunt, & sanguine conspergent limina: significabatur Christum uespere, circa mundi finem uenturum esse, & sanguine eius conspergendam Ecclesiam, id est, sanguine Christi abluendum peccatum.

Carnes assæ.

III. Carnes assæ edantur: Manducatio nostra Ioan: 6. descripta est, Vt Israëlitæ uescentes agno, nutriebantur, sic nos cum fiducia Christi in ueris terroribus erigimur, efficimur membra Christi, uiuificamur per eum, Ascendit enim, ut det dona hominibus, & uerè sit efficax, det Spiritum sanctum. Sed comedantur carnes assæ: Non dubium est passionem significari ipsa appellatione agni & mactationis: significatur autem & hic agni passio, Quia Christus uerè expertus est ignem, hoc est, iudicium Dei subiens pœnas pro nobis. Sed usitatum est hæc de qualitate manducantium interpretari. Crudum edunt agnum, qui ipsi carnalem eruditionem retinent, scilicet,

licet, Epicuream aut hypocriticam securitatem, quæ est esse sine pœnitentia, sine agnitione iræ Dei. Item, retinere opiniones humanas de Deo, non emendare errores ex uerbo Dei, sicut multi inflectunt doctrinam Christianam ad philosophiam humanam.

Azyma.

Et panes sint azymi. Id manifestè significat puritatem doctrinæ. Non fingamus alias opiniones de Deo, ut ethnici idololatræ, nec de Christo, ut Mahometistæ & hæretici, nec alios cultus, ut Papistæ, sed conseruetur puritas doctrinæ.

Lactucæ acerbæ.

Quòd uerò additur, cum lactucis agrestibus, textus generaliter escas acerbas nominat, significat autem doctrinam pœnitentiæ, aut ipsum etiam sensum præsentium afflictionum, qui nos admonet, genus humanum propter peccatum subiectum esse iræ Dei, nec posse liberari, nisi per agnum, quem Deus significauerat per hos ritus, id est, per Filium, quem nobis exhibuit.

Cruditas carnalis.

IIII. Non crudum. De nostra cruditate interpretor. Crudum enim edunt, qui ipsi carnalem cruditatem retinent, ut ante dictum est, cum opiniones carnales de Deo, & de religione, tum securitatem & contemtum iudicij Dei, qualis est in ijs, qui sunt sine pœnitentia, sine agnitione iræ Dei, sine dolore & metu pœnarum peccati. Iam cogitemus quàm multi homines in Ecclesia crudi Christum & Euangelium fastidiant.

Assum edere.

V. Assum igni. Non dubito significari passionem Christi,

Christi, qui uerè sensit ignem diuini iudicij, & iræ Dei aduersus peccata. Et qui assum edunt, agnoscant assationem, id est, agnoscant & ipsi iudicium Dei aduersus peccata, quod uidelicet adeo irascatur Deus peccato, ut nulla uictima potuerit placari, nisi morte Filij, Nec diluamus hunc cibum maceratione in aqua, id est, securitate & opinionibus carnalibus.

Totum edere agnum.

VI. Totum comedetis. Doctrina de Christo teneatur integra: Vsitatum est enim Hæreticis, partem retinere doctrinæ de Christo, sicut Samosatenus retinebat hanc partem, Christum esse hominem, retinuit & Mahometus eandem, Deniq; alij aliam particulam retinuerunt. Aduersarij nostri retinent articulos de duabus naturis, sed non de officio, nolunt hac fide inuocari Deum, ut credamus nos uerè recipi propter Filium mediatorem gratis, Ecclesia uerò Christi retinet integram doctrinam.

Accincti & calceati edant.

VII. Renes accingetis, & eritis calceati. Non dubium est, populum legis sic uescentem in apparatu uiatoris, admonitum esse hoc ipso ritu, quod alia maior liberatio adhuc expectaretur, interim eos futuros uiatores, habituros magna pericula, exilia, mutationes regni sui: Tunc uerò habituros quietem, hac peregrinatione perfecta, cum ueniret altera liberatio, quæ ducet in uitam & gloriam sempiternam.

VIII. Dicitur PHASE domini, quod Deus transierit,

transierit, percusserit Ægyptios, & pepercerit familijs, ubi limen fuit conspersum sanguine, Hæc est principalis significatio. Missō Filio iudicabit Deus mundum, transibit per omnes gētes, & abijciet eas in æternos cruciatus, sed parcet Ecclesiæ suæ conspersæ sanguine filij Dei. Phase Domini seu transitus.

Hæc pars manifestè testatur, in hac tota imagine depingi Christum, & passionem Christi, quia hîc clarè dicitur, parci familijs ubi limen erat conspersum sanguine. Constat autem non liberari nos aliter à morte æterna, nisi sanguine filij Dei. Ad hanc significationem imago apertè congruit.

Cæterum apparatus uiatoris nos quoq; admonet de certaminibus, exilijs, & ærumnis in hac uita suscipiendis, Etsi enim incoata est liberatio, tamen nondum est perfecta, sed perficietur, cum per mortem educti fuerimus in æternam uitam. Vt autem mare non obruebat Israëlitas euntes per undas, ita mors non absorbet eos, qui agno Christo credunt. Significatio apparatus uiatorum.

Hoc modo nos admonet typus de perficienda liberatione, ut Israëlitas admonebat restare aliam liberationem. Nec dubium est sapientes uiros in populo Israël, cum steterunt in conuiuio accincti, talibus uerbis admonuisse suos: Videtis quid hic noster apparatus significet, Deus nos iubet esse accinctos ad exilia,

ad exilia, ad dimicationes, ad pericula. Hæc igitur pia mente ſuſcipiamus, & expectemus alteram liberationem, quæ ducet nos in æternam quietem, ſignificatam hac liberatione.

IX. Poſtremò rurſus præcipitur de azymis panibus, & de fermentato, Nec dubium eſt azymon ſignificare puritatem doctrinæ, inuocationis, fidei, cultuum, ut cultus ſint azymi, non fermentati humanis opinionibus extra uerbum Dei, ſicut gentes, Mahomet, Monachi, & nunc multi docti miſcent fermenta, id eſt, ſuas bellas cogitationes, & plauſibiles opiniones, alienas à uerbo Dei, & doctrina fidei.

Aſperſio ſanguinis Chriſti.

Hanc collationem agni Paſchalis cum agno Chriſto diligenter contemplemur, Incurrat in oculos mactatio, & aſperſio ſanguinis: Mactatio ſignificat mortem Chriſti. Aſperſio ſignificat applicationem, qua ſinguli fide applicant ſibi beneficium Chriſti, atq; ita ſanguine eius aſperguntur, ut inquit Petrus. Cogitentur & cauſſæ iræ Dei aduerſus peccatum generis humani, & miſericordia, quòd ſanguine Filij ſui nos redemerit, retineatur fides in inuocatione, quòd uerè propter hunc Filium recipiamur, non propter noſtram dignitatem. Conſiderentur & pœnæ Ægypti, ſignificantes exitiũ omnium impiorum.

DE

DE RESVRRECTIONE CHRISTI.

EVANGELIVM, Lucæ XXIIII.

ET ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod aberat ſpacio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem, nomine

ne Emaus. Et ipſi loquebantur ad inui-
uicem de his omnib. quæ acciderãt. Et
factum eſt dum loquerentur, & ſecum
quæreret̃,& ipſe Ieſus appropinquans
ibat cum illis,Oculi autem illorum te-
nebantur,ne eum agnoſcerent. Ait au-
temad illos,Qui ſunt hi ſermones quos
confertis ad inuicem ambulantes, &
eſtis triſtes? Reſpondens autem unus,
cui nomen Cleophas,dixit ad eum, Tu
ſolus es peregrinus in Hieruſalem, &
nõ cognouiſti quę facta ſunt in his die-
bus? Et dixit illis, Quæ?

Illi autem dixerunt,de Ieſu Nazare-
no qui fuit uir Propheta,potens in ope-
re & ſermone,coram Deo et omni po-
pulo, & quomodo eum tradiderunt
ſummi ſacerdotes & principes noſtri
in damnationem mortis, & crucifixe-
runt eum. Nos autem ſperabamus
quod ipſe eſſet redemturus Iſrael. At-
qui ſuper hęc omnia,tertius dies eſt ho-
die, cum hæc facta ſunt. Sed & mulie-
res quędam ex noſtris, terruerunt nos,
quæ

quæ ante lucem fuerunt ad monumen-
tum, & non inuento corpore eius, ue-
nerunt dicentes, ſe etiam uiſionem an-
gelorum uidiſſe,qui dicant eum uiuere.
Et abierunt quidam ex eis qui erant
nobiſcum, ad monumentum, & ita in-
uenerunt, ſicut & mulieres dixerunt,
ipſum uero non uiderunt.

Et ipſe dixit ad eos,O ſtulti & tardi
corde ad credendum, in omnibus quæ
locuti ſunt prophetæ.Nonne hęc opor-
tuit pati Chriſtum, & intrare gloriam
ſuam?Et incipiens â Moyſe et ab omni-
bus Prophetis, interpretabatur illis in
omnibus ſcripturis quæ de ipſo erant.
Et appropinquauerunt ad caſtellum
quo ibant, Et ipſe finxit ſe longius ire,
& coegerunt illum dicentes, Mane no-
biſcum quoniam adueſperaſcit, & in-
clinata eſt dies. Et intrauit ut maneret
cum illis.

Et factum eſt,cum recumberet cum
eis,accepit panem, benedixit, ac fregit,
& porrigebat illis. Aperti ſunt oculi

eorum,& agnouerũt eum,Et ipse euanuit ab eis. Et dixerunt ad inuicem, Nonne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur nobis in uia, & dum aperiret nobis scripturas? Et surgentes eadem hora,regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cum illis erant dicentes,quod surrexit dominus uerẽ, & apparuit Simoni.Et ipsi narrabant quę gesta erant in uia,& quomodo agnitus esset eis in fractione panis.

Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus in medio eorum, & dicit eis, Pax uobis. Territi uero & timidi facti,existimabant se spiritum uidere. Et dixit eis,Quid turbati estis et quare cogitationes ascendunt in corda uestra? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum,Palpate me & uidete quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere,& cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio

dio & mirantibus, dixit illis, Habetis hic aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assati, & fauum mellis. Et accipiens coram illis comedit.

Dixit autem ad eos, Hæc sunt uerba quæ locutus sum ad uos,cum adhuc essem uobiscum,quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, &Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas,et dixit eis: quoniam sic scriptum est,et sic oportebat Christum pati,& resurgere à mortuis tertia die,et prędicari in nomine eius pœnitentia et remissio peccatorum in omnes gentes, incipiendo ab Hierosolyma.

Hoc Caput sex habet præcipuos locos.

I. *Pia colloquia.*
II. *Infirmitas discipulorum.*
III. *Etiam infirmi dociles placent Deo.*
IIII. *Confirmatio Euangelij ex testimonijs Prophetici.*

V. De resurrectione, quòd uidelicet fides debeat intueri resuscitatum et regnantẽ Christum.

VI. De beneficijs resurrectionis.

DE PRIMO.

Fructus piorum colloquiorum.

BIs interuenit Christus colloquijs discipulorum, disputantium de resurrectione. Exemplum igitur monet & testatur, Deum fauere piæ meditationi, & sermoni, & per hæc efficacem esse. Ideo scriptum est: Abundet sermo Dei inter uos, Item, Sit sermo uester sale conditus.

DE SECVNDO.

Infirmitas fidei in Apostolis.

INsignis est infirmitas in discipulis. Dubitant enim de resurrectione, cum quidem antea prædicta esset. Sunt igitur in sanctis peccata, infirmitas fidei, dubitationes, ignorantiæ, securitas, uicioſi impetus multi, diffidentiæ, &c. Sicut in Psalmo dicitur, Delicta quis intelligit, ab occultis meis munda me. Ac deprehendet in sese quisq; suæ fidei infirmitatem, cogitans de æternitate, de resurrectione nostra, &c. Item, securitatem nimis magnam, & multa errata, quæ oriuntur ex diffidentia, uel fiducia carnali. Hìc igitur discamus, perpetuam in sanctis pœnitentiam esse debere, et sanctos non esse iustos lege, quia legi non satisfaciunt, & damnanda est operum fiducia, & rursus discendum, quòd agentes pœnitentiam fide consequantur remissionem, & placeant Deo propter Christum. Sunt hic etiam discernenda peccata. Nam delicta contra conſci-

conſcientiam excutiunt fidem, gratiam, & Spiritum sanctum.

DE TERTIO.

Deus recipit infirmos dociles.

VTilis consolatio est, exemplum infirmitatis Apostolorum in tota historia Euangelij. Testatur enim infirmos, si tamen sint dociles, & fundamentum teneant placere Deo, sicut et Paulus inquit: Infirmum in fide assumite, Deus enim eum recepit. Ac semper in Ecclesia maxima pars habet insignes infirmitates.

Discernendi sunt autem infirmi dociles, ab hypocritis arrogantibus, præfractis, contumacibus. Infirmi dociles sunt, qui fundamentum tenent, id est, articulos fidei, etsi in quibusdam nondum satis explicatam doctrinam tenent, de quibus tamen audiunt alios doctiores, quærunt testimonia scripturæ, non repugnant, non defendunt priuatas persuasiones, aut priuatos affectus, ambitiones, aut alias cupiditates, prætextu uerbi Dei, malè detortis scripturis, &c. Econtra cõtumaces sunt, qui in quibusdam articulis ueras sententias oppugnant, uel inscitia, uel arrogantia, & fiducia suæ sapientiæ, admiratione suarum opinionum, uel propter aliquas priuatas cupiditates, &c. Tales contumaces non placent Deo, nec infirmi nominandi sunt, sed potius contentioſi, inimici Euangelio:

DE QVARTO.

Testimonia scripturæ.

CHristus ipse deducit Ecclesiam ad testimonia Prophetica, & non tantum conuincit discipulos

ſuis miraculis, & ſua ipſius reſurrectione, ſed addit teſtimonia ſcripturæ, Quia non uult nos ex ſolis miraculis iudicare, ſed miracula conſentire debent cum tradito uerbo. Iam hic utile eſt colligere aliqua teſtimonia, de quibus haud dubiè Chriſtus diſſeruit, quando docuit de Paßione, de Reſurrectione, de Victima pro peccato, de abolenda morte, de reſtituenda uita æterna, & refutauit imaginationes de regno mundano Meßiæ. Nam diſcipuli habebant uulgarem perſuaſionem, Meßiam habiturum eſſe regnum mundi, et dominationem politicam. Verùm Chriſtus diuerſum hìc docet, uidelicet, ſe miſſum eſſe, ut fieret uictima pro peccato, promulgaret Euangelium, & reſuſcitatus det Spiritum ſanctum, adiuuet inuocantes Patrem per ipſum, mittat Apoſtolos, & ædificet, & conſeruet Eccleſiam, ac in reſurrectione mortuorum glorificet eam.

Hæc in promißionibus & concionibus Prophetarum dicta ſunt, ut in prima promißione: Semen mulieris conculcabit caput ſerpentis, id eſt, Chriſtus deſtruet opera Diaboli, peccatum & mortem, Et ſerpens calcaneum eius mordebit, id eſt, Diabolus exercebit ſæuitiam in Chriſtum & Eccleſiam, Sed tamen uincetur & conculcabitur. Huc pertinet & quinquageſimum tertium caput Eſaiæ: Item, uictimæ in lege ſignificabant ueram uictimam, ſicut inquit Epiſtola ad Hebræos. Impoßibile fuit ſanguine taurorum & uitulorum tolli peccatum.

DE QVINTO.

De fide reſuſcitati & regnantis Chriſti.

FIdes noſtra intueri in omni precatione & inuocatione Chriſtum reſuſcitatum, uiuentem & regnantem debet, & tenere regulam: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, &c. id eſt, fiducia Chriſti, non fiducia ueſtræ dignitatis. Nam Chriſtus eſt perpetuus pontifex, perpetuò pro nobis intercedens, perpetuò dona dans hominibus. Nec imaginandum eſt ſibi, eum beatum eſſe, ocioſum eſſe, ſed reſurrexit ut regnet, id eſt, ut ſit efficax in inuocantibus ipſum, Sicut inquit ad Apoſtolos, Data eſt mihi omnis poteſtas, Ego uobiſcum ſum uſq; ad conſummationem ſeculi. Et in Pſalmo dicitur, Sede à dextris meis, quo ſignificatum eſt, Chriſtum regnaturum eſſe diuina potentia.

DE SEXTO.

De beneficijs Reſurrectionis.

AD Rom: 4. dicitur, Qui traditus eſt propter delicta noſtra, & reſuſcitatus eſt propter noſtram iuſticiam. Hìc diſcrimen tradit perſolutæ pœnæ pro nobis, & deinde exhibendæ nobis iuſticiæ & uitæ. Quòd enim Chriſtus mortuus eſt, perſoluit pœnam, quam debuimus. Sed ſi manſiſſet in morte, non fuiſſet completum beneficium, nec habuiſſet ipſe regnum promiſſum, nec fuiſſet efficax in liberandis ſuis à morte æterna, ideo oportuit eum

Opera uiuentis & regnantis Christi in Ecclesia.

resurgere,ut sedens ad dexteram Patris, hoc est, regnans potentia diuina,sit efficax. Sunt igitur beneficia resurrectionis, omnia opera Christi regnantis, uidelicet,iustificare credentes,sanctificare dato Spiritu sancto,defendere eos aduersus potestatem diaboli, liberare eos à morte æterna, incoare uitam æternam in credentibus, & postea eos resuscitare,instaurare totam naturam humanam uicturam noua luce, sapientia,iusticia,& uita perpetua. Nihil horum fieret à mortuo & ocioso.

Ero mors tua,&c. Os. xiij.

De his operibus concionantur dicta Prophetica, quæ loquuntur de Resurrectione, ut Oseæ 13. De manu mortis liberabo eos, et de morte redimam eos: Ero mors tua ô mors,morsus tuus ero inferne. Hæc concio Oseæ declarat ueteres promissiones, & significat qualis liberatio per Messiam promissa sit,uidelicet,non restitutio & amplificatio regni politici, sed longè alia res,scilicet destructio mortis & peccati,ac restitutio uitæ æternæ. Ideo dicitur,Ero mors tua ô mors,id est,delebo mortem, delebo inferos, reddam uitam, & iusticiam perpetuam, scilicet credentibus. In his uerbis cætera insunt,id est, Ergo regnat Messias,intercedit pro nobis apud Patrem,ut recipiat nos, ac iustos pronunciet, dat nobis Spiritum sanctum, dimicat pro nobis contra diabolum, incoat in credentibus uitam æternam,& resuscitat mortuos, sicut ipse resurrexit. Porrò hæc beneficia & intelligemus,& consequemur,si excitabimus nos ad inuocationem,

tionem, & petemus, auxilium in publicis periculis & nostris,à Christo regnante, nec somniabimus ociosum esse.

Erit mors eius gloriosa,Esa. xi.

Simile dictum est apud Esaiam: Illo die stabit radix Iessæ, quæ erit signum populis, ad ipsum gentes confugient,& erit sepultura eius gloriosa. Descriptio est regnantis Christi. Die illo stabit, id est,non euertetur promissus liberator ex stirpe Iessæ. Et erit signum populis, id est, erit tanquam Dux gerens uexillum: poterit conspici in signo suo, id est,prædicatione Euangelij: & gentes ad eum confugient, inuocabunt eum. Quando? Non tantum,cum in hac uita conseruabitur nobiscum,ut mortalis homo, sed etiam postea,cum mors eius erit gloriosa,id est,cum resurrexerit. Nam mors si non sequeretur resurrectio,seu noua uita,non esset uera gloria. Testatur ergo dictum Prophetæ,resurrecturum esse hunc Dominum,& non mansurum in morte, & tunc gentes inuocaturas esse ipsum. Hîc docet qualis sit cultus in nouo Testamento futurus, non mactabunt uictimas, sed confugient ad hunc ducem, ab hoc petent auxilium. Hic liberabit inuocantes à summis malis, à quibus liberari non possunt ullo alio modo, uidelicet, ab ira Dei, à peccato, à morte perpetua, à potestate diaboli,&c. Sunt autem traditæ hæ conciones Prophetarum,ut fidem in nobis excitent & confirment, & nos hortentur ad hos cultus, ad agnitionem & inuocationem Christi, atq; ita dulcescent nobis hæ

conciones, & beneficia resurrectionis intelligemus, si inuocationem serio exercebimus admoniti his sententijs. Huc pertinent omnes sententiæ quæ loquuntur de perpetuo regno Christi, &c.

DOMINICA I. *POST PASCHA.*

EVANGELIVM,

Iohan. XX.

CVM

CVM ergo sero esset die illo una Sabbatorum, & fores essent clausę, ubi erant discipuli congregati, propter metum Iudæorum, uenit Iesus, & stetit in medio, & dicit eis, Pax uobis, Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus suum. Gauisi sunt ergo discipuli uiso Domino. Dixit ergo eis Iesus iterum, Pax uobis, sicut me misit Pater, et ego mitto uos. Et cum hoc dixisset insufflauit eis & dixit, Accipite Spiritum sanctum, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.

Thomas autem unus de duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando uenit Iesus. Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis, nisi uidero in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in uestigium clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.

Et post dies octo, iterum erant discipuli

puli eius intus,& Thomas cum eis. Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medium,& dixit,Pax uobis. Deinde dicit Thomę,Infer digitum tuum huc,& uide manus meas,& affer manum tuam, & mitte in latus meum,& noli esse incredulus,sed credens. Respondit Thomas,& dixit ei,Dominus meus,& Deus meus. Dixit ei Iesus, Quia uidisti me Thoma, credidisti. Beati qui non uiderunt & crediderunt.

Multa quidem igitur & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorum,quæ non sunt scripta in hoc libro. Hæc autem scripta sunt,ut credatis,quia Iesus est Christus filius Dei, & ut credentes uitam habeatis in nomine eius.

I. *De testimonijs.*

II. *Missio Apostolorum, & donatio Spiritus sancti.*

III. *Mandatum de remissione peccatorum, & summa Euangelij.*

IIII. *Duo testimonia de diuinitate Christi.*

V. *Confirmatio credentium uoci Euangelij, de rebus quas oculi non conspexerunt.*

DE

DE PRIMO.

SÆpè hoc dictum est in his conciunculis, Etsi res gestæ Alexandri aut C. Cæsaris magis incurrunt in oculos,& habent celebratiora testimonia, Tamen sciendum est & Ecclesiam habere certa testimonia, de uoluntate Dei,& de exhibito filio Dei, quæ diligenter colligenda sunt animis,ut fidem confirment, ut de Resurrectione exhibita sunt testimonia totis illis quadraginta diebus, quibus Christus familiariter cum Apostolorum cœtu post resurrectionem conuersatus est, eosq; erudijt de suo regno, de Euangelio, de uita æterna. Nec uerò tantum Christus una uersatus est, sed etiam alij multi resuscitati, ut noster dux ascensurus in cœlum, haberet comitatum aliquem. Id agmen arbitror fuisse primos parentes, & aliquos ex Regibus & Prophetis, quos duxit Christus, ut initia æterni regni uiderent, sicut norant ea Moyses & Elias. Quare pia mens testimonia studiosè consideret, ut & Paulus ea recitat 1.Corint: 15. Visus est Cephæ, deinde uniuerso cœtui Apostolorum,postea quingentis fratribus simul, rursus Iacobo,deinde iterum omnibus Apostolis, postremò inquit, & mihi uisus est. Et Apostolos uera narrasse Deus ipse testatur,qui propterea ornauit eos miraculis, ut sciamus eos diuinitus missos esse,ueros testes, & doctores esse de uoluntate Dei, & de Christo.

Testimonia resurrectionis.

Resuscitati cum Christo.

DE SECVNDO.

Etsi

ETsi Christus habet quædam propria munera, quæ non sunt communia Apostolis, tamen ministerium docendi est commune, Christus non tantum est doctor, sed missus fuit ut fieret victima pro humano genere, & est Mediator seu Propiciator, & sua potentia reddit uitam æternam, Sicut inquit Ioan: 5: Sicut Pater excitat mortuos & uiuificat, sic & Filius, quos uult, uiuificat. Sed Apostoli tantum circumferunt uocem Euangelij, & sunt testes de exhibito Messia, & enarrant beneficia eius. Id officium hìc eis commendat, eosq; admonet, qua autoritate commendet, uidelicet æterni Patris, & sua. Sicut misit me Pater, sic mitto uos. Et statim additur Spiritus sanctus, & nominatim exprimitur, quid acturi sint, ut Lucæ ultimo dicitur, Ite prædicaturi pœnitentiam in nomine meo, & remissionem peccatorum.

Autoritas & efficacia ministerij.

Primùm autem hìc discamus, autoritate diuina institutum esse ministerium Euangelij, idq; efficax esse, & salutare, Nam ideo dicit, Sicut me misit Pater. Habetis mandatum idem Euangelij docendi, idq; erit ratum Deo, & efficax, sicut Paulus inquit, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti. Cogita igitur quantum hic munus uniuerso generi humano donet, cum mittit Euangelij ministros, & pollicetur Deum Euangelio affuturum esse, Sicut hæc copiosè declarantur 2. Corinth: 3. Sufficientia nostra ex Deo est, qui fecit nos idoneos ministros

nistros noui Testamenti, non literæ, sed spiritus. Et Ephes. 4. Et ipse dedit alios quidem Apostolos, alios uerò Prophetas, Pastores, & Doctores, ut ædificetur Ecclesia, nec fluctuemus agitati fallacibus præstigijs, &c. promittit etiam sese affore opitulatorem. Vbicunq; duo aut tres congregati erunt in nomine meo, in medio eorum sum. Item, Ego sum uobiscum usq; ad consummationem seculi, &c.

Hæc omnia sunt hoc loco cogitanda, ut agnoscamus magnitudinem huius diuini muneris, amemus & ueneremur ministerium Euangelij, audiamus, & uerè credamus Dei munus esse, & per hanc Euangelij uocem, quamuis spretam ab impijs, tamen uerè reddi uitam æternam ijs, qui eam amplectuntur. Apostoli expectabant mundi imperium, & somniabant fore, ut iam Christus pulsis Romanis præsidijs occuparet Iudæam, deinde adiuncturus cæteras prouincias, ac impositurus eis Apostolos, ut Alexander suis commilitonibus tradidit regendas prouincias. Sed hìc audiunt Apostoli longè aliam uocem, Sicut me misit Pater, scilicet ad docendum Euangelium, & sustinendas ærumnas quas affert confessio, non ut armis imperium constituam. Ita & uos mitto, & polliceor Deum uoci Euangelij affuturum esse.

Hæc concio satis docet non fungi munere Christi Pontifices, qui non docent Euangelium, sed imperium constituerunt, & cultus defendunt pugnantes cum Euangelio. Pios uerò ualdè confirmat, tum doctores,

res, tum auditores. Diabolus & eius organa immanitate odij infinita ardent aduersus Euangelium. Ideo multi potentes & sapientes bellum gerunt cum Euangelio, Sed pij doctores hac se uoce sustentent, Sicut misit me Pater. Adest Deus huic militiæ. ideo non frangantur animi iudicijs mundi. Auditores etiam sciant non esse inanem fabulam, has tam mirandas conciones de uita æterna, de futuro iudicio, de remissione peccatorum, &c. Sed sciant immensa bonitate Dei electam esse Ecclesiam à Deo, quam uelit hoc mirabili modo sibi adiungere, & donari æternis bonis.

DE TERTIO.

Summa doctrinæ Euangelij.

SVmmam Euangelij & hîc in ultimo capite Lucæ complexus est Christus, quam oportet infixam esse animis, ut discrimen semper sit in conspectu inter doctrinam humanæ rationis, legem, & Euangelium. Mirantur sapientes quid tantopere iactitet Ecclesia singulare genus doctrinæ, cum uideant à legumlatoribus, Oratoribus & Philosophis doctrinam de uirtutibus eruditissimè traditam esse. Pleriq; multò libentius legunt Ethica Aristotelis, aut Officia Ciceronis, aut Iurisconsultorum dicta, quam Euangelium. Quorsum, inquiunt, opus est hac confusanea doctrina? quæ continet interdum sententias dissentientes à ciuili consuetudine uitæ. Aut quid noui traditur in Euangelio?

Hæc

Discrimen Euangelij et doctrinæ Legis.

Hæc humana iudicia accuratè refutanda sunt, & discernendum est Euangelium ab alijs omnibus generibus doctrinarum, à philosophia, à legibus ciuilibus, à Mahometi opinionibus, à Iudaicis iudicijs. Humanæ menti insita est quædam legis noticia, id est, discrimen honestarum & turpium actionum, seu præstandarum actionum & fugiendarum, uidelicet actionum, quarum genera recensentur in Decalogo. Ex hac Legis doctrina orta est Philosophia, & natæ sunt ciuiles leges, & Mahometicæ & Iudaicæ opiniones. Et ut numerorum noticia omnibus hominibus communis est, quia nobiscum nascitur, ita communis est illa legum noticia omnibus hominibus.

Euangelium Adæ post lapsum reuelatum.

Sed longè alia est Euangelij uox, quam Filius Dei ex sinu æterni Patris reuelauit humano generi. Cum Adam lapsus agnosceret se iam reum esse iræ diuinæ & æternæ mortis, non poterat statuere sibi ignosci, se recipi in gratiam, sibi reddi uitam æternam. Ideo prolata est noua promissio, in qua testatus est Deus, se propter quoddam uenturum semen recipere homines in gratiam, & redditurum esse uitam æternam ijs, qui fiducia eius promissionis ipsum inuocaturi erant. Eaq; promissio subinde magis declarata est per Patres & Prophetas, ut in Psalmis, Esaia, Daniele, & Zacharia uidemus. Tandem uerò per ipsum filium Dei, qui promissus fuerat, clarissimè enarrata est, & per Apostolos sparsa in omnes gentes. Humana mens non habet insitam hanc noticiam, Deum uel-

le gratis nos recipere in gratiam, remittere peccata propter Filium, & propter eum exaudire nos, & certò nobis reddere uitam æternam. Hæc igitur sententia ignota humanæ rationi, patefacta est uoce Dei primùm in Paradiso, ac deinceps, ut dictum est, per Patres, Prophetas, Baptistam, Christum & Apostolos magis magisq; declarata.

Vt igitur Ecclesia Dei statim post lapsum rursus instaurata est, ita mox institutum est ministerium Euangelij, nec alia doctrina in paradiso sonuit, nisi hæc quã tradit Christus iubens prædicari pœnitentiam, & remissionem peccatorum. Accusauit Deus lapsos parentes, & addidit promissionem de reddenda uita æterna, qua agnoscebant se in gratiam recipi, cum dicitur: Semen mulieris conculcabit caput serpentis, id est, ueniet semen, quod destruet regnum Diaboli, abolebit peccatum & mortem, ac instaurabit uitam æternam.

Hæc concio tradita est primis parentibus, quam omnes posteri retinere & meminisse debuerant. Sed impij aspernati sunt, Ecclesia Dei retinuit. Et subinde hæc lux in mundo rursus accensa est, sicut & per Christum & Apostolos renouata est.

Ministerium Euangelij subinde instauratum.

Eandem ergo concionem Christus iubet Apostolos circumferre inter gentes, quæ inde usq; ab initio in Ecclesia, & quæ in paradiso sonuerat, id est, iubet eos retegere & arguere peccatum, concionari de ira Dei, aduersus peccatum, & de æternis pœnis, addere

dere uerò doctrinam de remissione peccatorum, & de uita æterna, quam pollicetur Deus propter Filium, gratis, his qui fide statuunt sibi hæc uerè propter Filium Dei Mediatorem dari.

Et quidem expressè hic inquit: Quorum remiseritis peccata, remissa erunt, Et quorum retinueritis peccata, retenta erunt. Vult uoce Ecclesiæ remitti peccata ijs, qui cupiunt redire ad Deum, & Euangelio obtemperant, seu singulis, seu pluribus, Et hanc uocem testatur in cœlo ratam esse. Cumq; accipimus fide reconciliationem, incoatur in nobis uita æterna, & post hanc uitam prorsus abolito peccato & morte, donabimur perpetua uita, luce, sapientia, iustitia, lætitia, & consuetudine Dei. Hæc omnia comprehendi sciamus, cum fit mentio remissionis peccatorum. Ac magnitudo beneficiorum, quæ in Euangelio proponuntur per Mediatorem, consideranda est, uerbis enarrari satis non potest.

Mandatum de remittendis peccatis uoce Ecclesiæ.

Econtra & iræ magnitudo consideretur. Euangelium denunciat retentionem peccatorum, id est, æternam iram, æternas pœnas omnibus contemtoribus & hostibus Euangelij.

Nec dubium est sapientes Epicureos ex sublimi deridere hoc dictum, Quorum retinueritis peccata, retenta erunt. Quid hoc, inquiunt, mali est? Sed fugiamus & detestemur Epicureos, nec contemnamus hæc cœlestia fulmina. Deus in Euangelio suo patefecit

Sententia de retento peccato non credentium Euangelio.

cit iram suam, aduersus contemtores & hostes Christi, Sicut Moyses inquit, Qui non audierit eum, ego uindex ero. Hanc uocem uult Deus pronunciari aduersus contemtores & hostes Christi, & sententiam ratam esse, æternæ pœnæ testabuntur. Et sæpè in hac uita manifestæ pœnæ signa sunt huius diuini iudicij, ut Ananias interficitur uoce Petri, Achab, Iesabel dant pœnas reiecti à Deo uoce Eliæ.

Hæc quæ de missione Apostolorum et summa Euangelij breuiter diximus, longiore explicatione tractantur, cum dicitur, quid sit Ecclesia, quid Euangelium, quid pœnitentia, quid iustificatio. Ex his locis plura sumantur ad hanc enarrationem.

DE QVARTO.

Mentio trium personarum diuinitatis.

Diligenter hìc obserues doctrinã de tribus personis diuinitatis. Fit mentio æterni Patris, & Filij. Sicut Pater misit me, & ego mittam uos, Deinde fit mentio Spiritus sancti. Inflauit in eos Spiritum sanctum. Hæc loca in precationibus nostris cogitemus, ut æternum Deum Patrem, qui cum Filio suo & Spiritu sancto res bonas omnes condidit, inuocemus, mediatore Filio. Et ea testimonia mente intuedamur, quibus sic se patefecit Deus, ut in Baptismo Christi trium personarum expressa mentio fit, & in hac uera & miranda Synodo, ubi filius Dei dat Spiritum sanctum Apostolis.

Sunt & testimonia duo de Filij diuinitate, quia infra

fra Thomas uocat eum Deum. Item, quia hoc loco Filius dat Spiritum sanctum. Porrò nulla creatura potest per sese dare Spiritum sanctum, cum sit uerè Dei æterni spiritus, καὶ ὁμοούσιος Patri & Filio, quia dicitur, Effundam de meo Spiritu. Est enim Emphasis in dictione, Meo. De diuinitate Christi.

Obseruent autem pij talia testimonia, eaq; diligenter expendant. Ea meditatio plus conducit, quam prolixæ & intricatæ disputationes.

DE QVINTO.

Dulcissima consolatio est in fine, & nos deducit ad Apostolorum testimonium. Beati, inquit, qui credent etiamsi non uiderint, Iubet nos credere testimonio Apostolorum, Sicut & Ioan: 17. ait Christus, Non pro his tantum rogo, sed etiam pro creditu̇ris per uerbum eorum in me: Hìc clarè testatur Ecclesiam esse non tantum Apostolos, qui ipsum audiuerunt, sed etiam uniuersam multitudinem, quæ audit Euangelium, quod proponunt Apostoli. Huic uerbo uult nos assentiri, nec præter hoc uerbum requiri nouas reuelationes aut uoces de cœlo, ut fingunt Anabaptistæ. Ecclesia electa quæ credit testimonio Apostolorum.

Porrò quàm difficilè sit humanæ menti consistere in hoc ipso uerbo, exẽpla ostendunt, quia plurimi homines deficiunt à Deo, quia quærunt alia noua testimonia de uolũtate Dei. Saul cogitat, etsi Deus est misericors, tamen sibi nõ ignoscì, quia deseritur in prælio. Hic etiam amissa uictoria, amissis omnibus creaturis, Fide hærendum in uerbo contra conspectum & sensum.

turis, tamen Deum abijcere non debebat, Sed retinere promißionem, qua norat promißam esse reconciliationem & uitã æternam propter Mediatorẽ. Dauid amisso regno, & quòd multò erat tristius & luctuosius, exutus gloria, qua antecelluerat omnibus hominibus suæ ætatis, tamen intelligit se non debere à Deo deficere, non accusare Deum mendacij, sed meminisse promißionis, in qua offertur omnibus remißio peccatorum & uita æterna, qui fide ad Deum redeunt.

In tali agone & luctu discitur, quanta uis sit huius dicti, Beati qui non uident, & tamen credunt. Nondum uidet Dauid se recipi in gratiam, cũ expellitur in exilium, cum filius contaminat eius coniuges, cum aduersus patrem capit arma. Hæc horrenda spectacula fides superat, & statuit tamen sibi remitti peccata, & expectat mitigationem pœnarum.

Quibus contingat remissio peccatorum.

Hoc exemplum utiliter docet pios, & confirmat fidem. Sed hic opus est rectè tenere doctrinam Euangelij de remißione peccatorum, uidelicet, quòd hæc sit æterna & immutabilis sententia Euangelij, & qui non perseuerant in delictis contra conscientiam, sed perterrefacti petunt remißionem, uerè & certò eam consequuntur propter filium Dei gratis fide, non propter proprias uirtutes.

Hæc fides antefert omnibus peccatis, omnibus terroribus, & omnibus creaturis, hoc inenarrabile munus, quòd filius Dei pro nobis fit uictima. Hac se consolatione mens erigens, & se fiducia misericordiæ propter

propter Filium promissæ sustentans, accipit Spiritum sanctũ, sicut ad Gal: 3. scriptum est, Vt promißionem spiritus accipiamus per fidẽ. Deinde sequi nouam obedientiam & iusticiam bonæ conscientiæ oportet, quæ docetur in præceptis Dei, et quanquã est adhuc imperfecta, tamẽ placet in renatis propter Mediatorẽ.

Hæc summa Euangelij sæpè in Ecclesia recitanda est, ut omnibus fiat familiarißimè nota, & integra sententia sumatur ex ijs scriptis, quæ totam controuersiam declarant, & moneantur homines, ut discant hanc salutarem doctrinam transferre ad usum, redeant ad Deum per pœnitentiam, & fide agnoscant beneficia Christi, ac Deum inuocent fiducia misericordiæ promissæ propter Christum, Sicut Daniel orat: Non propter iusticias nostras exaudi nos, sed propter misericordiam tuam, ac propter Promissum Dominum. In his exercitijs & illustrior & dulcior hæc doctrina pijs mentibus erit. Nam nec Epicurei, nec Hypocritæ fascinati suis delirijs, intelligunt hanc sapientiam Ecclesiæ propriam.

DOMINICA II. POST PASCHA.

EVANGELIVM, Ioan: 10.

EGO sum Pastor bonus, Bonus Pastor animam suam ponit pro ouibus,

bus,Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor,cuius non ſunt oues proprię, uidet Lupum uenientem,& deſerit oues,& fugit,& Lupus rapit illas, & diſpergit oues. Mercenarius autem fugit,quia Mercenarius eſt, & non ſunt illi curæ oues, Ego ſum Paſtor bonus, & cognoſco meas,& cognoſcor ā meis. Sicut nouit me Pater,& ego agnoſco Patrem, & animam meam pono pro ouibus, Et alias oues habeo, quæ non

non ſunt ex hoc ouili, & illas oportet me adducere,& uocem meam audient, & fiet unum ouile,unus Paſtor.

LOCI QVATVOR ſunt præcipui.

I. *Politicum præceptum de diſcrimine gubernatorum.*

II. *Euangelica doctrina diſcernenda à politica,de paſtore Meßia. Et qualis ſit Paſtor Meßias.*

III. *Quid ſit Eccleſia.*

IIII. *Quid ſignificetur per ianitorem.*

DE PRIMO.

Diſcrimina gubernatorum politicorum.

INitio ſciendum eſt ingens diſcrimen eſſe inter doctrinam politicam,& Euangelium, Sed tamen ſumuntur ex politicis præceptis figuræ & ſimilitudines, quia ſunt notæ humanis iudicijs. Primùm igitur diſcernamus gubernatores iuxta politicam doctrinam. Aut boni principes præſunt, ut Auguſtus, aut Tyranni,ut Nero,aut ignaui,ut Honorius,id eſt, qui etiamſi tranquillis temporibus ſunt mediocres,tamen referunt gubernationem tantum ad ſuam utilitatem, & ſeruiunt uentri,nec ſuſcipiunt labores aut pericula ad defenſionem ſuorum. Bonos principes nominat paſtores,Tyrannos,prædones & fures ſeu graſ-

ſatores, Ignauos, uocat mercenarios. Sic triplices ſunt aulici, boni, ut Ionathas, Daniel: pernicioſi, ut Doëg, reliqua eſt magna turba ignauorum, qui in rebus ſecundis mediocriter ſeruiunt, ſed pericula fugiunt, conſulunt ſuæ utilitati, &c.

Diſcrimina gubernatorum in Eccleſia.

Hæc diſcrimina ſunt & Eccleſiaſticorum gubernatorum, Alij ſunt boni, ut Hieremias, Paulus, alij pernicioſi, ut Hæretici, & Epiſcopi ac Monachi defenſores impiorum dogmatum, & impiorum cultuũ: Ignaui, ut nunc multi, qui mediocriter docent, ſed metu impediti non palàm taxant errores, non dimicant cum aduerſarijs, non audent ingenuè profiteri quod ſentiunt, ſed formidant odia, exilia, cruciatus, ignominiam.

Prodeſt autem hæc diſcrimina conſiderare, Primùm, ut agnoſcamus bonos gubernatores tum politicos, tum Eccleſiaſticos, ſingularia Dei dona eſſe, ac Deo pro his ſalutaribus muneribus gratias agamus. Deinde, ut quantúm ſuo quisq; loco poteſt, imitari bonos ſtudeat, & pœnas ſceleratorum & ignauorum intueatur, ut ſeſe ad timorem Dei, & diligentiam pro ſua mediocritate exuſcitet. Poſtremò exempla bonorum & malorum nos commonefaciant, ut Deum oremus, ut faciat nos miniſtros utiles, gubernet ac adiuuet nos, nec ſinat nos ruere ac fieri peſtes generis humani, & uaſa iræ, ut fuerunt Nero, Caligula, Arius, Manichæus.

DE

DE SECVNDO.

Diſcrimina gubernatorum & Chriſti.

Dixi diſcrimen eſſe inter doctrinam politicam, & Euangelium. Bonus princeps regit externam diſciplinam ſuis conſilijs ac legibus, & præliatur cum opus eſt. Hæc officia tantum ſeruiunt præſenti mortali uitæ, nec afferunt uitam æternam, nec mutant mentes.

Paulus impertit Euangelium, per quod incoat Deus uitam æternam in mentibus. Sed tamen Paulus tantùm docet, non eſt uictima pro peccato, non eſt mediator, propter quem Deus nos recipit, nec eſt is qui dat Spiritum ſanctum, & reddit uitam æternam. Imò diligentiſſimè diſcernendi ſunt omnes Prophetæ, Apoſtoli, & alij miniſtri, à Chriſto filio Dei.

Quanquam autem hi in ſua uocatione ſunt boni paſtores, tamen longè maius eſt munus paſtoris Chriſti, is non ſolum docet Euangelium, ſed etiam eſt uictima pro noſtris peccatis, eſt mediator, propter quem æternus Pater nos recipit, & donat Spiritum ſanctum credentibus, & incoat in eis uitam æternam, adeſt Eccleſiæ, & defendit eam mirabiliter, & reſuſcitabit mortuos.

Chriſtus unicus paſtor Eccleſiæ.

Quare alio modo intelligatur Paſtor, quàm cæteri boni principes, Prophetæ, aut Apoſtoli. Sunt paſſim ſapientes ignari Euangelij, ſicut Mahometus & alij multi, qui de Chriſto cogitantes, imaginantur eum fuiſſe doctorem, quales multi fuerunt, ut Socrates, Solon, & alij legumlatores, fingunt eum dediſſe legem,

legem, sed propria et præcipua eius officia ignorant. Hæ tenebræ acerrimè taxandæ sunt, & in Ecclesia illustrandum est discrimen Legis & Euangelij.

Discrimen ministerij legis & Euangelij.

Sunt et personæ discernendæ Prophetarum, Apostolorum, & Christi. Lex est doctrina præcipiens quales nos esse, quid facere & omittere oporteat, & denuncians æternam iram, & pœnas propter peccata uniuerso generi humano, Sicut clarè dicitur, Maledictus qui non permanet in omnibus his, quæ scripta sunt in lege, &c. Econtra Euangelium pollicetur agentibus pœnitentiam, remissionem peccatorum gratis, propter filium Dei mediatorem, & postulat huic promissioni credi, & docet in hac fide Deo placere incoatam obedientiam, Monstrat igitur Christum propiciatorem, propter quem inde usq; ab initio omnes electi intellexerunt, se recipi in gratiam à Deo.

Fures & latrones qui sine Christo ueniunt.

Ideo in textu omnes doctores damnat, qui omissa doctrina promissionis seu Euangelij, tradiderunt legem aut cultus. Omnes, inquit, qui ante me uenerunt, fures sunt & latrones. Omitte temporis imaginationem, cum ait, Ante me, Sed intellige ordinem in docendo quocunq; tempore, ut sit, ante me, id est, me non præeunte. Omnes qui docuerunt legem non præeunte luce promissionis de Christo, fuerunt fures & latrones, ut Chaldæi, Ægyptij, Baalitæ, impij sacerdotes in Iuda, Pharisæi, Saducæi, Græci, Romani, docuerunt legem & cultus aliquos, sed non præeunte

cente Christo. Hos omnes pronunciat Christus fures esse & latrones.

Non potest non perhorrescere pia mens, considerans hîc damnari maximam partem generis humani, imò maximam partem eorum, qui dominantur in Ecclesia. Constat Mahometem esse furem & latronem, quia uenit non præeunte, non ducente Christo. Mahomet.

Retinuerunt nomen Christi Pontifices & Monachi, sed obruerunt doctrinam de fide in Christum, dixerunt homines mereri remissionem peccatorum proprijs operibus, dixerunt eos posse legi satisfacere, & lege iustos esse, sed tamen semper dubitandum esse. Damnat uocem Euangelij, quæ iubet credere, quod propter Filium Dei simus iusti, id est, accepti. Hoc est etiam uenire non præeunte Christo. Addantur exempla de cæteris crassioribus erroribus, Dicunt sacrificulos in Missa offerre Filium Dei, & hoc opere mereri populo remissionem peccatorum. Hoc certè est non præeunte Christo uenire. Pontifices

Patres de Christo concionari.

Econtra nos sciamus omnes pios doctores in Ecclesia inde usq; ab initio, Adã, Seth, Nohe, Sem, Abraham, Dauidem, Esaiam, & similes, non tantum de lege concionatos esse, sed etiam de Euangelio, & inculcasse ac illustrasse promissionem de uenturo semine, sicut Psalmi & conciones Esaiæ clarissimè testantur, Messiam futurum uictimam, propter quam Deus sit propicius, & reddat iusticiam & uitam æternam.

Præit

Quomodo præeat ouibus Christus.

Præit autem Christus dupliciter, Euangelio seu doctrina, & efficacia. Cum audimus promissionem seu uocem Euangelij, amplectimur donatam remissionem peccatorum fide. Et cum fide agnoscimus Christum, ipse uerè est efficax, dat Spiritum sanctum, & incoat in nobis nouam lucem. At econtra ubi ignota est promissio, non potest oriri fides, nec accipi re remissio peccatorum. Et ubi ignota est promissio Christi, non est efficax Christus, non dat Spiritum sanctum, Sicut clarè testatur hæc uox Apostolorum, Non est aliud nomen in quo oporteat saluos fieri, etc. Mahometus etsi legis doctrinam de externis moribus retinet, tamen prorsus abijcit promissionem, seu Euangelium, negat Filium Dei esse redemtorem, iubet dubitare singulos an placeant Deo, prorsus ignorat lucem fidei. Ideo nec remissionem peccatorum, nec Spiritum sanctum accipit, sed manet in morte, sicut Baptista inquit, Qui non credit Filio, non uidebit uitam, sed ira Dei manebit super eum.

Christus unicus Pastor.

Ex hac distinctione legis & Euangelij, ministrorum & Christi, membra textus fiunt planiora, Christus est pastor bonus, non solum, ut Paulus docens Euangelium, sed etiam quia ipse est uictima, redemtor, mediator, dans Spiritum sanctum, & uitam æternam. Ideo dicit, Ego ueni ut uitam habeant. Cæteri qui tenent titulos Pastorum, Pharisæi & Saducæi sunt fures, latrones, & quidem in populo saniores, tamen Mercenarij sunt, id est, ignaui, non suscipiunt

piunt pericula confessionis, imò sine auxilio Christi, hæc imbecilla natura in omnibus hominibus fugit crucem. Ideo dictum est, sine me nihil potestis facere. Ego sum Ianua, si quis per me ingreditur, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pabulum inueniet.

Per hanc ianuam Christum ingrediebatur Esaias, & saluabatur, Ingrediebatur et egrediebatur, id est, primum accipiebat à Christo gratiam, Spiritus sancti dona, & postea alios docebat. Et pabulum inueniebat, donabatur sapientia, iusticia, & uita æterna.

DE TERTIO.

De Ecclesia, seu de populo Dei.

Certissimè persuasum erat Pontificibus & Sacerdotibus Iudaicis, sese esse præcipua membra populi Dei, seu ueræ Ecclesiæ, suum consensum esse ueritatem irrefragabilem, magna ex parte membra sui ordinis esse electos ad societatem beatitudinis Abrahæ. Sicut nunc Pontifices, Episcopi, Canonici, Monachi gloriantur se esse præcipua membra Ecclesiæ, suum consensum affirmant esse ueritatem diuinitus lucentem in Ecclesia. Et hoc consensu tuentur manifestos errores, interficiunt pios, qui non probant ipsorum idola, ut Missas, inuocationem mortuorum, & alia portenta.

Inq;

Discrimen Ecclesiæ & politiæ.

Itaq; necesse est pios moneri, quid sit Ecclesia, & quod sit cœtus dissimilis cæteris politijs. Etiamsi in regno præcipua membra sunt, Rex, Senatores, Duces, Principes, tamen Ecclesia non pendet ex his titulis, & successione ordinaria, ut uocant. Sed est cœtus hominum amplectentium synceram Euangelij doctrinam, & ei obedientium, cui cœtui sunt admixti quidam mali, sed tamen de doctrina consentientes.

Qui sint Ecclesia uisibilis.

Definimus enim uisibilem Ecclesiam, nec fingimus ideam Platonicam, ut quidam calumniosè nobis obijciunt. Certè hoc confessione omnium sanorum conceditur, pugnantes cum Euangelio, non esse membra Ecclesiæ, siue uocentur Pontifices, siue Episcopi, siue aliter, quia Paulus apertè dicit, Si quis aliud Euangelium docebit, anathema sit. Non erant igitur membra Ecclesiæ, Caiphas, Sacerdotes, Pharisæi, Saducæi, & omnes alij, quicunq; dissentiebant à Christo. Sed erant Ecclesia, Christus, Maria, Apostoli, & reliqui, qui assentiebantur Euangelio. Sic definit hoc loco Christus Ecclesiam. Et oues eum sequuntur, & agnoscunt uocem eius. Item, Noui meos, & agnoscor à meis. Et deinde, Vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis.

Scio moderata ingenia ualdè moueri autoritate nominis Ecclesiæ, & ordinariæ potestatis. Vt autem pium est amare & uenerari nomen Ecclesiæ, ita necesse est discere, quæ sit uera Ecclesia, ac de uisibili loquor: certè quæ gerit bellum cum Euangelio, nequaquam

quaquam est uisibilis Ecclesia, ut constat ex multis testimonijs Euangelij, imò & Canonum. Si mouetur animus autoritate tam honesti consessus Episcoporum & Doctorum, qui decretà faciunt, ut circumferatur & adoretur panis, ut mortui inuocentur, etc. magis moueatur his dictis, Fugite idololatriam, Non habebitis Deos alienos. Quid alienius est ab Ecclesia, quàm primo præcepto bellum indicere? Exhorrescunt pij hæc cogitantes.

Cum autem necesse sit singulos esse membra Ecclesiæ, nec salus sit extra Ecclesiam, discamus ueram & firmam doctrinam de Ecclesia, quid sit, & ubi sit: & nos ad eam constanti pectore adiungamus, & simul cum ea Deum inuocemus & celebremus.

Visibilis Ecclesia.

Et ut uisibilem Ecclesiam inde usq; ab initio cogitamus, cœtum Adæ, Seth, Enoch, Nohe, Sem, Abrahæ, & reliquorum, ita nunc uisibilem cœtum oculis quæramus, id est, illos, qui amplectuntur uocem Euangelij, & non defendunt idola. In hoc cœtu semper necesse est esse aliquos electos, iuxtà illud: Quos elegit, hos & uocauit.

Quos elegit, hos & uocauit.

Hoc dictum continet grauissimam doctrinam & dulcissimam consolationem. Testatur enim non quærendos esse electos extra hanc uisibilem Ecclesiam, quæ est cœtus uocatus, id est, amplectens uocem Euangelij. Valet enim argumentum, Omnes electos uocari necesse est, id est, ad doctrinæ agnitionem et pro-

feßionem adduci. Ergo,qui non ſunt in numero uocatorum,non ſunt electi.

Magna hæc eſt conſolatio. Nec de electione ſine uocatione cogites: Illi ſunt electi, qui uocati amplectuntur uocem Euangelij, & eam non abijciunt ad extremum. Meminerimus ergo hoc dictum, Quos elegit,hos & uocauit, & uocationem magnificiamus, quòd Dei uoluntate ad agnitionem Euangelij adducti ſimus, & illum cœtum uocatorum ſciamus eſſe ueram Dei Eccleſiam, in quo cùm fiat inuocatio docendo,ſunt miniſtri rectè docentes Euangelium,& rectè adminiſtrantes Sacramenta.

Sic Eccleſia multis locis definitur, Iohan: 10. Oues meæ uocem meam audiunt.

Ioan: 15. Si manſeritis in me,& uerba mea manſerint in uobis,quod uolueritis,petetis, & fiet uobis.

Epheſ. 2. Eſtis ciues ſanctorum et domeſtici Dei, extructi ſuper fundamentum Prophetarum et Apoſtolorum,exiſtente lapide angulari Ieſu Chriſto.

Et Eſaiæ 59. Hoc eſt fœdus meum cum eis,dicit Dominus, Spiritus meus qui eſt in te, & uerba mea quæ poſui in ore tuo,non recedent ab ore tuo, nec ab ore ſeminis tui in ſempiternum. Hæc promiſsio & affirmat manſuram eſſe Eccleſiam Dei,& docet cœtum eſſe uiſibilem,in quo ſonat uerbum traditum per Prophetas. Et ibi, inquit,certò eſt efficax Deus,dat SPIRITVM SANCTVM. In eo numero ſunt aliqui electi.

Has

Has ſententias teneamus infixas animis, ut ſciamus uerè eſſe aliquam Eccleſiam Dei, & nos ad eam adiungamus, & cum ea Deum inuocemus in agnitione Filij eius Ieſu Chriſti.

Vbicunq; es ſiue in mari,ſiue in carcere, ſiue inter Turcas,ſiue inter Ethnicos, tamen animo, uoluntate,profeßione,inuocatione coniungito te cum uiſibili cœtu,id eſt,cum amplectentibus puram Euangelij doctrinam, ubicunq; ſunt, Noribergæ, Vratislauiæ, Lipſiæ, & ubicunq; ſonat uox Euangelij pura. Et eum cœtum ubi poteris foueto, & eius cœtus ſtudia mediocribus officijs adiuua, & concordiam eius tuearis,ſicut præcipit Chriſtus, Hoc eſt mandatum meum,ut diligatis inuicem. Item, Qui in dilectione manet,in Deo manet.

Amplexus doctrinam ueram,ita manebit in Deo, ſi etiam in dilectione manſerit,id eſt,ſi propter Deum ſtudebit ueræ Eccleſiæ concordiam tueri,non ambitione,aut alijs prauis affectibus mouebit certamina,quæ diſtrahunt uoluntates gubernatorum aut populi.

Nec ita uiuamus uelut errones,aut ſolitarij,ignorantes,an ſimus in Eccleſia,aut in qua Eccleſia eſſe uelimus. Sed ſimus ut Paulus præcipit,συμπολῖται ἁγίων καὶ οἰκεῖοι τοῦ θεοῦ. Cum Ioſeph abductus eſſet in Ægyptum,tamen erat συμπολίτης Eccleſiæ ſui patris Iacob, & in Ægypto multos ad ſocietatem,eius ciuitatis adiunxit.

Si ſumus in Eccleſijs, in quibus ſonat pura uox Euangelij, agamus Deo gratias, lætemur aliquos eſſe cœtus uerè inuocantes Deum, agnoſcamus magnum eſſe beneficium, quòd unà ſumus, ut in Pſalmo dicitur, Quàm dilecta tabernacula tua Domine, Beati qui habitant in domo tua. Et Chriſtus inquit, Vbi duo aut tres congregati erunt in nomine meo, in medio eorum ſum. Quantum bonum eſt uerſari in tali cœtu, quem ſcias Deo curæ eſſe, à Deo cuſtodiri, &c. ut in Pſalmo dicitur, Deus in medio eius.

Id de cœtu cogites, quoties uenis in tale templum, in talem ſcholam, & confeſſum, ubi ſonat uox Euangelij pura, & non defenduntur pertinaciter errores. Et una cum hoc cœtu Deum inuoca, profeßionem declara uſu ſacramentorum, & honeſtis officijs omnibus, & foueto concordiam. Sin autem procul abes, animo, uoluntate, profeßione, inuocatione, te ad illos pios cœtus rectè docentes adiungito.

DE IANITORE, ſeu Hoſtiario.

In ſimilitudinibus non nimis anxiè ſingularũ partium applicationes quærendæ ſunt, ſed in ſumma congruere ſatis eſt præcipuas partes, Ideo hic omitti allegoria Ianitoris poſſet. Sed tamen non uitupero diligentiam eorum, qui eam tractarunt.

Aliqui Ianitorem intelligunt Spiritum ſanctum, qui cùm ſit efficax in prædicatione Euangelij, aperit Chriſto mentes hominum, & eas accendit, ut hunc paſtorem

paſtorem agnoſcant, ſequantur & ament. Hæc expoſitio plana & expedita eſt.

Altera expoſitio mihi non diſplicet, etſi obſcurior eſt, intelligi Ianitorem, Legem quæ cedit uni Chriſto. Tenet Lex incluſum totum genus humanum ſuo carcere, maledictione, hoc eſt, ira Dei, condemnatione, morte, calamitatibus omnis generis, tyrannide Diaboli. Cùm autem Chriſtus ſuperat mortem, & ſoluit pro nobis λύτρα, cedit lex maledicens, et oues emiſſæ ex carcere, iam lætæ paſtorem & ducem ſequuntur.

DOMINICA IVBILATE.

EVANGELIVM, Iohan. XVI.

DIxit Ieſus diſcipulis ſuis, modicum, & non uidetis me, & iterum modicum & uidetis me, quia uado ad Patrem. Dixerunt ergo quidam ex diſcipulis eius inter ſe, Quid eſt hoc? quod dicit nobis, modicum & non uidebitis me, & quia ego uado ad Patrem, Dicebant

bant ergo, Quid est hoc, quod dicit, modicum? Nescimus quid loquatur. Cognouit autem Iesus, quia uolebant ipsum interrogare, & dixit eis. De hoc quæritis inter uos, quod dixi, modicum & non uidetis me, & iterum modicum,& uidebitis me,Amen amen dico uobis, plorabitis & flebitis uos, Mundus contra gaudebit. Vos autem contristabimini, sed tristicia uestra uertetur in gaudium.

Mulier

Mulier cum parit, tristiciam habet, quia uenit hora eius. Cum autem peperit puerum,iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et uos igitur nunc quidem tristiciam habetis, sed iterum uidebo uos, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Et in illo die me non interrogabitis quicquam.

Duo sunt loci.

I. *Prædictio de afflictionibus Ecclesiæ.*
II. *Consolatio in his afflictionibus.*

DOMINICA *CANTATE.*

EVANGELIVM,

Ioan: XVI.

NVnc autem uado ad eum, qui misit me,& nemo ex uobis interrogat me,quo uadam. Sed quia hæc locutus sum uobis, mœstitudo impleuit cor uestrum. Sed ego ueritatem dico

uobis,expedit uobis,ut ego uadam. Si enim non abiero, Consolator ille non ueniet ad uos. Sin autẽ abiero,mittam eum ad uos. Et cum uenerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia,& de iudicio. De peccato quidem, quia non credunt in me,De iustitia uero,quia ad Patrem uado,& posthac nõ uidetis me. De iudicio autẽ, quia princeps huius mundi iam iudicatus est.

Ad hæc multa habeo,quæ uobis dicam,

cam, sed non potestis portare nunc. Cum autem uenerit ille Spiritus ueritatis,ducet uos in omnem ueritatem:non enim loquetur â semetipso,sed quęcũq; audierit loquetur, & quæ futura sunt annunciabit uobis.Ille me glorificabit, quia de meo accipiet, & annunciabit uobis. Omnia quæcunq; habet Pater, mea sunt. Propterea dixi,quod de meo accipiet,& annunciabit uobis.

Summa Euangelij.

Descriptio est regni Christi,uidelicet officij docendi summæ Euangelij, & persecutionis.

PRIMVM *ait,Spiritus sanctus arguet mũdum. Hîc ostendit Christus regnum suum non esse mundanam politiam,humanis consilijs, & uiribus, aut armis constituendam, sed esse cœtum, cui præest Filius Dei,dans Spiritum sanctum arguentem singulos & omnes,scilicet,per ministerium Euangelij. Etsi autem nihil est contemtius munere docendi Euangelij,tamen hic magnam potentiam ei tribuit. Nam arguere,est superioris,& habentis autoritatem. Estq; reprehensio errorum, & peccatorum humanorum, et est efficax obiurgatio, impellit corda,ut agnoscant iram Dei, uulnerat mentes, & conuertit aliquos ad* Arguere mundum.

Deum,impijs uerò maledicit,ut ruant in perpetuum interitum.Sicut ab initio in Ecclesia Spiritus sanctus arguit mundum.Nohe arguit suum seculum. Moyses arguit Pharaonem.Elias,Elisæus arguerunt reges Israël. Daniel reges Babylonicos. Baptista Pontifices, Herodem,& alios. Deinde Christus, Apostoli & successores arguerunt omnium gentium homines, multos conuerterunt, Ecclesiam collegerunt, & Tyrannis maledixerunt. Et fuit efficax Spiritus sanctus in credentibus iuuandis,& in impijs puniendis, magnæ mutationes mundi secutæ sunt,& manet hoc officium in Ecclesia,quæ aliàs est magis, aliàs minus pura, aliàs maiores cœtus habet, ut nunc rursus excitata est flamma Euangelij,qua Spiritus sanctus ,arguit idololatrias mundi,& ostendit salutarem doctrinam,qua multi conuertuntur ad Deum,& fiunt mutationes rerum.

Efficacia Spiritus sancti in arguendo mundo.

Hæc omnia complectitur uerbum arguendi, seu reprehendendi. Quare singuli cedamus huic autoritati, & potentiæ, Et rogemus filium Dei, ut in nobis quoque Spiritus sanctus sit efficax,arguat prauas opiniones, peccata, in nobis & alijs, impellat corda, ut agnoscant iram Dei. Sic & Paulus Roma: 1. inquit, Reuelatur ira Dei de cœlo super omnem impietatem.

DE SECVNDO.

De distinctione doctrinarum.

DE PECCATO QVIA non credunt, &c.

MVndus nouit peccata ciuilia, seu externa, ut cædes,adulteria, furta, Sed radicem peccati non nouit,uidelicet contemtum Dei, & contemtum filij Dei donati,ut sit Propiciator. Itaq; hoc peccatum prorsus ignotum est rationi, uidelicet, quòd nostra natura sit sub peccato,& omnia nostra sint rea, sed sic tantum liberemur à peccato,si credamus filium Dei esse propiciatorem. Hæc non iudicantur à ratione,sed tantum sunt reuelata in Euangelio. Ideo refragantur humana iudicia. Videtur absurdum filium Dei crucifigi,uidetur res inutilis, & commentitia, promittere liberationem à peccato & morte æterna,per fiduciam huius crucifixi. Arguit igitur has tenebras humanæ mentis Euangelium.

Quod peccatum arguat Euangelium.

DE IVSTICIA, quia uado ad Patrem,&c.

MVndus intelligit iusticiam esse obedientiam legum,Sed Christus hic aliam iusticiam proponit,scilicet suam passionem,resurrectionem, perpetuam interceßionem, & efficaciam.Nam hæc omnia complectitur,cum ait,Vado ad Patrem, moriar, resurgam, regnabo, ero Mediator coràm Patre, ero Saluator. Sumus igitur iusti,id est,accepti, non nostris uirtutibus,sed propter Christum Mediatorem, passum, regnantem. Hæc iusticia longè discernenda est

Iusticia in Euangelio proposita.

est à legis iusticia. Etsi enim opera habent suum locum, tamen non sunt illa res, propter quam sumus reconciliati, & accepti Deo, sed propter Mediatorem Christum sumus iusti, id est, accepti fide, & donamur uita æterna propter Christum euntem ad Patrem, resuscitantem nos à mortuis, & constituentem regnum æternum. Vtrunq; autem ignorat mundus, peccatum, & iusticiam, ignorat filium Dei, & ueram inuocationem, ideo fingit cultus sua audacia. Hinc sunt omnium gentium idololatriæ. Has damnat & arguit hæc uox Spiritus sancti, quæ clamitat peccatum esse, non credere in filium Dei, & nos iustos, id est, acceptos esse propter Mediatorem Christum, & donari uita æterna, quia Christus abijt ad Patrem, &c. Cum hoc modo agnouimus Filium, uerè possumus inuocare Patrem, & liberamur à falsis cultibus, &c.

DE IVDICIO.

De persecutione.

Dixit de summa Euangelij, uidelicet, quòd natura nostra sit sub peccato, & quod tantum fide in Christum à peccato liberemur, item, quòd iusti & salui simus transitu Christi, nunc addit tertium de iudicio, id est, de persecutione. Mundus offensus specie imbecillitatis Christi & Euangelij, negat hanc uocem esse uerbum Dei, & diabolus hostis filij Dei impellit sua membra, ut omni sæuitia deleant Euangelium, & in tanta potentia impiorum uidetur subinde interitura tota Ecclesia, sed emergit tamen, & resistit

resistit potentiæ diaboli, & mundi, & manet non humanis uiribus, aut consilijs, sed quia Christus reprimit diabolum iam iudicatum, & condemnatum, Non potest igitur Diabolus grassari quantum uult, nec perdere Ecclesiam, quæ glorificabitur suo tempore, imò neq; in hac uita funditus eam delere potest.

Ecclesia uincit potentiam diaboli.

Ita in hac concione quasi pictura Ecclesiæ proponitur, cum inquit: Arguet mundum, testatur eam uerbo condi, deinde discernit doctrinam à lege, quòd non liberemur à peccato, nisi fide filij Dei. Item, quòd iusti simus propter Christum Mediatorem, & quòd detur uita æterna ipso eunte ad Patrem, id est, regnante & resuscitante nos, &c.

Iam hæc cum profitetur Ecclesia, Diabolus excitat ingentia certamina, & mundus defendit suas opiniones, idololatrias, & alios errores, ideo Ecclesia interim sub cruce est, Sed uincit tamen & glorificabitur, quia diabolus condemnatus est. Has consolationes diligenter memmerimus, ut discamus, quomodo contingat liberatio à peccato, scilicet fide in Filium Dei. Discamus item, nos non esse iustos propter nostras uirtutes, sed propter Filium, qui uadit ad Patrem, id est, intercedit pro nobis, iustificat, & uiuificat, &c. Discamus item in tantis periculis non interituram tamen esse Ecclesiam, etiamsi rabies impiorum, et potentia Turcica, & multæ confusiones rerum humanarum, uidentur penitus minari interitum Ecclesiæ.

DOMINICA
VOCEM IVCVN-
DITATIS.

EVANGELIVM,
Iohan. XVI.

AMen amen dico uobis, quæcunq; petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Hactenus non petiſtis quicq;

quicquam in nomine meo. Petite et accipietis, ut gaudium ueſtrum ſit perfectum. Hæc per prouerbia locutus ſum uobis. Veniet tempus, cum iam non per prouerbia loquar uobis, ſed palam de Patre meo annunciabo uobis, in illo die in nomine meo petetis, Et non dico uobis, quod ego rogaturus ſim Patrem pro uobis. Ipſe enim Pater amat uos, quia me amaſtis, & credidiſtis quod à Deo exiuerim.

SEmper de oratione hæc quatuor tenenda ſunt. Præceptum Dei, Promiſsio diuina, Fides, & Res petenda.

DE PRÆCEPTO.

SCiamus hoc ſummum officium eſſe, ad quod conditi ſumus, agnoſcere & inuocare Deum. Ideoq; præcipua, & prima lex eſt de agnitione Dei & inuocatione, ut teſtatur dictum, Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſeruies. Itaq; ſæpè repetitum eſt præceptum de inuocatione, ut Lucæ 18. Oportet ſemper orare, & in Pſalm: 49. Inuoca me in die tribulationis. Et Matth. 7. Petite, & dabitur uobis, &c. Hæc præcepta nos doceant præcipuum & ſummum cultum eſſe inuocationem.

Hoc

Hoc opus discernit ueram Ecclesiam, seu populum Dei, ab omnibus reliquis hominibus. Quanquam homines naturaliter intelligunt præceptum, quod iubet Deum inuocare, tamen impij nec inuocant nec norunt quomodo sit inuocandus. Ideo in Psalmo dicitur, Deum non inuocauerunt. Etsi autem magnum quiddam est, nosse præceptum de inuocatione, tamen nondum satis est, sed oportet adiungi promissionem.

DE SECVNDO.

Promissio de exauditione.

Accedat ergo promissio, quæ testatur Deum audire nostras preces, & præstare, quæ petimus, norunt gentes præceptum, sed dubitant, an audiantur, ut Virgilius inquit,

Famamq; fouemus inanem.

Sed Ecclesiæ sunt traditæ promissiones, & patefacta uoluntas Dei, ut Deuter. 4. dicitur, Non est alia natio tam gloriosa, quæ habeat Deum appropinquantem, sicut Deus noster adest omnibus nobis inuocantibus eum.

Huc iam promissiones omnes colligantur in tota scriptura. Præcipua uerò ponitur in hodierna lectione, confirmata iureiurando filij Dei. Amen amen dico uobis, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Petite, & accipietis. Omnis qui petit, accipit. Item, Si homines possunt hominibus bona dare, quantò magis Pater uester cœlestis, dabit Spiritum sanctum petentibus. Item, Venite ad me omnes, qui laboratis. Item, Inuoca me in die tribulationis,

tionis, & eripiam te. Item, Multum iuuabit deprecatio iusti assidua. Item, Matth: 18. de precatione communi, Amen dico uobis, de quacunq; re consentient duo, quicquid petent, fiet.

Has promissiones necesse est inspici, quia dubitatio in precatione, an Deus recipiat nostras preces, est impia. Ideo scribitur, petat in fide. Iam hìc cogitemus, quàm pauci homines præstent hunc cultum Deo. Ideo magna caussa est cur dicat Psalmus, Deum non inuocant. Pauci enim sic accedunt ad precandum, cum bona conscientia & fide, ut statuant recipi suas preces.

DE TERTIO.

Fides in nomine Christi.

Tertium est fides. Hìc sciendum est, quid uocetur fides. Primum fides intelligatur fiducia reconciliationis donatæ propter Christum, quod propter hunc Mediatorem & Pontificem æternus Deus accipiat nostras preces. Hanc generalem fidem necesse est afferri in omni inuocatione. Ideo hìc disertè additum est, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id est, non fiducia dignitatis uestræ, sed fiducia Mediatoris Christi, quia necesse est teneri regulam, quòd non sit accessus ad Patrem æternum, nisi per Filium, sicut Roman: 5. dicitur, Per hunc habemus accessum. Item, Habentes talem Pontificem, accedamus ad thronum gratiæ. Item, Semper uiuens, ut interpellet pro nobis.

Discrimen inuocatio-

Hæc igitur fides discernit precantes, Iudæos, & Turcas, & omnes habentes malam conscientiam, hypocritas:

nis Ethnicæ & Christi.

pocritæ: et Christianos uerè inuocantes. Iudæi, Turcæ gloriantur se inuocare Deum conditorem rerum, et quidem ualdè superbiunt hac doctrina, quòd unum Deum nominent, Sed non inuocant Deum æternum Patrem Filij missi, & constituti Mediatoris, imò Mediatorem ipsum Filium Dei contumelia afficiunt, ideo non inuocant. Deinde habentes propositum peccandi, non possunt Deum inuocare, non accedunt ad Deum per Mediatorem, & sunt sine fide, ut Ioannes inquit, 1. Ioan: 3. Si cor nostrum non condemnat nos, fiduciam habemus ad Deum, &c. Postremò hypocritæ, id est, accedentes fiducia suæ dignitatis, uel dubitantes, quia agnoscunt suam indignitatem, non accedunt ad Deum, non uerè inuocant. Sed aduersus hæc necesse est afferri hanc fidem, quæ agnoscit Deum placatum esse per Filium, & fiducia huius Mediatoris, inuocat & petit, & statuit accipi preces nostras, & Deo placere, nec irritas esse, etiamsi euentus uel differuntur, uel non respondent nostræ cogitationi.

Hic etiam tenenda est doctrina, quòd fides quædam petat sine conditione, quædam uerò cum aliqua conditione. Sine conditione petenda, & expectanda sunt illa, de quibus nominatim & specialiter expressa est uoluntas Dei, quòd hæc ipsa nominatim daturus sit, uidelicet, quæ sunt propria Euangelij, remissionem peccatorum, reconciliationem, donationem Spiritus sancti, & uitæ æternæ. Hæc cùm petimus, stà-

tuendum

tuendum est uerè ea nobis præstari, & illa ipsa fide accipi, quæ nos in pauoribus consolatur, iuxta illud, Iustificati fide pacem habemus, &c.

De fide in petitione corporalium.

In petitione rerum corporalium necesse est afferri fidem generalem, quòd Deus tibi sit propitius, & accipiat preces tuas, Sed de re ipsa, quæ nominatim petitur, non statuitur sine conditione, quia in corporalibus ærumnis, debemus obedientiam Deo, Sicut Dauid pulsus in exilium, petit quidem se reduci, sed tamen addit, si non uolet me Deus reducere, fiat, quod ipsi placet. Imò hæc est singularis sapientia Ecclesiæ, etiamsi non contingit liberatio corporalis, tamen non ruere in desperationem, in blasphemias, aut odium Dei, sed erigi fide, ac retinere remissionem peccatorum, & spem uitæ æternæ certam. Quia cum ira Dei sit iusta aduersus peccata nostra, debemus obedientiam in pœna.

Sed difficilè est in tali certamine retinere fidem, ut Saul frustratus spe uictoriæ prorsus opprimitur desperatione, cogitat se abiectum esse à Deo, nec credit sibi remitti peccata, & in hac desperatione sibi mortem consciscit. Ita plurimi ex impatientia, & propter moram ruunt in desperationem, & æternum exitium. Sed inculcanda est animis doctrina, quòd Deus uelit affligi Ecclesiam, propter multas causas, ac uelit accedere inuocationem, ut excitetur fides accipiens remissionem peccatorum. Deinde ut statuat Deum autorem esse beneficiorum corporalium, eaq;

uelle dare, ne in hac uita penitus deleatur Ecclesia, sicut seruauit Nohe, Abraham, Moysen, mirabilibus modis, ut reliqua esset Ecclesia.

Sic igitur exerceamus fidem utroq; modo in petitione corporalium. Primùm sciamus statuendum esse de remissione peccatorum propter Mediatorem, deinde sciamus à Deo petenda et expectanda esse beneficia corporis, & Deo curæ esse Ecclesiam, etiamsi alia membra aliter exercet, ac uult nos ad obedientiam paratos esse. Seruabat Ecclesiam Deus, etiamsi Tyranni Paulum & Timotheum confecto curriculo interficiebant. Seruabit Ecclesiam, etiamsi aliquos pios sinet à Turcis interfici. Sic nos petamus & expectemus auxilium, & tamen ad obedientiam parati simus. Et quidem sciamus non esse irritas preces, sed semper impetrare aliqua bona, imò & mitigationem corporalium ærumnarum, ut Lucæ 21. dicitur, Orate, ut poßitis effugere omnia hæc, quæ uentura sunt, &c.

DE QVARTO.

De rebus petendis.

QVartum est res petenda. Sunt autem, ut iam dictum est, aliæ res spirituales, aliæ corporales, ut consilium, successus in uocatione, & cætera uitæ commoda. Hæc omnia uult Deus peti à se, & quidem de uocatione dicitur, Sine me nihil potestis facere.

Ac

Ac fides dupliciter exercetur in petitione corporalium. Primùm petit remißionem peccatorum. Deinde agnoscit Deum autorem esse bonorum successuum, & aliorum beneficiorum corporalium, & uelle ea dare seruandæ Ecclesiæ caussa, sicut scriptum est, Scit Pater uester quòd opus habeatis his omnibus. Item, Reliqua adijcientur uobis. Item, Iacta curam tuam in Deum, & ipse te enutriet.

Hîc singuli intueamur peccata nostra, uocationes, calamitates publicas, & priuatas. His tantis necessitatibus admoniti inuocemus Deum. Sicut dicit, Petite, ne sit precatio inanis ματτολογία sine petitione. Milites petant successus in prælio, Senatores sapientiam in dando consilio, & gubernatione, Doctores, & discipuli in studijs, &c. Deinde & pacem, fœcunditatem terræ, honestum & tranquillum regimen ciuile, ut 1. Tim: 2. dicitur, ut tranquillam & quietam uitam agamus in omni pietate & honestate.

Gratiarum actio coniungenda cum precatione.

Postremò, quoties de precatione cogitamus, adiungatur gratiarum actio, agnoscamus acceptum beneficium à Deo profectum esse, & ei deberi gratitudinem, quæ ostendenda est dupliciter, celebratione ipsius, & nostra obedientia, & quotidiè multa beneficia à Deo accipimus, sæpè defendimur aduersus Diabolum, depulsis eius insidijs à filio Dei, quas nos prorsus ignoramus, Et sunt alia innumerabilia beneficia, ideo Paulus inquit. 1. Thess. ultimo: Incessanter orate, in omnibus gratias agite.

DOMINICA EXAVDI.

EVANGELIVM,
Iohan. XV.

CVM uenerit autem Paracletus, quem ego mittam uobis à Patre, ſpiritum ueritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me, Quin & uos teſtes eſtis, quia ab initio mecum

mecum eſtis. Hæc locutus ſum uobis, ut ne quid offendamini. Alienos à ſynagogis facient uos, ſed uenit hora, ut omnis qui occiderit uos, uideatur cultum præſtare Deo: Et hæc facient uobis, quia non nouerunt Patrem, neq; me. Sed hæc locutus ſum uobis, ut cum uenerit tempus illud, reminiſcamini eorum, quod ego dixerim uobis, Hæc autem uobis ab initio non dixi, quia uobiſcum eram.

Loci quatuor.

I. *Doctrina de Deo, quis ſit, & quomodo ſit agnoſcendus, & inuocandus.*
II. *Quis ſit Spiritus ſanctus, & quòd ſit proprium eius officium.*
III. *Teſtificatio duplex, altera per miniſterium, altera in cordibus.*
IIII. *Doctrina de cruce.*

DE PRIMO.

SÆpè monendi ſunt homines de inuocatione. Multi precationes dicunt quadam conſuetudine, ita ut mens neq; cogitet, quem Deum inuocet, neq; ſecum ipſa quærat, cur exaudiat Deus, neq; ſeiungat ſuam inuocationem à Turcica, & alijs impiorum ritibus.

tibus. Hæc incogitantia similis est consuetudini stultorum, qui currunt ad statuas, & ibi aliquid murmurant, non cogitantes quid, aut cur inuocent. Cumq; talis sit inuocatio maximæ partis hominum, hic error sæpè taxandus est, & docendæ sunt mentes, ut rectè inuocent. Quidam Eremita dixit, nullum esse maiorem laborem precatione, quod uerissimum est, quia & attentionem retinere est difficile, hoc est, cogitare Deum sicut se patefecit, & seiungere nostram inuocationem ab Ethnica & Turcica, & simul respicere ad promissionem, ut fides excitetur. Hæc tota attentio maior est, cum sumus in dolore, sed cum animi sunt ociosi, ebrij uoluptatibus, magis uagantur: Sed tamen pij & moderati doctrinam de inuocatione discant, & se rectè assuefaciant, Ita in ueris doloribus etiam ardentiorem consolationem sentient.

Discrimen agnitionis Dei Ethnicæ & Christianæ.

Ac primùm quidem cum precationem incoamus cogitandum est, quis sit Deus. Inuocant Turci & alij impij, sed aberrant à Deo dupliciter. Primùm quòd de essentia Dei falsam opinionem mordicus retinent. Secundò quòd uoluntatem ignorant. Turci enim & similes, etsi dicunt hunc esse Deum, qui condidit cœlum ac terram, tamen negant uerè esse Deum, hunc, qui se per Filium patefecit, qui tradidit nobis Euangelium, negant Filium et Spiritum sanctum esse de essentia Patris. Ita primum de essentia errant. Postea & de uoluntate, quia uerbum reuelatum à Deo abiecerunt, ignorant promissionem gratiæ, nec possunt credere

credere se respici & exaudiri. Quare cogitantes de uoluntate Dei, in horribiles tenebras, & dubitationem æternam irruunt. Seiungenda est igitur ab illorum opinionibus, nostra inuocatio, ac primùm cogitandum, quis sit Deus, is uidelicet ac talis, qui se in uerbo suo patefecit ab initio, post conditionem & lapsum Adæ.

Patefactio Dei.

Sic autẽ patefecit se Deus in Euangelio suo, Vnus est omnipotens & æternus Pater, qui cum Filio suo, qui est coæterna imago Patris, & Spiritu sancto, condidit omnes res bonas, & patefecit se dato uerbo, & misso Filio. Deinde, quia obstrepit tibi indignitas, & dubitamus an Deus recipiat nos, an curet preces nostras, propone animo promissiones Euangelij: Cogita Deum mandasse, ut inuocemus, & credamus placere & recipi nostras preces propter Filium. Et hanc inuocationem summum esse cultum & operum omnium maximum, & Deo gratissimum. Ideo toties clamitat CHRISTVS, Petite et accipietis. Item Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Hæc quotidiè in precando cogitare necesse est. Nec est precatio demurmurare aliqua uerba sine hac cogitatione. Ideo difficile opus est precatio, Nam primùm hæc attentio est difficilis, sed multò maior labor, fidem excitare, ut acquiescas in promissione Euangelij, ac statuas preces non esse inane murmur, non dici Ethnico more propter consuetudinem, sed reuera eas à Deo flagitari, approbari, recipi, exau-

diri, Hic cor erudiendum est, ut acquiescat in tot promissionibus, sancitis sanguine, & resuscitatione Filij, ut, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, ego reficiam uos. Hæc aliàs sæpè repetuntur. Iam uerò recensui, ut hunc textum diligentius aspiciamus, in quo ostenditur, quis sit Deus, fit mentio, Patris, Filij, & Spiritus sancti.

Quoties ergo incoas precationem, primùm cogites quem uelis alloqui, & testimonia de utraq; re tibi proponito, uidelicet, testimonia quibus se patefecit Deus, quis sit, & promissiones, quòd propter Filium exaudiat. Intuere mente æternum Patrem sonantem hanc uocem. HIC est Filius meus dilectus, HVNC audite. Hunc agnosce creatorem esse cum Filio suo, coæterna imagine, & Spiritu sancto effuso in Apostolos. Et memento promissiones, Propter hunc filium Iesum Christum propiciatorem, uult nos exaudire Deus, recipere, & regere Spiritu sancto.

Exemplum formæ sæpè recitaui: Omnipotens, æterne & uiue Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefeciſti immensa bonitate, & clamasti de Filio tuo Domino nostro Iesu Christo, HVNC audite. Conditor omnium rerum & conseruator, cum Filio tuo coæterno, λόγῳ & imagine tua, & Spiritu sancto effuso in Apostolos, fouente creaturam tuam, sapiens, bone, misericors, iudex, & fortis, miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, Dominum nostrum, quem uoluisti pro nobis esse

esse uictimam, μεσίτην καὶ ἱκέτην, mirabili & inenarrabili consilio, & sanctifica, inflamma, doce, rege, iuua cor & animam meam Spiritu sancto tuo, sicut dixit Filius: Quantò magis pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

In tali precatione profitemur quis sit Deus, & qualis sit, & seiungimus nostram precationem ab Ethnica, Iudaica, & Turcica, & promissiones nobis suggerimus, ut fides excitetur, Agnoscimus hunc esse Deum creatorem rerum, qui se patefecit uerbo suo, & misso Filio, & agnoscimus non esse ocioſum, aut alligatum secundis causis, sed sapientem bonum, iustum, iudicem, fortem, miserentem propter Filium, iuuantem nos, & regentem Spiritu sancto: Hæc omnia complecti in precatione necesse est. Nam quis sit Deus, & cur exaudiat, nisi hæc omnia complectamur, cogitari non potest. Assuefaciant ergo se bonæ mentes ad talem aliquam formam, & opponant eam Ethnicis & Turcicis opinionibus.

DE SECVNDO.

Persona-rum discri-mina.

SÆpè repetuntur descriptiones personarum diuinitatis. Pater est substantia intelligens, æterna, omnipotens, liberè agens, bona, iusta, misericors, gignens ab æterno imaginem sui, cum qua & cum Spiritu sancto procedente à Patre & Filio, condidit cœlum & terram, & omnes naturas, quas continet.

Filius

Filius est substantia genita à Patre, coæterna, imago æterni Patris, & quia mirabili consilio constitutus est propiciator, ideo assumsit humanam naturam, & factus est uictima, & pignus, quòd Deus uelit nos recipere, nobis reddere iusticiam, & uitam æternam.

Vt autem imago gignitur cogitatione, ita spiritus dicitur procedere à uoluntate Patris & Filij, quia est flatus & agitator, mouens creaturam, & accendens lucem, & nouos motus in cordibus audientium Euangelium. Huic agitationi quæ à uoluntate est, conuenit uocabulum procedere.

Testimonium misericordiæ Dei in promissione Spiritus sancti.

Iam uide hoc loco, quanta Dei bonitas describitur, & quanta traditur promißio Ecclesiæ. Christus pollicetur, se missurum esse Spiritum sanctum, & simul affirmat, Patrem uelle ut mittatur. Volunt igitur Pater æternus, Filius, & Spiritus sanctus, non perire genus humanum, sed reddi hominibus nouam lucem, agnitionem Dei, nouam iusticiam, fidem, dilectionem, & uitam æternam. Quia enim uolunt dari Spiritum sanctum, hæc accendi in cordibus hominum non dubium est.

Spiritus S. officia.

Cùm dicitur Spiritus sanctus procedere, personæ proprietas indicatur, Deinde cùm uocatur Spiritus ueritatis & παράκλητος, officia seu propria munera describuntur, quæ per eum diuinitas impertit.

Spiritus ueritatis.

Spiritus ueritatis, id est, qui per Euangelium facit lucere in mente ueram agnitionem Dei, & in corde accendit motus congruentes uoluntati Dei, reuerentiam

rentiam erga Deum, fiduciam, inuocationem & dilectionem Dei, odium peccati, consolationem & lætitiam in Deo incoantem uitam æternam.

Hæc bona melius intelliguntur ex collatione. Cato etsi iudicio naturali habet hanc noticiam, quòd sit aliqua mens æterna, conditrix rerum, & curans imperia, tamen cùm uidet confusionem humani generis, & uidet se in caussa, ut arbitratur iusta, negligi, iterum mergitur in immensas tenebras, amittit totam persuasionem de Deo, cogitat aut nihil esse, aut ociosum, aut iniustum esse. Deinde omnibus religionibus irascitur. His tenebris & hoc mendacio omnium hominum corda oppressa sunt, quæ non norunt Euangelium, ex quo solo discimus, cur & quomodo Deus exaudiat, & cur genus humanum subiectum sit morti, & alijs pœnis. Sæpè uerò accenduntur in impijs maiores furores, quia sunt tenebræ in mentibus ignaris Euangelij, & Diabolus impellit multos, ut fingant contumelioſa aduersus Deum, ut Epicurus horribili petulantia uociferatur, nihil esse Deum. Vulgus fingit idola, & multos deos, ut qui currunt ad statuas mortuorum. Hæretici etiam fingunt sua deliria. Manichæus duos deos comminiscitur. Hæc exempla cogitemus, & consideremus quanta sit miseria hominum, qui sunt sine Euangelio, & sine Spiritu sancto, Ac sciamus dari Spiritum sanctum, ut depulsis his furoribus & mendacijs, accendat in nobis ueritatem, id est, ueram agnitionem Dei, quis sit, & quomodo

Tenebræ & mendacium humani cordis.

quomodo exaudiat, quomodo coli uelit, quomodo iudicaturus sit.

Paracletus confirmans & consolans.

Altera appellatio hoc loco est παράκλητος, quæ significat aduocatum, scilicet, nos consilio regentem, & consolantem in doloribus, & confirmantem nos in uarijs certaminibus. Sic alibi Christus inquit, Spiritus sanctus ducet uos in omnem ueritatem. Nimis uagabundæ sunt mentes humanæ, ac facilè aberrant à Deo, facilè admittunt plausibiles opiniones, pugnantes cum uerbo Dei, ut Eua decepta est, & Paulus uocat tela ignita diaboli, opinionum spectra, quæ Diabolus infirmis animis offundit. Aduersus hæc mala, non possumus esse tuti, nisi Spiritus sanctus confirmet mentes. Quare semper petendum est, Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis. Et promissio de Spiritu sancto cogitanda est, qui ideo promittitur Ecclesiæ, & singulis inuocantibus, ut ueritatem in nobis confirmet, retineat mentes in agnitione ueræ doctrinæ, & accendat uerum timorem, ueram dilectionem, prohibeat audaciam fingendi opiniones sine uerbo Dei, &c. Sicut Dauid orat, Spiritum rectum, id est, firmum, innoua in uisceribus meis.

DE TERTIO.

ALiquoties repetita est sententia à Christo, Spiritus sanctus testificabitur de me. Hoc dictum describit officia iam recitata, Semper autem coniungatur

iungatur duplex testificatio, exterior per ministerium, & interior in corde, Vtraq; est opus Spiritus sancti, Et de utraque dicitur, Arguet mundum de peccato.

Testificatio spiritus per ministerium.

Arguit enim in ministerio publicè, & priuatim in singulorum cordibus. Item de ministerio dicitur, Ascendit, dedit dona hominibus, Prophetas, Apostolos, Pastores, Doctores. Porrò hic multæ fanaticæ opiniones refutantur. Anabaptistæ ministerium Euangelij, uocem & doctrinam prorsus abijciunt, fingunt motus spirituales, sine & extra Euangelium. Defensores uitiosorum cultuum & monasticorum, inuocationis sanctorum, abusus Cœnæ Domini, fingunt cultus sine uerbo Dei, & allegant Spiritum sanctum, qui hæc approbauerit aut monstrauerit.

His erroribus omnibus opponendum est hoc dictum, Spiritus sanctus de Christo testabitur, id est, sonabit uocem à Christo traditam, sicut Christus inquit, Ille rediget uobis in memoriam ea quæ dixi, Item, Spiritus sanctus glorificabit me. Quare ubi remouetur ministerium uel Euangelium, ibi Spiritus sanctus non testatur de Christo. Hæc primùm de ministerio scire necesse est.

Testificatio Spiritus in cordibus.

Postea quid sit interior testificatio, intelligunt pij, cum uerbo Dei audito, aut cogitato, existunt sensus iræ Dei, ac pauores, & dolores de peccato, & rursus consolationes ex agnitione Christi, & fide, & inuocatio non impedita mala conscientia. Hæc est interior

Spiritus adoptionis filiorum. Ro. VIII.

terior testificatio, quam describit Paulus in hoc dicto, Accepistis spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater. Nam ut suprà dixit de Catone, donec mens dubitat an Deus uelit te recipere, & exaudire, fugit Deum, sed cum agnoscis promissionem de Mediatore, & credis te recipi, simul Spiritus sanctus est efficax, excitat inuocationem, dilectionem, & alias uirtutes. Et Galat: 3. ut promissionem spiritus accipiamus per fidem.

Spiritus S. accipitur fide Euangelij.

Hoc dictum semper in conspectu habendum est. Monet enim, & quomodo detur Spiritus sanctus, & quæ sit actio præcipua, qua testificatur in nobis. Datur per Euangelium, sicut aliàs inquit Paulus: Euangelium est potentia Dei, ad salutem omni credenti, id est, Euangelium uerè est efficax, Deus uerò impertit bona cogitanti Euangelium, & acquiescenti in eo, seu assentienti, cum acquiescimus, & credimus nos recipi, & exaudiri, Quia Deus hanc suam uoluntatem in Euangelio suo patefecit, & uult nos hæc credere, ac misit Filium ut sit precium, & testis, ac pignus huius uoluntatis, In hac consolatione uerè datur Spiritus sanctus, & ipsa consolatio & inuocatio in corde testificantur de Deo. Accendit iam hanc lucem Spiritus sanctus, ut firmius statuamus nos Deo curæ esse, nos recipi, propter Filium, accendit et inuocationem.

Cogitationes accensæ à Spiritu S.

Hæc pijs nota sunt, qui sentiunt terrores, & cogitant, quem Deum inuocent, an exaudiri se existiment, & cur exaudiat Deus. Maxima pars hominum recitat

citat preces, tantum ut inane murmur, ac plurimi ne cogitant quidem quid inuocent, curet ne humanos clamores Deus, sed consuetudini obtemperant. Hæc impietas corrigenda est, & in omni precatione cogitandum de uerbo Dei, ut fides accendatur, & quis Deus, & quomodo inuocandus sit, agnoscatur, uidelicet, qui se sua uoce, & per filium Christum patefecit. in inuocatione.

Hic iterum obstrepit indignitas nostra. Qui magis exaudiet te Deus, quàm Saulem & similes? quas habes uirtutes? qua in re antecellis cæteris hominibus? Quid putas Deum curare hoc tuum murmur? Hæ cogitationes duriter excruciant animos, & sæpè sunt tela diaboli, missa ad excutiendam fidem, ut impellant animos in perpetuam desperationem, & Epicureas blasphemias. Et multi sic euertuntur. Quare hic inprimis simus intenti, & sciamus hoc proprium esse munus Spiritus sancti, testificari de Deo in corde. Ideo datur ut corda confirmentur agnitione uera Dei.

S. Spiritus confirmat corda uerbo contra diffidentiam.

Sed colligenda sunt præcepta, & promissiones Dei, quæ testantur eum postulare hunc cultum, scilicet inuocationem, & uerè eum uelle præstare dona petentibus, sicut inquit Christus: Petite & accipietis, & quidem exaudit non propter nostram dignitatem, sed propter Filium, sed tamen non afferatur propositum peccandi. Viuo ego, inquit, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Sic iubet

nos Deus acquiescere in sua promissione, & non sine certamine, ac labore: cor his testimonijs uincitur, ut acquiescat.

In hoc certamine uerè est efficax Spiritus sanctus, & corda flectit ut acquiescant. Ita sciamus nos iuuari à Spiritu sancto, in inuocatione, Sicut dicitur in Zacharia: Effundam super eos Spiritum gratiæ & precum. Et ut in inuocatione, sic in omnibus nostris periculis, & actionibus, hoc auxilium petamus, & expectemus, Sicut Christus inquit, Dabo uobis Spiritum paracletum, suppeditantem consilium & auxilium, ut Dauidem exultantem sustentat, ne desperet, & flectit ad consilia meliora, & adiuuat in ipsis negocijs.

Hæc melius intelliguntur, cum in periculis hunc gubernatorem, uera inuocatione quærimus, Cogitemus autem Deum non frustra tantas promissiones exhibuisse, uult eas peti. Non frustra misit Filium, sed uult eum agnosci, non frustra promittit nobis omnibus hoc ingens munus, scilicet societatem suæ naturæ, effuso in corda nostra suo diuino spiritu, Sicut dicitur, Effundam de meo Spiritu, &c. Vult hoc tantum donum peti, & dat petentibus, ut Christus inquit: Quantò magis pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Et quibus det, iam dixi, omnibus qui conuertuntur ad Deum, & petunt. Non dat nolentibus petere, aspernantibus tantum donum, nolentibus

Voluntas Dei ut petamus Spiritum sanctum.

lentibus conuerti ad Deum. Excitemus igitur nos ad pœnitentiam, & petendum Spiritum sanctum.

DE QVARTO.

Postrema pars huius lectionis de cruce concionatur. Opponitur enim præmonitio uulgari Iudæorum imaginationi, qui simulabant in regno Messiæ, se imperia occupaturos esse, & habituros dulcissimam tranquillitatem, hunc errorem taxat, & præmonet, quale sit regnum Messiæ futurum, ante resurrectionem spargam per uos Euangelium meum, in totum mundum, ut colligam Ecclesiam credentem mihi, & confitentem me, quam Spiritu sancto regam, ut in eis incoentur noua iusticia, & uita æterna. Non mitto uos ad imperia occupanda, sed plerunque imperia in uos, & in Ecclesiam exercebunt sæuitiam, imò hic ipse populus Israël, qui gloriatur titulo populi Dei, uobis aduersabitur, Eijciet uos extra Ecclesiam suam, tanquam hostes Dei. Sed nunc præmoneo uos, ut sciatis ueram Ecclesiam ibi esse, ubi Euangelium meum erit, & inuocatio Dei, per nomen meum, sicut aliquanto antè dixerat: Si manseritis in me, & uerba mea in uobis manserint, quicquid uolueritis, petetis, & fiet uobis. Item, In hoc glorificatur Pater meus cœlestis, ut fructum multum feratis & fiatis mei discipuli.

De cruce seu persecutionibus Ecclesiæ.

Nihil tristius est quàm eijci ex Ecclesia, quæ uerè sic dicitur. Ideo discamus quæ sit uera Ecclesia, De-

Cauſſæ afflictionum Eccleſiæ.

inde etiam repetamus doctrinam generalem de Cruce, quare Deus ante reſurrectionem uelit Eccleſiam ſubiectam eſſe cruci, uidelicet, quia manet peccatum in hac imbecilli natura, quòd uult agnoſci, coërceri calamitatibus, & aboleri morte, ut Paulus inquit, Corpus deſtinatum eſt morti, propter peccatum, ſcilicet, hærens in carne.

Vult afflictiones aſsidua exercitia eſſe pœnitentiæ, & inuocationis, uult item eas eſſe teſtimonia doctrinæ, cum Prophetæ et Apoſtoli malunt mori, quàm abijcere doctrinam, oſtendunt ſe uerè ſentire, quòd docent. Vult item teſtimonia eſſe, quòd aliud iudicium reſtet. Quia hic uidentur in morte neglecti, Eſaias, Ieremias, Paulus, quos Deus oſtendit antea ſibi curæ eſſe. Neceſſe eſt igitur aliud iudicium reſtare, in quo punientur Tyranni, qui in eos ſæuierunt, ubi Deus diſcrimen oſtendet ſuæ Eccleſiæ, & imperiorum.

IN DIE PENTECOSTES.

EVANGELIVM,

Ioan: XIIII.

SI quis díligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus díliget eum, & ad

& ad eum ueniemus, & manſionem apud eum faciemus. Qui non díligit me, ſermones meos non ſeruat, Et ſermonem quem audiſtis, non eſt meus, ſed eius qui miſit me Patris.

Hæc locutus ſum uobis, apud uos manens, Paracletus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille uos docebit omnia, & ſuggeret uobis omnia, quæcunq; dixi uobis.

Pacem relinquo uobis, pacem meam do uobis. Non turbetur cor uestrum, neque formidet. Audistis quod ego dixi uobis, uado, & uenio ad uos. Si diligeretis me, gauderetis utiq;, quia dixi, uado ad Patrem, quia Pater maior me est.

Et nunc dixi uobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis. Non iam multa loquar uobiscum, uenit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicq;, Sed ut agnoscat mundus quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater sic facio. Surgite eamus hinc.

DE PENTECOSTE,

Loci duo.

I. *Collatio Pentecostes ueteris Testamenti, ad Pentecosten noui Testamenti.*

II. *De Spiritu sancto, quid sit, ad quid detur, & quibus.*

DE PRIMO.

Pentecostes Iudaica.

Singulari consilio uoluit Deus conuenire tempora promulgatæ legis, & dati Spiritus sancti, ut collatio

tio admoneat pios, de utriusq; actionis fine. Die quinquagesimo post exitum ex Ægypto, uidelicet post Pascha populi Israël, promulgata est lex terribili uoce de cœlo, quia Deus uoluit extare publicũ testimonium sui iudicij aduersus peccata hominum. Et cùm populus audiuisset legem, expauit, ac petiuit, ut per Moysen deferrentur mandata Dei ad multitudinem. Senserunt enim, se non posse sustinere uocem legis.

Hæc historia significat eadem quæ geruntur in singulis, cum audimus uocem legis, id est, cum sentimus Deum iudicantem. Non enim potest natura hominum rea sustinere iram Dei iudicantis, & lege terrentis conscientiam, sicut inquit Ezechias, Sicut Leo contriuit omnia ossa mea. Ergo promulgata lege agnoscuntur peccatum & ira Dei.

Noua Pentecoste.

Hæc mala cum tollere uelit beneficio noui Testamenti, ut Paschati respondet Pascha, umbræ uera uictima, sic promulgationi legis monstrantis peccatum et iram respondet in hac Pentecoste manifestum testimonium donationis Spiritus sancti, per quem incoatur nouum regnum, in quo sonat uox Euangelij de remissione peccatorum, & de donatione Spiritus sancti, incoantis iusticiam, & uitam æternam. Hæc secunda Pentecoste multò glorioſior est priore. In priore monstrantur peccatum, & ira Dei, in secunda tolluntur.

DE SECVNDO.

Quid sit Spiritus sanctus.

QVoties de Trinitate cogitamus, intueamur admirandam reuelationem diuinitus factam in baptismo Christi, ubi tres personæ clarissimè discernuntur. Estq; Spiritus sanctus persona procedens à Patre & Filio, agitans corda, & excusitans nouos & diuinos motus, conuenientes legi Dei. Et quidem ipsum dictum Ioëlis testatur Spiritum sanctum esse substantiæ diuinæ, quia inquit, Effundam de spiritu meo, Meo, inquam, qui est meæ substantiæ.

AD QVID DATVR?

HOc copiosè traditur, sed summam unum dictum Zachariæ 12. Effundam super domum Dauid, & super habitatores Ierusalem, Spiritum gratiæ & precum. Hæc dulcissima sententia cõplectitur omnia beneficia Spiritus sancti, & ueros cultus Dei. Testatur donari Spiritum sanctum, & hunc esse spiritum gratiæ, id est, in cordibus nostris testificantem, primùm quòd simus in gratia Dei, seu inclinantem corda, ut assentiantur promissioni gratiæ. Nam hìc primus effectus est Spiritus sancti, inclinare corda ut agnoscant filium Dei, & statuant se recipi in gratiam, sicut Christus inquit, ipse me glorificabit, id est, erit testis per Euangelij prædicationem, & inclinabit corda ut assentiantur Euangelio, & noua luce perfundet, ut intelligant Euangelium, & discernant à sapientia mundi.

Spiritus gratiæ & precum.

Cùm autem cognoscimus misericordiam Dei, & accipimus remissionem, audemus iam accedere ad Deum,

Deum, inuocare eum, quia nisi absit fides statuens de remissione peccatorum, fugiunt corda Deum, non inuocant, Sed fide per Christum habemus accessum ad Deum, ut Roman. 5. dicitur, Item Rom. 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus Abba pater, id est, cùm corda eriguntur uoce Euangelij, & fide, induuntur Spiritu sancto, agnoscunt misericordiam Dei, uerè Deum inuocant fiducia filij, agnoscunt Patrem esse, &c.

Ideo Zacharias dixit, Spiritum gratiæ & precum, duos primos & præcipuos effectus Spiritus sancti complectens, scilicet testificari, quòd simus in gratia, & impellere ad inuocationem. Porrò inuocatio complectitur reliquos pios motus, dilectionem, & nouam obedientiam.

Hæc multis concionibus Christi, & Apostolorum amplificantur, quæ sunt promissiones infigendæ animis, Non relinquam uos orphanos. Constat Ecclesiam in mundo, uelut orphanam esse in præsidijs humanis, subiectam cruci, oppugnari à diabolo, moliente sectas, dissipationes, scandala, cædes, persecutionem, & ab organis diaboli, tyrannis & alijs. Sed Christus inquit, additurum se nobis paracletum, qui consilio regat, & confirmet mentes, qui retineat mentes in uera sententia, & illustret, ut Euangelium rectè intelligant, et discernant à sapientia mundi, sicut Christus inquit, Dabit uobis Spiritum ueritatis, id est, qui efficit ueraces in doctrina, & in inuocatione.

Dictum Christi, non relinquam uos orphanos.

QVIBVS DETVR.

Spiritum sanctum accipiunt omnes credentes.

Publica exhibitio Spiritus sancti, fuit testimonij, quòd uerè detur Spiritus sanctus toti Ecclesiæ. Ideo in hoc testimonio contemplemur uniuersalem promissionem. Vt omnibus offertur remissio peccatorum, & omnibus præcipitur ut credant, ita Spiritus sanctus promissus est omnibus, & datur omnibus agentibus pœnitentiam, & fide se sustentantibus, sicut manifestè testatur Paulus Gal: 3. Vt promissionẽ spiritus accipiamus per fidem. Et Christus inquit, dari eũ petentibus, Lucæ 11. Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus. Ac diligenter obseruanda est particula, petentibus, qua Christus requirit, & postulat petitionem huius muneris. Quod quidem in uerbis illis liberaliter promittit.

Quare agamus pœnitentiam, & exerceamus fidem in inuocatione, & petamus Spiritum sanctum, ut nouam lucem, & nouam obedientiam in nobis incoet, Sicut 2. Corint. 3. dicitur, Nos omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu, id est, nos audito Euangelio, & accepta remissione peccatorum, gloriam Dei speculamur, id est, audemus accedere ad Deum, & uidemus eius gloriam, id est, fulgorem iudicij, ac in illo iudicio, uoce Euangelij, consolationem habemus, ac induimur luce fidei, ut magis magisq; iram Dei, & misericordiam agnoscamus, & noua luce, qua est

Locus ij. Cor. iij. de speculatione gloriæ Dei &c.

est imago Dei, ornemur, id est, noticia Dei, fiducia præsentiæ Dei, dilectione, & cæteris uirtutibus, & addit, tanquam à Domini Spiritu, ut sciamus hanc renouationem esse opus Spiritus sancti in nobis.

Quomodo amittatur Spiritus sanctus.

Illud etiam sciamus, excuti Spiritum sanctum, lapsibus contra conscientiam, ut Galat: 5. dicitur, Spiritu ambulate, & concupiscentiam carnis non perficietis. & deinde, Manifesta sunt opera carnis, adulterium, scortatio, odia, de quibus dixi, talia facientes, regnum Dei non consecuturos esse. Et de his Ioannes inquit, Qui facit peccatum, ex diabolo est, & Ebræ: 10. Filium Dei conculcans, & sanguinem testamentì polluens, & Spiritum gratiæ contumelia afficiens. Hæc doctrina necessaria est Christianis, ut sciant omnibus promissum esse Spiritum sanctum, & accipi ab omnibus fide in uera pœnitentia, & retineri, dum manemus in exercitijs ueræ pœnitentiæ & inuocationis.

FERIA SECVNDA
PENTECOSTES.

ACTOR: II.

ET dum complerentur dies Pentecostes, erant omnes unanimiter simul. Et factus est repente de cœlo sonus,

nus,tanꝯ aduenientis flatus uehementis.Et repleuit totam domum,ubi erant ſedentes.Et conſpectæ ſunt illis diſpertitæ linguæ, tanquam ignis, ſeditꝯ ſupra ſingulos eorum. Et repleti ſunt omnes Spiritu ſancto, & cœperunt loqui alijs linguis, prout Spiritus dabat eis eloqui.

Erant autem in Hieruſalem habitantes Iudæi, uiri Religioſi ex omni natione

natione quę ſub cœlo eſt. Facta autem hac uoce conuenit multitudo,et confuſa eſt, quoniam audiebat unuſquiſque lingua ſua illos loquentes, Stupebant autem omnes, & mirabantur dicentes inter ſeſe. Nonne ecce omnes iſti qui loquuntur Galilæi ſunt? Et quomodo nos audimus unuſquiſq; propriam linguam noſtram,in qua nati ſumus? Parthi, & Medi, & Elamitæ, & qui habitant Meſopotamiam, & Iudæam, & Cappadociam, Pontum & Aſiam, & Phrygiam,& Pamphiliam, Aegyptum & partes Libyæ,quę eſt circa Cyrenen, & peregrini Romani, Iudæi & Proſelyti,Cretes & Arabes, audimus eos loquentes noſtris linguis magnifica Dei. Stupebant autem omnes,et conſternabantur ad inuicem dicentes, Quidnam uult hoc eſſe? Alij autem irridentes dicebant,quod muſto pleni eſſent.

Stetit autem Petrus cum undecim, & eleuauit uocem ſuam,& locutus eſt eis, Viri Iudæi,& qui habitatis Ieruſalem

lem uniuersi. Hoc uobis notum sit, & percipite auribus uerba mea. Non enim sicut uos existimatis, hi ebrij sunt, est enim hora diei tertia. Sed hoc est quod dictum est per Prophetam Ioel, Et erit in nouissimis diebus, dicit Deus, Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, Et prophetabunt filij uestri, & filiæ uestræ, & adolescentuli uestri uisiones uidebunt, et seniores uestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas, in diebus illis, effundam de Spiritu meo, & prophetabunt, & dabo prodigia in cœlo sursum, & signa in terra deorsum, sanguinem & ignem, & uaporē fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam ueniat dies Domini magnus & manifestus. Et omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.

Initium regni post resurrectionem.

CVm hæc sit descriptio initij regni Christi, statim proponitur summa doctrinæ, exemplum conuersionis, forma & imago huius regni. Primum autem

autem hic attentè consideretur species Ecclesiæ, & repetantur animo magnificæ promissiones datæ huic populo, & cogitetur quàm magnifica fuerit expectatio mundani regni. Ad hanc expectationem quomodo conuenit hæc forma? Etsi donum est multò gloriosius, uidelicet, incoatio uitæ æternæ, per Spiritum sanctum facta, & societas diuinæ naturæ, tamen exigua pars populi consequitur hoc beneficium, & illi ipsi sunt imbecilles, sine opibus, sine potentia mundi, etsi excellunt agnitione Dei, & testimonijs Spiritus sancti. Hæc species multa monet.

CONCIO PETRI.

De dicto, Effundam de Spiritu meo.

PRimùm refutat tacitam persuasionem populi de regno mundano, & docet regnum Christi fore donationem Spiritus sancti, & uitæ æternæ. Ad hoc citat Prophetam, & est insignis sententia: Effundam de Spiritu meo super omnem carnem. Hoc dictum testatur Spiritum sanctum esse natura Deum, quia dicit, de Spiritu Meo. Diligenter autem obseruanda est particula, de Spiritu Meo. Quale testimonium est dilectionis, quod seipsum Deus impertit nobis, quòd dato Spiritu sancto, efficit nos participes suæ naturæ, indit potentiam aduersus peccatum, & alia mala.

Coniungit autem Propheta primum & secundum aduentum, quia donatio Spiritus sancti est incboatio uitæ æternæ. Et describitur noua concio eius temporis, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus

saluus erit, quasi dicat, tunc proponetur Euangelium de remissione peccatorum, & agnoscetur Dominus, qui est autor huius Regni, qui docebit inuocationem. Hac inuocatione omnes saluabuntur, non lege. Ac diligenter considerandum est hoc dictum de inuocatione oppositum esse opinionibus legis, quia Lex deterret ab inuocatione, cum accusat. Iam autem proponetur nobis Mediator & Pontifex, per quem iubebimur inuocare, per quem donantur gratis remissio peccatorum, & uita æterna. Hic obiter etiam discamus, uerum & præcipuum cultum esse noui testamenti, inuocationem.

De reliqua concione Petri.

Refutato errore Iudæorum de Regno corporali, & recitato testimonio de Spiritu sancto, iam incipit concionari de autore Regni, scilicet quòd propter filium Dei, crucifixum & resuscitatum, dentur Spiritus sanctus, & uita æterna, quòd filius Dei resuscitatus sit efficax, sit saluaturus, sit iudicaturus uiuos & mortuos. Hic addit testimonium ex Psalmo. Deinde in Conclusione arguit peccatum eorum, quòd hunc filium Dei, autorem noui regni crucifixerint, & iubet eos agnoscere peccatum, et accipere remissionem peccatorum. Ita complectitur summam Euangelij. Iam autem uide, quale peccatum eis obijciatur, quòd crucifixerint Filium Dei. Maximum peccatum proponit, ut ostendat gratiam exuberare supra peccatum, ne quem magnitudo peccatorum adigat ad desperationem. Meminerimus autem hanc uocem

uocem pertinere ad omnes, omnibus temporibus. Singulorum peccata fuerunt caussa quare oportuit filium Dei pati quia aliter deleri peccatum non potuit. Item, quàm multi consenserunt in aliqua falsa dogmata, in supplicia aliqua piorum, aut certè non declararunt suam confessionem, non defendunt sanctos. Ita singuli aliquo modo crucifixerunt filium Dei. Diligenter igitur hæc particula consideretur, & ut nostra peccata agnoscamus, & ut discamus, gratiam exuberare supra peccatum.

FERIA TERTIA
PENTECOSTES.

ACTOR. XV.

SVrrexerunt autem quidam de hæresi Pharisæorum, qui crediderant dicentes, quod oportet circumcidere eos, & præcipere seruare legem Moysi, Conueneruntq; Apostoli & seniores uidere de hoc uerbo.

Cum autem magna disceptatio fieret, surgens Petrus, dixit ad eos, Viri fratres, uos scitis, quod ab antiquis diebus Deus inter nos elegit per os meum

audire gentes uerbũ Euangelíj,, & credere. Et Deus qui nouit corda, testimoníũ perhibuit eis, dans eis Spiritũ sanctum, sicut & nobis, & nihil discreuit inter nos & illos, fide purificans corda eorum. Nũc ergo quid tentatis Deum, ut imponatur iugum super ceruices discipulorũ, quod neq; patres nostri, neq; nos portare potuimus. Sed per gratiam Domini Iesu Christi credimus saluari, quemadmodum & illi.

Quæ-

QVÆSTIO.

An Ecclesia possit instituere nouos cultus.

CVM Apostoli instituerint ceremonias, uidetur utrunq; sequi, quòd & Deus uelit coli talibus ritibus, & Ecclesia possit imitatione Apostolorum instituere cultus. Respondeo tripliciter. Primùm, Apostoli hæc non instituerunt, sed usitata antea retinuerunt, propter probabiles causſas, & ne alienarent imperitiores. Quia mos erat captis urbibus, quæ recipiebant ueri Dei cultum, sine ceremonijs Mosaicis, tamen hæc imponere propter grauißimas causſas. Iam si Apostoli & hunc morem sustulissent, dixissent aliqui, prorsus Ethnicismum fieri. Ac de his non dubium est, necessariam esse prohibitionem idolatriæ, idolothytorum, & scortationis.

Prohibitio sanguinis & suffocati.

Cætera duo, de sanguine & suffocato uidentur esse ex ἀδιαφόροις, Ideo autem hæc obseruatio magnifiebat, quia tradita est Nohe, & multò uetustior est Moyse, & Circumcisione. Fuitq; huic præcepto addita prohibitio homicidij. Quare simul fuit Symbolum politicum. Sic ab esu sanguinis, penè ut à cæde abhorrebant homines. Quare credibile est patres hæc imposuisse gentibus, ut quamuis lege Moysi non onerarentur, tamen haberent aliquas ceremonias utiles disciplinæ causſa, quæ admonerent de uero cultu Dei, & de præceptis diuinis, & discernerent nouos ciues Ecclesiæ Dei ab alijs gentibus, quæ adhuc seruiebant idolis.

Retinuerunt ergo Apostoli usitatum morem traditum à Patribus, & continentem non ceremonias excogitatas humana autoritate, sed diuinitus traditas, quarum aliqua erat utilitas. Et in hac re uitauerunt offensiones & scandala eorum, qui fuissent alienati ab Euangelio, si ne hunc quidem morem uetustiorem lege retinuissent. Nam quòd habuerint scandali rationem in hoc casu, inde apparet, quòd non ubiq; abstinebant à sanguine.

SECVNDA RESPONSIO de cultibus.

Quæ opera sint cultus & quomodo.

NEcessaria cùm fiunt uera fide, & fiducia filij Dei, sunt cultus, id est, sunt opera quæ Deus approbat, consecrata ipsius uerbo, & quibus iudicat se honore affici, cùm ea facimus in fide, ac ut ei obediamus, & eum celebremus, ut fugere idola, non pollui uagis libidinibus, sunt ueri cultus, si fiant ut dictum est, Sed tamen & de necessarijs regula tenenda est, quæ hic traditur, quòd propter hæc non detur remissio peccatorum, sed propter filium Dei, sicut hìc dicitur, Fide purificans corda. Sic & olim ceremoniæ Mosaicæ erant cultus, cùm adhuc uerbo Dei consecratæ & præceptæ essent, si tamen fiebant in fide, id est, fiducia uenturi Messiæ, & propter confessionem. His ritibus testabantur Israëlitæ, hunc esse uerum Deum, qui hoc uerbum tradiderat.

Postquam autem illuxit Euangelium, de æterna iusticia

iusticia & uita, & ritus Mosaici desituri erant unà cum politia Mosaica, ritus pleriq; iam erant ἀδιάφοροι, Horum aliqui retineri poterant disciplinæ caussa, uel propter confessionem. Retinuerunt igitur Apostoli ritum de sanguine, disciplinæ caussa, & propter confessionem, quia ritus ille erat Symbolum, seu Sacramentum seuerissimæ prohibitionis de cæde, & prohibitio illa adiuncta erat legi de sanguine. Quare propemodum sanguinis esum sic abominabantur Iudæi, ut cædem ipsam. Cùm igitur tot caussæ concurrerent, disciplina, scandalum, & confessio, uisum est Apostolis hunc ritum retinendum esse, præsertim in ijs locis ubi caussæ illæ ualebant. Retinuerunt autem non ut cultum, ac multò minus uoluerunt esse meritum remissionis peccatorum, aut iusticiam.

Ritus Iudaici propter certas caussas retenti.

TERTIA RESPONSIO.

NEC ualet consequentia, Apostoli hæc retinuerunt, ergo licet Ecclesiæ noua instituere tanquam cultus. Neganda est consequentia, quia Apostoli non instituerunt, sed retinuerunt hunc ritum, propter caussas quas dixi. Deinde, etiam si quid noui instituissent, non sequitur imitationem concessam esse. Semper hæc imitatio nocuit Ecclesiæ: Primum, Patres mandato diuino instituerunt certos ritus, & sacrificia, postea imitatio ex falsa persuasione, excogitauit uaria sacrificia, etiam hominum mactationes. Ac minimè ualet consequentia. Apostoli retinuerunt

Non ualet imitatio præcipiendi ritus ab Episcopis.

propter disciplinam, aut scandalum, ergo licet imitari, aut fingere nouos cultus. Neq; hæc consequentia ualet, *Apostoli quosdam ritus tradiderunt, ergo licet cæteris Episcopis nouos ritus instituere. Quia Apostolica uocatio longè superat Episcopalem. Apostolis primùm tradidit nouum ministerium, & per eos instituit aliquid noui. Episcopus uerò est auditor, & accipit uerbum, & ritus ab Apostolis, cum certo mandato, ut hæc non mutata tradat Ecclesiæ.*

DOMINICA *TRINITATIS.*

EVANGELIVM,

Ioan: III.

ERat autem homo ex Pharisæis Nicodemus nomine, princeps Iudæorum. Hic uenit ad Iesum nocte, & dixit ei, Rabbi, scimus quod ā Deo uenisti Magister, Nemo enim potest hęc signa facere quæ tu facis, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Iesus & dixit ei. Amen amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit denuo, non potest uidere regnum

regnum Dei. Dicit ad eum Nicodemus, Quomodo potest homo nasci, cum sit senex? Nunquid potest in uentrem matris suæ iteratò introire, & nasci? Respondit Iesus, Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit ex aqua et spiritu, non potest introire in regnum Dei. Quod natum est ex carne, caro est, Et quod natum est ex Spiritu, Spiritus est, Non mireris quod dixi tibi, quod oportet uos nasci denuo. Spiritus

ubi uult,ſpirat,& uocem eius audis,ſed neſcis unde ueniat, aut quo uadat. Sic eſt omnis, qui natus eſt ex Spiritu.

Reſpondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei, Tu es Magiſter in Iſrael,& hæc ignoras? Amen amen dico tibi,quia quod ſcimus, loquimur, & quod uidimus,teſtamur, & teſtimoniũ noſtrum non accipitis. Si terrena dixi uobis, & non creditis, quomodo, ſi dixero uobis cœleſtia,credetis? Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo,Filius hominis qui eſt in cœlo. Et ſicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, Ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis qui credit in ipſum, non pereat,ſed habeat uitam æternam.

Error de iuſticia in populo Iudaico.

Diſputatio eſt,de diſcrimine iuſticiæ rationalis, & iuſticiæ fidei, qua uerè tollitur peccatum & mors, & fit regeneratio,ac incoatio uitæ æternæ. Ac primùm quidem conſideranda eſt caligo Eccleſiæ eius temporis. Mirum eſt præcipuos doctores ignoraſſe ueram doctrinam de iuſticia fidei, & tantum iuſticiam legis ſeu rationalem docuiſſe, & affinxiſſe, hac

hac tolli peccatum,hanc mereri uitam æternam,hanc ſatisfacere legi Dei. Ideo Chriſtus ſeuerè obiurgat Nicodemum, Tu ne es Magiſter in Iſraël, & hæc ignoras? Porrò hìc cogitemus ſimiles tenebras & errores perpetuò in Eccleſia extitiſſe. Ac antè Auguſtini tempora ferè penitus extincta fuit lux de doctrina fidei, per Origenem & Pelagium. Auguſtinus rurſus utcunq; accendit. Deinde iterum obſcurata eſt ſomnijs Monachorum.

Iuſticia rationis ſeu diſciplina.

Sed ut ad rem redeamus, ſciendum eſt duplicem eſſe iuſticiam. Altera eſt rationis,quæ eſt obſeruatio externorum operum Decalogi,quæ cùm ſit difficilis, & à paucis præſtetur,magnum & ipſa decus eſt. Ac humana infirmitas adeo miratur eam, ut ſolam ſufficere exiſtimet,& ſatisfacere legi Dei. Nec dubium eſt,omnes qui errant de iuſticia fidei,eo errare, quia ſic admirantur hanc diſciplinam,ut nolint uidere interiora peccata, quæ manent, etiamſi externa diſciplina ſit optima,uidelicet, dubitatio de Deo, eſſe ſine uero timore Dei, ſine uera fiducia,& dilectione, ſeſe admirari,habere fiduciam ſui. Et quidem hæc uitia maximè ſunt in illis, qui propter uirtutis ſtudium antecellunt cæteris.

Quare diſciplinam oporteat præſtare.

Sed tamen ſciant homines hanc diſciplinam neceſſariam eſſe propter quatuor cauſſas. Videlicet, propter mandatum Dei,ad uitandas pœnas, propter communem tranquillitatem, & quia eſt pædagogia in Chriſtum, id eſt, in his, qui perſeuerant in ſcele-

ribus contra conscientiam, non est efficax Euangelium, sed repugnant Spiritui sancto uocanti eos. Quanquam autem necessaria est, tamen agnoscamus eam nequaquam legi Dei satisfacere, nec sine peccato esse. Consideremus autem interiora peccata contra utranq; tabulam, sed præcipuè contra primam, quæ, quia non uidet ratio, tantum de externa disciplina cogitat, ut significatum est in typo, Populus non poterat ferre fulgentem Moysi faciem, sed uelatam uidebat. Sic nos externam legis umbram utcunq; intuemur, non uidemus quæ peccata interiora lex iudicet, accuset, & damnet. Non intelligimus, quantum postulet hæc uox, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. quis uolens obtemperat Deo, si mors oppetenda sit in confessione & uocatione? Manent igitur peccata in homine, etiamsi freno disciplinæ satis duro regitur. Hæc de priore iusticia primum scienda sunt.

Iusticia fidei.

Altera est iusticia fidei, quam hîc declarat Christus. Orditur autem à signo externo, Nisi quis renatus fuerit ex Spiritu & aqua. Nec putemus finitam esse concionem totam, facta mentione signi & Spiritus sancti, sed mox adiungenda est concio de fide: sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, sic exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum non pereat. Hæc concio est coniungenda superiori parti, imò superior est παρασκευὴ ad hunc locum de fide.

Sed

Sed quare à signo orditur? Duæ sunt causſæ. Vult exordium sumi à prædicatione uerbi, quæ cum signo coniuncta est, & uult in prædicatione pœnitentiæ argui peccatum, & monstrari Christum, ut faciebat Ioannes. Agite pœnitentiam, & credite Euangelio. Et hoc ipso loco Christus arguit naturam captiuam peccati: quod natum est ex carne caro est. Taxatur enim cœcitas Pharisæi non habentis lucem spiritualem, non uidentis interiora peccata, dubitationes de Deo, uacuitatem timoris, & dilectionis Dei, admirationem sui, fiduciam sui &c. Hæc peccata & iudicat Spiritus sanctus in prædicatione pœnitentiæ, & Christus hic taxat: Quod natum est ex carne, caro est, id est, sine luce spirituali, sine uera fide, sine uero timore. Natum ex carne, caro est.

Pharisæo hæc noua sunt, qui nihil nisi disciplinam quærit aut miratur, nec uidet peccata interiora. Ideo ea quæ de regeneratione diuina dicuntur, iudicat absurda esse, sed duriter à Christo obiurgatur.

Deinde prætexit Christus doctrinam de iusticia fidei, & repetit concionem de pœnitentia, quasi dicat, noli rem paruam ducere peccatum, aut iram Dei. Oportet crucifigi Messiam, ut fiat ira Dei placata, & sic eris renatus & iustus, si credas in illum crucifixum. Est igitur hæc iusticia fidei, cum expaueſcimus agnitione iræ Dei aduersus peccatum, credere quòd propter filium Dei pro nobis immolatum, æternus Pater & conditor sit nobis placatus Credere in Christum crucifixum

&

& propicius, remittat nobis peccata, & recipiat nos, ac iustos pronunciet.

Sumus igitur iusti, id est habemus remissionem peccatorum, & sumus accepti propter Filium, cum hac fide seu fiducia cor in uera pœnitentia erigitur, & apprehendit remissionem peccatorum, & acquiescit non in propria dignitate, sed in filio Dei, sicut dulcissimè pingitur in hac imagine, in qua dicitur, Quis inuenta tolli in humeros. Estq; hæc fides non tantum noticia, qualis est etiam in impijs, sed est fiducia misericordiæ. Iuxta illud, Omnis qui credit in eum non confundetur. Estq; motus Spiritus sancti intuens Christum, & acquiescens in illo, & fit, cum uerbo promissionis erigimur, Sicut Paulus clarè dicit ad Gal: ut promissionem spiritus accipiamus per fidem. Cùm igitur accensa est in corde fiducia misericordiæ, sequuntur inuocatio, & dilectio, & alij boni motus. Nam dilectio non potest existere, nisi præcedat illa fiducia, apprehendens misericordiam. Tantisper Deum fugit mens humana, nec potest diligere, nec expectare ab eo bona, donec sentit irã Dei: Hæc ita esse experientia testatur, sed homines securi ideo reclamant, quia hoc certamen eis ignotum est.

Quid sit fides.

Hæc est regeneratio de qua hîc concionatur Christus, cum hoc modo fiducia filij Dei per Spiritum sanctum in pauoribus sustentamur, & liberamur à terroribus peccati, & ab æterna morte. Postea de effectibus fidei alia quæstio oritur, scilicet de noua obedientia

De effectibus fidei seu noua obedientia.

entia, an propter eas qualitates persona sit iusta, id est, an satisfaciat legi, sit sine peccato, sit iusta, hoc est, accepta coràm Deo ad uitam æternam, propter illas uirtutes. Hîc sciamus., quòd hæ nouæ uirtutes non satisfaciant legi Dei. Item, quòd in renatis maneant peccata: laborant enim dubitatione, diffidentia, non timent, non diligunt Deum, ut debebant, manent & alij multi errantes motus. Ideo semper statuendum est de renatis, personam placere Deo fide propter Christum, non propter propriam dignitatem, seu proprias uirtutes, sicut clarè testantur hæc dicta: Nihil mihi conscius sum, sed in hoc non iustificatus sum. Item, Non intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Item, Si iniquitates obseruaueris Domine, Domine quis sustinebit?

Etiam in renatis manent peccata.

Nec esset difficilis dijudicatio huius quæstionis, si deformitas nostræ naturæ nobis in conspectu esset. Ideo enim amplificatur qualiscunq; obedientia, quia naturalis immundicies non satis conspicitur, sed pij aliquo modo eam agnoscunt, grati igitur amplectuntur hanc consolationem, quòd fide propter Mediatorem sint iusti, id est, accepti, non propter propriam dignitatem, seu nouas qualitates, seu opera. Et tamen oportet incoatam obedientiam in renatis esse, iuxta illud, Nihil nunc damnationis est ijs, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, sed secundum spiritum.

QVO-

QVOMODO PLACET hæc obedientia?

Quomodo placeat incoatio obedientiæ.

HIC semper tria iungantur. Primùm statuendum est personam habere remißionem,& placere propter Christum mediatorem. Secundò agnoscendum est et dolendum,quòd hæret in nobis peccatum,& quòd obedientia nostra ualdè imperfecta & contaminata est, Sciendumq; Ecclesiam propterea subiectam esse cruci & ingentibus ærumnis,ut agnoscantur & mortificentur reliquiæ peccati. Tertiò statuendum est, quòd tamen requirat Deus hanc obedientiam,& quòd in renato, quanquam imperfecta, placeat, non propter seſe, sed propter Christum, ut Petrus inquit, Offerte hostias spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum. Hic sedet ad dexteram Patris,ut assiduè pro nobis interpellet,hic pontifex nostras preces ad Patrem perfert.

Hæc sunt simplicia,plana,et nihil habent perplexitatis,retinetur certa consolatio,tribuitur mediatori Christo suus honos, retinetur doctrina necessaria ad inuocationẽ,quæ fieri non potest,si mens fugit Deum,additur & doctrina de obedientia,& excludantur arrogantia & desperatio. Hypocritæ iactant se satisfacere legi Dei. Econtra nos testamur homines non posse satisfacere legi Dei,& tamen obedientiam incoandam esse,& placere propter Christum.

Magnitudo misericordiæ.

Hic magnitudo misericordiæ Dei prædicatur, quòd recipit & approbat hanc quamuis mutilam,& multis

multis modis contaminatam obedientiam. Hæc ipsa magnitudo misericordiæ nos hortetur ad benè operandum. Quanta enim consolatio est militi, & scholastico scire,quòd hæc animi patientia in militia, aut in paupertate & miserijs scholasticis, Deo placeat propter Christum,ut dixi.

Complexus sum summam ueræ doctrinæ Euangelij de iustificatione,de qua Christus concionatus est in disputatione cum Nicodemo,nec est inutile è regione Antithesin considerare. Est autem primus error aduersariorum,quòd imaginantur homines posse satisfacere legi Dei.

Antithesis errorum doctrinæ pontificis.

Secundus error, quòd somniant hominem mereri remißionem peccatorum proprijs operibus.

Tertius error,quòd prorsus silent de fide accipiente remißionem peccatorum, propter Christum. Imò addunt contrariam sententiam, scilicet quòd homo debeat semper dubitare an sit gratia.

Quartus error, quòd fingunt opera renati esse impletionem legis,& meritum uitæ æternæ,cum tamen ne ipsa quidem opera renati,& disciplinam rationalem discernere possint.

Quintus, cùm nihil dicant de fide, imò iubeant dubitare,non possunt rectè docere iustificationem,& tantum tradunt Ethnicam inuocationem, cùm clamitet Christus, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis,id est,non fiducia uestræ dignitatis, sed fiducia Christi mediatoris.

DOMI-

DOMINICA I. *POST TRINITAT.*

EVANGELIVM, Lucæ XVI.

HOmo autem quidam erat diues,& induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidē. Erat autem quidam pauper nomine Lazarus,

rus,qui iacebat ad ianuam eius, ulceribus plenus,& cupiens ſaturari de micis,quæ cadebant de menſa diuitis, Sed & canes ueniebant,& lingebant ulcera eius. Factum eſt autem, ut moreretur pauper,& portaretur ab Angelis in ſinum Abrahæ. Mortuus eſt autem & diues, & ſepultus eſt.

Et in inferno eleuans oculos ſuos, cum eſſet in tormentis,uidit Abraham ā longe,& Lazarum in ſinu eius,et ipſe clamans,dixit, Pater Abraham,miſerere mei,& mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti ſui in aquam,& refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Dixit autem Abraham, Fili recordare, quia recepiſti bona tua in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala, Nunc autem hic conſolatur, tu uero cruciaris. Et ſuper hæc omnia inter nos & uos chaos magnum firmatum eſt,ut hi qui uolunt hinc tranſire ad uos, non poſſint,neq; inde ad nos tranſmeare.

Ait autem, Rogo ergo te Pater, ut

mittas eum in domum patris mei, habeo enim quinq; fratres, ut testetur illis, ut non & ipsi ueniant in hunc locum tormenti. Ait illi Abraham, Habent Moysen & Prophetas, audiant illos. At ille dixit, Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autē Si illi Moysen & Prophetas non audiunt, neq; si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

PRIMVS LOCVS.

Duricia mundi aduersus Ecclesiam.

GEneralis reprehensio est eorum, qui sunt duri erga pauperes. Nec intelligatur exemplum tantum de uno genere Eleemosynarum, sed eundum est per ordines. Pontifices & Reges sunt duri erga Ecclesiam, non student rectè sanare dissipatam, exercent crudelitatem iniustam. Item gubernatores alij negligunt defensionem pauperum, Item priuati non iuuant Ecclesiam & pauperes officijs, quibus debebant & poterant iuuare: Ita generaliter intelligatur hæc reprehensio. Notum est autem præceptum. Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Item, Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus. Hæc opera sunt necessaria, & quomodo placeant aliàs sæpè

sæpè dicitur, scilicet, propter Christum mediatorem in his qui credunt.

SECVNDVS LOCVS.

Consolatio proponitur contra scandalum crucis. Lazarus pauper uidetur desertus à Deo, cum sit in extremis miserijs. Et tamen hic testatur Christus, hunc placuisse Deo, & curæ fuisse, & Angelos ei assuisse. Hanc consolationem in calamitatibus tenere necesse est, ne propter eas iudicemus nos abiectos esse.

Lazari consolatio.

TERTIVS LOCVS.

Diues uituperatur, non quòd possederit diuitias, Quia Deus Reipub. caussa uult aliquos habere maiores facultates alijs, Sed duo uitia tribuuntur diuiti. Quòd uixerit securus, & neglexerit pauperem. Securitas trahit secum multa uitia, uidelicet, quia in securis non est pœnitentia, non est metus diuini iudicij, non sunt exercitia fidei, non est sollicitudo pro Repub. pro Ecclesia, &c.

Peccata diuitis.

QVARTVS LOCVS.

Sinus Abrahæ, est quies piorum, qui ex promissione facta Abrahæ, fidem, consolationem, & uitam æternam conceperant.

QVINTVS LOCVS.

Æternæ pœnæ describuntur figuratè, siti & hiatu. Sed alibi propriè describuntur, quòd sit horribilis dolor animi, pauor & fuga.

SEXTVS LOCVS.

Vtilis doctrina traditur de uerbo Dei. Christus iubet nos de uoluntate Dei tantum consulere uerbum Dei, quod nobis propositum est, nec quærere alias reuelationes, nec credere mortuis. Sicut alibi scriptum est, Non quærite ueritatem à mortuis. *Hæc sententia refutat spectra mortuorum, item, inuocationem sanctorum.*

Esaiæ VIII.

Imago Ecclesiæ in Lazaro.

Hæc est summa huius historiæ. Cæterum imago accommodetur ad præsentes Ecclesiæ calamitates. Sicut hic diues negligit Lazarum, ita re ipsa nunc Pontifices, Reges, & Principes iacentem Ecclesiam ad uestibulum ipsorum negligunt. Non studeut ueris modis conciliare dissipatam, defendunt errores, Alibi interficiuntur doctores, alibi fame pereunt, neglguntur Scholæ. Interea tamen canes, id est, aliqui spreti è uulgo utcunq; iuuant Ecclesiam, & leniunt ærumnas docentium & aliorum, qualibuscunq; officijs.

DOMINICA II.
POST TRINITAT.

EVANGELIVM,
Lucæ XIIII.

HOmo quidam fecit cœnam magnam, & uocauit multos, & misit seruum

seruum suum hora cœnæ, ut diceret inuitatis, Venite, quia iam parata sunt omnia. Et ceperunt simul omnes excusare se. Primus dixit ei, Agrum emi, & necesse est mihi exire, & uidere illum, Rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit, Iuga boum emi quinq;, & eo ad probandum illa, Rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit, Vxorem duxi, & ideo uenire non possum. Et reuersus seruus nunciauit hæc domino suo.

Tunc iratus Paterfamilias, dixit seruo suo. Exi cito in plateas & uicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & claudos & cœcos introduc huc. Et ait seruus, Domine factum est ut imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo, Exi in uias & sepes, & compelle intrare, ut impleatur domus mea, Dico enim uobis, quod nemo uirorum illorum qui uocati sunt, gustabit cœnam meam.

Reiectio contemnentium Euangelium.

REprehensio est contemtus Euangelij, in his qui præcipuè sunt uocati, hoc est, qui uidentur esse præcipua pars Ecclesiæ. Et adiecta est horribilis sententia de illorum condemnatione, Nemo illorum gustabit cœnam. Quanquam autem de reiectione populi Iudaici concionatus est Christus, tamen non de illis solis loquitur, sed generaliter pertinet concio ad omnia tempora, accusat contemtum Euangelij, in doctoribus, regentibus, & præstantiore parte populi.

Humana cœcitas & neglectio suæ salutis.

Est autem agnoscenda & deploranda cœcitas humana, quòd leuius curant homines Deum, & res æternas, quàm ulla reliqua corporis negocia. Sicut plerunq; in pagis rustici magis officiosi sunt erga bubulcum, quàm animarum pastorem, & interrogati respondent, se magis opus habere bubulco. Hoc exemplum

emplum pingit similes affectus in summis. Quanta est contentio de gloria, de opibus, cum interim frigidissimè curent homines, ea quæ ad gloriam Dei, aut propriam animarum salutem pertinent. Magis anguntur homines iactura pecuniæ, quàm conscientia alicuius peccati.

Hanc præposteram solicitudinem & depraua-tionem hominum, significant exempla hic recitata, Alius allegat se emisse agros. hic propter rem familiarem negligit salutem suam. Alius allegat se emisse boues. hic pluris facit ciuilem potentiam & ciuilia negocia, quàm Euangelium. Sicut iam politici uiri dicunt se esse occupatiores cæteris negocijs necessarijs, quàm ut uacet Euangelium cognoscere, Item negligunt Euangelium propter pacem ciuilem, &c. Alius allegat nuptias. hic præfert coniugem & liberos confessioni, non uult in discrimen uenire suos propter Euangelium.

Ita in summa huc spectant exempla, ut reprehendant peruersionem humanæ naturæ, quæ negligit Deum, & maiori solicitudine curat negocia inferiora, quæ etiamsi sunt necessaria, tamen non erant anteferenda Deo, iuxta illud: Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis.

Secundus locus, proponitur imago Ecclesiæ, cum præstantiori parte reiecta uocantur claudi & cœci. Monet igitur Deum conseruare Ecclesiam, colligendis

Ecclesia collecta ex imbecillibus.

aliquibus passim, qui non antecellunt opibus & autoritate, Sicut inquit Esaias, Nisi Deus reliquisset nobis semen, essemus facti sicut Sodoma & Gomorra.

Tertius locus de coactione.

I. Tria sunt obseruanda. Primum dulcissima est consolatio, quòd Deus etiam cogi nos iubet, Significat enim uerè se expetere salutem nostram, & uerè uelle saluare, ut cùm pater serio afficitur cura regendi Filij, non tantum frigidis admonitionibus, sed etiam seueritate quadam imperij erga eum utitur, cogit eum facere officium.

II. Secundò, Significat Christus ministerium uerè esse efficax, quia coactio propriè hoc loco significat eam, quæ fit per ministerium Euangelij, quod proponit mandatum Dei, & æternas pœnas, & est efficax adiuuante Deo. Quare & hæc sententia ornat autoritatem ministerij, & significat Deum esse efficacem per ministerium.

III. Tertiò, Quanquam Christus hìc nihil loquitur de coactione corporali, seu de officio Magistratuum, sed tantum de ministerio Euangelij, quod cogit proposito mandato Dei, propositis æternis pœnis, item, adiuuante Deo, tamen & Magistratus suam habet coactionem, scilicet, quòd ad disciplinam externam attinet, sicut aliàs sæpè diximus, Magistratum esse custodem legis, ut tollat externam idololatriam, puniat externa delicta.

DOMI-

DOMINICA III. POST TRINITAT:

EVANGELIVM,

Lucæ XV.

ERant autem appropinquantes ei omnes publicani & peccatores, ut audirent illum. Et murmurabant Pharisæi & Scribæ, dicentes, quia hic pec-

catores recipit, & manducat cum illis. Ait autem ad illos parabolam istam, dicens, Quis est ex uobis homo, qui habet centum oues, & si perdiderit unam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouē in deserto, & uadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam? Et cum inuenerit, imponit eā in humeros suos gaudens, Et ueniens domum, conuocat amicos et uicinos, dicens illis, Congratulamini mihi, quia inueni ouem meam, quę perierat. Dico uobis, quod ita gaudium erit in cœlo, super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quām super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmā unam, nonne accendit lucernam, et uerrit domum, et quęrit diligenter, donec eam inueniat? Et cum inuenerit, conuocat amicas et uicinas, dicēs, Cōgratulamini mihi quia inueni drachmam, quam perdideram. Ita dico uobis gaudium erit coram angelis Dei, super uno peccatore, pœnitentiam agente.

SEX

Sex sunt præcipui loci.

I. De *misericordia & promißione gratiæ.*
II. De *pœnitentia.*
III. De *filio prodigo.*
IIII. *Quòd calamitates uocent ad pœnitentiam.*
V. De *remißione peccatorum, & nouis donis.*
VI. De *hypocritarum superbia.*

DE PRIMO.

CVm primi homines peccassent, Deus statim eis pœnitentiam prædicauit, & simul promißionem tradidit, qua misericordiam suam, & reconciliationem patefecit, & illos recepit, & utraq; concio postea magis illustrata est, ut uox illa clarè testatur, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Sed humana ratio, etsi fatetur Deum misericordem esse, tamen resistit in hac imaginatione, fauet iustis, nec recipit enormiter lapsos, nec recipit nisi prius aliqua interceßerint merita, & compensatio aliqua, sic imaginatur ratio ignara Euangelij de gratuita reconciliatione, & has opiniones ex lege ratiocinatur. Sic & Phariſæi in hac historia stomachantur, Christum admittere obnoxios manifestis flagitijs, Magnificiebant disciplinam suam, & cogitabant ex eo tantum numero sumi Ecclesiam, qui disciplinam retinet. Sic omnes imaginantur.

Humana Imaginatio de disciplina.

Quan-

Misericordia gratis promissa omnibus.

Quanquam autem disciplina res est omnium humanarum rerum pulcerrima, & à Deo mandata, tamen ingens misericordia Dei uocat omnes ad pœnitentiam, & offert omnibus gratiam agentibus pœnitentiam, etiamsi antea non fuerunt frenati disciplina. Ac utile est in ipsis historijs considerare magnitudinem misericordiæ.

Minus mirari solemus, quòd Deus misit Euangelium suum populo Iudaico, in quo manserat aliqua uera de Deo doctrina, & honesta disciplina erat. Sed conferamus Romã Neronis tempore ad Nazareth.

Primùm Romæ prorsus ignotus erat uerus Deus, plurimi palàm erant ἄθεοι, reliqui flagitiosè colebãt idola. Deinde tota ciuitas plena erat fœdissimarum libidinum, quæ putabantur esse uoluptates concessæ, non dignæ pœna: postea peculatus & usuræ, etiam laudi ducebantur. Deniq; nulla Dei reuerentia, nulla pudicitia, nullum studium ueritatis & iusticiæ erat. In tali ciuitate iubet Deus etiam sibi Ecclesiam colligi, & tales erant mores ferè toto orbe terrarum.

Magnitudo misericordiæ.

In hoc exemplo cernitur magnitudo misericordiæ Dei, quod ad tales, ubi disciplina adeo extincta est, etiam uox Dei sonat uocans ad pœnitentiam, & salutem offerens. Et res initio Iudæis indigna uidebatur, spargi Euangelium inter illos execrabiles homines, qui in summa turpitudine sine disciplina ulla uixerant. Hinc sunt illa Pauli certamina, cum affirmat Euangelium ad gentes pertinere, & gratis offerri remissio-

remissionem peccatorum propter Christum, omnibus qui agant pœnitentiam. Magna & salutaris consolatio est pijs, cogitare de hac amplitudine misericordiæ, quæ maximè conspicitur, cum cogitamus Deum spargere Euangelium inter illa portenta hominum, ut tunc fuerunt Ethnici, & ut nunc sunt multi.

De hac tanta misericordia hìc quoq; concionatur, & proponit imagines, de oue perdita, de denario amisso, de filio prodigo. Hæc tota concio referatur ad hanc uocem, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Et teneamus summam Euangelij, quòd omnibus agentibus pœnitentiam certò detur remissio peccatorum gratis, propter Christum, quòd postulet Deus, ut huic uoci Euangelij credamus, & hac fide inuocemus, &c.

Quis perdita gestatur humeris Christi.

Quærit Christus ouem perditam, singuli autem sumus oues perditæ, sed magis conspicitur miseria illorum, qui sine disciplina uixerunt, ut mulieris meretricis, latronis, & innumerabilium, qui ex gentibus conuersi sunt. Estq; in textu suauis significatio inserta passionis Christi. Ouem inuentam Christus ponit in humeros suos, id est, ipse onus nostrum transfert in seipsum, fit uictima pro nobis. Deinde gestans nos perfert ad gregem suam, gestat nos, pascit, fouet & gubernat nos.

DE SECVNDO.

SED ita recipit Christus, & colligit Ecclesiam, etiam ex ijs, qui sine disciplina uixerunt, si agant pœniten-

pœnitentiam. Non recipit perseuerantes in delictis contra conscientiam, Sicut clarè dicitur, Fornicatores, adulteri, non possidebunt regnum Dei. Et 1 Ioan: 3. Qui peccatum facit, ex diabolo est. Sciamus igitur necessariam esse pœnitentiam, & discamus

De partibus pœnitentiæ. quas res complectatur. Cum autem pœnitentia seu conuersio ad Deum, tres partes contineat: Contritionem, Fidem, & nouam obedientiam, de singulis assiduè cogitandum est.

I. Contritio. Contritio est uerè expauescere agnita ira Dei aduersus peccatum, & uerè dolere, quòd Deum contemtu nostro & contumacia offenderimus. Hìc primùm cogitetur, quando sit homo sine pœnitentia, uidelicet, cùm uiuit sine aliquo sensu timoris Dei, Sicut inquit Paulus Ephes. 4. de securis, Qui postquam dedoluerunt, tradiderunt se impudicitiæ. Hæc profunda securitas sæpè grauissimè accusatur, ut Ierem: 6. Erubescere nescierunt. Item, Populus iste habet frontem æneam. Quare aduersus hanc securitatem colligamus testimonia iræ Dei, uocem legis, exempla pœnarum, passionem Christi, nostras calamitates præsentes, & impendentes. Ac sciamus ideo tantis calamitatibus totum genus humanum onerari, ut agnoscere iram Dei aduersus peccatum discamus, ut dicitur Psal: 38. Propter iniquitatem corripis hominem. Item Miche. 7. Iram Dei portabo, quoniam peccaui ei.

Nec uerò hominũ natura satis intelligere potest, quantum malum sit peccatum, & quanta sit ira Dei. Videba-

Videbatur leue quiddam esse gustare pomum, at contemtus Dei & contumacia aduersus Deum est infinitum & horrendum malũ. Id ostendit Deus magnitudine pœnarũ quæ secutæ sunt. Et ipsi primi parentes magnitudinẽ sui lapsus, magis intelligere ceperunt, cùm uiderunt necem Abel, & scelus Cain, & deinde multas cædes, & multa peccata. Sic in nobis crescat agnitio iræ Dei, crescat dolor, conspectu pœnarum. Magnitudo iræ Dei aduersus peccatum.

Nec omittatur hæc de pœnis cogitatio, quia quidam satis ociosis animis disputant, non incoandam esse pœnitentiam à timore pœnæ, aut prædicatione legis. Imò legem inculcari necesse est, quia est æternum & immutabile iudicium Dei, quo Deus testatur se irasci peccato. Nam etiam cum remittit, non approbat peccatum, sed miseram creaturam suam recipit propter Filium, ut Abacuc 3. dicitur, Domine, opus tuum in medio annorum uiuifica: pœnas uerò, & imponit, & scribi uoluit, ut ira ipsius conspiciatur. Hæc de contritione assiduè cogitanda sunt, & extirpanda ex animis securitas, quia sine aliquo pauore ac dolore impossibile est pœnitentiam existere. Ideo dicitur apud Esaiam: Vbi habitabit Dominus? in spiritu contrito, & tremente sermones meos.

II. De fide. Sed non satis est de cõtritione docere, quæ in calamitate sæpè ita opprimit homines, ut mœrore extinguantur, & fugientes Deum ruant in æternum exitium. Ideo addenda est doctrina de fide, uidelicet quòd sit æternum & immutabile mandatum Dei, ut credamus

damus nobis propter Filium remitti peccata, Deum constituisse uictimam pro peccatis nostris Filium suum, testificatum esse se uerè affici cura nostri, nos uerè recipi, quia æterno fœdere copulauit sibi humanam naturam, cùm Filius se demisit, & assumsit naturam humanam. Hæc tanta opera Dei contumelia afficit, qui non credit se recipi à Deo propter Filium.

Quomodo repellenda sit dubitatio.

Sed humana ratio multa opponit. Deus etiamsi est misericors, tamen & iustus est, miseretur eorum, qui suis meritis compensant lapsus. Item, miseretur non tam atrociter lapsis, mea peccata nimis multa & magna sunt. Hæ sunt legales, & rationales imaginationes, quibus opponendum est Euangelium, quod clamat certò, gratis nos recipi propter filium Dei. Clamat item, exuberare gratiam supra peccatum. Maior est Christus quàm peccata nostra, modo ut eum fide agnoscas, credas esse Mediatorem, & hoc Mediatore accedas rursus ad Deum, rursus inuoces.

Etsi uerissimum est alia peccata alijs maiora esse, tamen etiam eorum magnitudinem quæ leuia putantur, non perspicimus, semper in uno peccato multa insunt, & unus lapsus parit multos, sicut apparet in lapsu Adæ, Dauidis, Salomonis, deniq; quotidiana experientia huius rei testis est. Quare magnitudini & multitudini peccatorum opponamus hoc dictū, Gratia exuberat supra peccatū. Veniamus etiam ad ministerium Euangelij in Ecclesia, confiteamur coràm Ecclesia nos reos esse, ostendamus signa nostræ conuersionis,

uersionis, & petamus absolutionem, ut uoce Euangelij confirmetur fides, statuens de remissione peccatorum.

III. De incoatione obedientiæ.

Postquam autem statuimus de remissione peccatorum, incoëtur noua obedientia, assit propositum rectè faciendi, incoëtur inuocatio, nullum admittatur delictum contra conscientiam. Cogitemus nullum esse maius malum homini, quàm uiuere sine inuocatione Dei, hoc est, non habere Deum propicium, & protectorem, sed hostem abijcientem in pœnas omnis generis. Simus igitur uigilantes & firmi, ne conscientiam ruamus, ne iterum Deus à nobis alienetur.

Hæc de doctrina pœnitentiæ breuiter dicta sunt, quæ semper cogitanda sunt, quia arcana sapientia est de maximis rebus, de iustitia, de ira Dei, de humana infirmitate & contumacia, de pœnis peccatorum, de misericordia, de filio Dei, de miserijs humani generis, subiecti ingentibus ærumnis, infirmitati & scandalis, etiam post conuersionem. Hæc sapientia maius quiddam est, quàm uniuersa mundi sapientia.

DE TERTIO.

De filio prodigo.

VT supra imagines de oue perdita & amissa drachma recitauit, Ita hic addit illustriorem de filio prodigo. Etsi autem rectè confertur imago ad Iudæos & gentes, tamen uniuersaliter filij prodigi appellatione intelligantur homines sine disciplina, in manifesta turpitudine uiuentes. Et econtra filius frugalior, est homo, qui honesta disciplina regitur.

Verum est autem & præcipi disciplinam à Deo, & seuerè puniri disciplinæ contemtum, ut supplicia publica, bella, morbi, inopiæ, infamiæ, & plurimæ calamitates humanæ testantur, & bonum, inter naturæ bona, nullum maius est, quàm honesta disciplina, tamen Deus sua immensa misericordia, uocat ad se non solum eos, qui disciplina frenati sunt, sed etiam cæteros contaminatos horrendis flagitijs, ut non solum in Nazareth sonabat uox Euangelij, sed etiam Romæ Neronis tempore & in alijs locis, ubi omnia plena erant horrendæ turpitudinis.

Hæc historica exempla diligenter cõsideremus, ut magnitudinẽ misericordiæ Dei magis conspiciamus, ex talibus colligentis Ecclesiam. Et hæc exẽpla monstrant, quo respexerit Christus concionans hic de filio prodigo. Intuebatur enim maximam partem generis humani uiuentẽ sine disciplina. Cumq; hanc imaginẽ consideramus, addamus doctrinam Euangelij de gratuita remissione propter Christũ, ut supra dictũ est.

Ac uide ipsam imaginem, Filius bis peccat, petit hæreditatem ante tempus, cum uiuentis non sit hæreditas, deinde eximit se patriæ potestati, discedit, nec uult regi paternis monitis: Sic effrenes omnes inuadunt hæreditatem ante tempus, ingenij bona, & alias res, quas Deus dedit ut ipsi seruiant, transferimus ad nos, & turpiter abutimur, mens non est domicilium Dei, corpus polluitur & fit organum diaboli, diuitiæ conferuntur in turpes uoluptates.

Deniq;

Denique, in summa cogita obscœnos homines, aut latrones ante conuersionem, et expende quantum malum sit deficere à Deo, et donis Dei abuti in contumeliam Dei. Obserua autem hic & grammaticã annotationem, ἐπιβάλλον μέρος. appellatio est geometrica, & usitatè significat partem proportionalem, apud Ptolemæum, Aristotelem & Demosthenem.

Sed regulariter ac ut plurimum sequuntur pœnæ corporales in hac uita contemtum disciplinæ, propter tres caussas, propter iusticiam Dei, ad coërcendos homines, & ut uocemur ad Pœnitentiam. Hæ tres caussæ sæpè repetuntur in scripturis. Caussæ pænarum contemtæ disciplinæ.

De prima dicitur in Decalogo: Ego Deus uisitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem. I.

De secunda in Psalmo, In chamo & freno maxillas eorum constringe. II.

De tertia Esaiæ 28 Sola uexatio dat intellectum. III.

Et Ierem: 31. Castigasti me Domine, & eruditus sum. Ita hic Prodigus, postquam iam premitur calamitate, incipit caussas & remedia cogitare, & ut textus ait, ad se rediens dixit, id est, admonitus calamitate cogitauit de caussis, & de remedijs. Prodigus castigatus redit ad se.

Sed pauci sic ad se redeunt, Pharao, Saul, Nero, & alij multi oppressi calamitate, tamen fremunt aduersus Deum, ruunt in blasphemias, desperationes, & æternum exitium. Sed qui redeunt ad patrem, hos quanta clementia excipiat, in hac imagine clarissimè significatum est.

Basilius inquit de hoc ipso loco: Tantum uelis, &

Clementia Dei præoccurrentis redeuntib.

Deus præoccurrit. ita hîc pater procul accedentem conſpicit,trepidè & languidè accedimus, & afferimus non merita,ſed pollutam conſcientiam, & magnas ſordes.Quanquam autem tales ſumus,tamen pater occurrit,modo accedamus,pater uidet,id eſt, ſcit noſtras miſerias, curat nos, edit uerbum, & uocat nos,afficitur miſericordia,ſeriò uult nos ſeruare, ut Oſeæ 11. inquit, Conuerſum eſt in me cor meum, exarſit commiſeratio, non faciam furorem iræ meæ.

Deinde occurrit, id eſt, nobis languentibus,ipſe nos attrahit uerbo & Spiritu ſancto. Vt Apocal: 3. dicitur : Agite pœnitentiam, Ecce ſto ad oſtium, & pulſo,ſi quis audierit uocem meã, ingrediar ad eum. Irruit in collum, cõplectitur nos,ſuſtentat in dolore & pœnis Dauidem & ſimiles, extingueremur enim luctu & dolore, niſi à Deo adiuuaremur, & ſeruaremur. Deniq; dat oſculũ,id eſt,annunciat remiſſionem peccatorum,& noua luce & conſolatione mitigat terrores et pœnas.Ecõtra filius ſe patri ſubijcit, fatetur culpã,et agnoſcit duplicem offenſionem,ſcilicet,ſe Deo,& patri contumacem fuiſſe. In hac agnitione & recõciliatione fit renouatio ſeu regeneratio.

Nouus igitur ornatus hîc deſcribitur,ueſtis,annulus,calcei,Nam in conuerſione redditur Spiritus ſanctus,ut Roma:8. dicitur, Qui ſpiritu Dei ducuntur, hi ſunt filij Dei. Annulus ſignificat Euangelium & fidem, qua receptus agnoſcit ſibi reſtitui honorem filiſſamilias,ſibi reddi priſtinam nobilitatem. Nam

Annulus.

Euangelium teſtimonium eſt reconciliationis,et fides eſt apprehẽſio et applicatio,ut ſi annulo ſignificetur applicatio honoris alicuius.Iam autem hîc reconciliatus,iterum fœdus facit cum Deo,quod fit agnitione Euangelij & fide. Veſtis ſignificat bonam conſcientiam uniuerſaliter. Calcei ſignificant opera uocationis,in quibus lucere confeßio maximè debet.Quantũ decus eſt,quod ethnicus aliquis prius ignarus Dei,poſtea conuerſus fœdus facit cum hoc Deo,qui dato Euangelio,tanquam annulo,teſtatur hunc ſibi adiunctũ, eſſe. Poſtquam igitur hunc annulum, id eſt, Euangelium accepit,nulla ei ſocietas eſt cum Epicureis, nulla cum ijs qui idola colunt,ſed uerum Deum inuocãt.

Veſtis. Calcei.

Ita primùm diſcernitur annulo, id eſt, Euangelio & fide ab Ethnicis,uidelicet ornatus ijs uirtutibus,in quibus conſiſtit inuocatio. Deinde ueſte diſcernitur, induit enim bonam conſcientiam reconciliatus, quia dato Spiritu ſancto incoantur cæteræ uirtutes, dilectio,caſtitas,ueritas, etſi uiuit inter Ethnicos, iniuſtos,periuros,obſcœnos: tamen illos non imitatur, ſed ſuæ ueſtis,id eſt, ſuæ conſcientiæ mundiciem tuetur. Poſtremò et calceis diſcernitur,refert ſuam uocationem ad gloriam Dei,Si eſt magiſtratus, defendit Euangelij miniſteriũ,ſi eſt literatus,ſeruire Eccleſiæ in diſcendo et docẽdo Euangelio ſtudet. Deniq; ſingulæ uocationes aliqua in parte Eccleſiæ ſeruire poſſunt.

Et hunc triplicem ornatum diligenter memineri-mus,ut enim prius illuſtris deſcriptio propoſita eſt

operum Dei erga nos, cùm describitur pater occurrens, ita hic summa totius nouæ uitæ aptissimè cõprehensa est. Annulus, significat Euangelium & fidem. Vestis, bonam conscientiam. Calcei, opera uocationis, in quibus lucere debet confessio. Conuiuium, significat perpetuam lætitiam, & celebrationem seu commemorationem beneficiorum Dei in hac uita, et æterna.

Conuiuium & mactatio uituli.

Fit autem mentio mactati uituli, ut significetur mactatio Christi, cuius morte redemti sumus, & cuius uita reddit nobis iusticiam, Spiritum sanctum, & uitam æternam, & hoc redemtore uescimur. Sicut Ioan: 6. dicitur, id est, iam fiducia ipsius accedimus ad Deum, & consolationem concipimus, uerè nos uiuificat, dat Spiritum sanctum, uerè incoat uitam æternam, qua glorificabimur.

Hactenus in hac longa descriptione reditus filij prodigi, dulcissima imago proposita est, quæ nos ad pœnitentiam hortatur, et testatur nos recipi, et causas & effectus eruditè complectitur. Quare sæpè & diligenter cogitanda est, ut nos ad pœnitentiam & pietatem excitemus. Postea additur hypocritæ obiurgatio.

De fratre prodigi hypocrita.

Hic iam ostendit disciplinam externam, quamuis supra laudata est, tamen nõ satisfacere legi Dei. Pulcra res & necessaria est morum moderatio, & diligentia uitandi scandala, & communi tranquillitati seruiendi. sed in hypocritis magna sunt interiora uitia, scilicet persuasio propriæ iusticiæ, cum tamen assint dubitationes de Deo, multi uitiosi affectus, arrogantia,

rogantia, admiratio sui, despectio aliorum imbecillium, inuidia, cum crescere alios uident, ut Saul inuidebat Dauidi, & hic frugalis filius ægrè fert recipi prodigum & sibi æquari. Nam hypocritæ, quia arbitrantur se solos uirtute antecellere, soli uolunt regnare. At uera dilectio gaudet reuocari in uiam eos qui aberrauerant, tam optat salutem fratribus, quam sibi, lætatur exemplis clementiæ & misericordiæ, lætatur emendatione aliorum, & ut eorum sordes tegat, adiungit eos sibi, &c.

Vitia interiora in hypocritis.

Quòd uerò opponit ratio humana, Inæqualibus non dentur æqualia. Caiphas & Latro in cruce, non sunt æquales, ergo non dentur eis æqualia. Respondeo ad minorem. Etsi Caiphas antecellit disciplina, ac uidetur melior altero, tamen Deus est scrutator cordium, ac uidet, quantum sit prauarum opinionũ, dubitationum, et uitiosorum affectuum in Caipha. Non est igitur coram Deo melior latrone. Imò, quia sibi arrogat iusticiam, & tumet persuasione sanctitatis, quasi legi satisfaciat, hæc ipsa superbia & fiducia sui ingens peccatũ est, de quo dicitur Lucæ 16. Abominatio est coram Deo, quicquid altum est coram hominibus. Sed meminisse debebat alterum dictũ: Dicite, serui inutiles sumus. Item: Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. Habet suam laudem & præmia disciplina, & necessaria est, sed tamen sciamus eam non satisfacere legi Dei, & manere in hominibus uitia, quæ non sunt extenuanda, sed utriq;

Iudicium Dei exæquat Caipham & latronem.

agnoſcant peccata, utriq; miſericordiam quærant, ut fiat exæquatio coràm Deo, Rom: II. Concluſit Deus omnes ſub peccatum, ut omnium miſereatur.

DE QVINTO.

DE REMISSIONE PECCATORUM, & nouis donis.

IN hac ipſa narratione, imago dulcißima reconciliationis, & nouorum donorum proponitur. Reconciliatio ſignificatur, cum deſcribitur pater occurrens, amplectens filium, oſculans, domum deducens, & nouis donis, cum annulo, toga, calceis nouis ornatur. Hanc imaginem ſupra enarraui.

In peccatis contra conſcientiam non retineri Spiritum ſanctum.

Fingunt autem quidam, electos habentes peccata contra conſcientiam, tamen manere iuſtos, & retinere Spiritum ſanctum. Hic error ſeueriſſimè refutandus eſt, ut enim Adam, quanquam erat electus, tamen poſt delictum amiſit ingentem ornatum, quem habuit, uidelicet imaginem Dei, in qua fulgebat Spiritus ſanctus, & offendit Deum, ac fuiſſe iram non ſimulatam, pœnæ magnitudo oſtendit. Ita ſciamus uerè Deum iraſci lapſibus electorum, nec nos in tali loco de arcana electione diſputemus, ſed iudicemus de uoluntate Dei iuxta expreſſum uerbum Dei, quod & horribilium pœnarum exemplis confirmatur.

Rom: 8. Si ſecundum carnem uixeritis, moriemini. Item, qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt. Galat: 5. Currebatis benè, quis uos impediuit? ut non

ut non crederetis ueritati. Item, Qui talia agunt regnum Dei non poſsidebunt. 1. Ioan: 3. Qui facit iuſticiam, iuſtus eſt, qui facit peccatum, ex diabolo eſt. Apocal. 2. Habeo contra te, quod dilectionem tuam, quam prius habebas, amiſiſti, memento igitur unde excideris, & age pœnitentiam, & fac priora opera. 1. Timot. 1. Finis mandati eſt dilectio, ex corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta. Vbicunq; eſt fides, qua placemus Deo, ibi neceſſe eſt ſimul eſſe iuſticiam bonæ conſcientiæ.

Facere contra conſcientiam.

Ac prorſus impoßibile eſt hæc duo ſimul eſſe fiduciam quod Deo placeas, & contra cõſcientiam uelle mandatũ Dei uiolare, ſicut clarè dicitur à Paulo. Omne quod non eſt ex fide, peccatũ eſt, id eſt, omnis actio damnata eſt, quam ſciens et uolens cõtra Deum facis, hæc non eſt ex fide, quia impoßibile eſt contradictorias ſtatuere, quòd placeat Deo, & non placeat.

Quare ſciamus iuxta hoc uerbum Dei reuelatum iudicandũ eſſe, non placere Deo labentes contra conſcientiam, Idq; pœnæ electorum teſtantur, Adam, Dauid, Ezechias, & alij multi ſancti, propter certos lapſus horribiliter puniti ſunt. Qui hos lapſus extenuant, cõfirmant ſecuritatẽ & negligentiam, & è regione obruunt doctrinã de contritione et ueris doloribus in pœnitentia, Ideo hic error execrandus eſt. Tenerrima res eſt mucacio, et leuißimo uulnere ſauciata conſcientia repellitur, ac fugit Deum. Ideo ut fides retineri poßit, neceſſe eſt retinere iuſticiam bonæ

conscientiæ,ut 1. Ioan: 3. *dicitur,Si cor nostrum non reprehendit nos,fiduciam habemus erga Deum, &c.*

Lapsos recipi agentes pœnitentiam.

Refutata hac amentia,etiam Nouatianorum error taxandus est,tenenda est firmissima consolatio, quòd lapsi agentes pœnitentiam, & fide misericordiam propter Christum promissam apprehendentes, uerè recipiantur à Deo, uerè consequantur remissionem peccatorum,fiant hæredes uitæ æternæ,ut Adam post lapsum, audita promissione, & Dauid audita hac uoce, Dominus abstulit peccatum tuum, uerè recipiebantur in gratiam,uerè iterum donabantur Spiritu sancto,iterum sentiebant in contritione, in inuocatione,in consolatione ardentes motus.

Sic de reconciliatione docet Christus Matth: 18. *Remittite septuagies septies. Et* Ezech: 32. *Impietas impij non nocebit ei, quacunq; die conuersus fuerit ab impietate sua. Et* Esaiæ 1. *Si peccata uestra fuerint ut coccinum,quasi nix dealbabuntur. Et Dauid sic precatur, Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi leticiam salutaris tui, & spiritu spontaneo confirma me.*

Precatio Dauidis Psal L.

Cor mundum.

Hìc donatio Spiritus sancti,et effectus diserte describuntur. Primùm petit mundum cor, uidelicet, deleto peccato.Primus enim effectus est Spiritus sancti,mouere cor, ut de reconciliatione ac remissione peccati statuat,fac ut in me luceat fides, ut statuam deletum

deletum esse peccatum meum,ne te fugiam,sed rursus ad te tanquam patrem accedam,rursus te inuocem.

Spiritus rectus & sanctus.

Deinde Spiritus rectus est firmus,scilicet non dubitans more Academico,sed uerè statuens Deum irasci peccato,ac rursus recipi credentem, rursus uerè exaudiri,uerè curæ esse Deo. Spiritum sanctum uocat sanctificationem,hoc est, gubernationem in genere,qua mens Spiritu sancto regitur, accenditur ad agnitionem & inuocationem Dei, & adiuuatur in omnibus negocijs & periculis, & frenatur,ne ruat contra uoluntatem Dei. Sicut Paulus generaliter dicit de gubernatione Spiritus sancti. Qui spiritu Dei ducuntur,hi sunt filij Dei.

Spiritus spontaneus.

Postremo loco de consolatione dicit, Redde mihi leticiam salutaris tui,id est,qua tu saluas, ut Paulus inquit,Iustificati fide, pacem habemus. Et spiritu spontaneo sustenta me,id est,adde mihi robur in corde,ne deficiam à te, fractus impatientia,mora aut desperatione,sed sit obedientia spontanea sequens te, te intuens, à te expectans consolationem,sicut in exilio Dauid tolerauit tristissimas pœnas, nec fremuit aduersus Deum,sed constanter perseuerauit in inuocatione,& expectatione liberationis.

His dictis consolemur nos, & sciamus conuersis reddi dona,sicut generaliter dicitur 1. Corint. 6. *Et hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sanctificati estis, iustificati estis,nomine Domini Iesu, & Spiritu sancto. Hìc clarè testatur,cum remissione peccatorum dari*

dari Spiritum sanctum. Hæc dona petamus,& retinere studeamus.

DE SEXTO.

Vocatio flagitiosorum ad pœnitentiam.

Filius prodigus significat uiolatorem disciplinæ, & ille dat pœnas uiolatæ disciplinæ,sicut latro in cruce. Certum est enim disciplinæ uiolationem à Deo puniri. Sed tamen tanta est magnitudo misericordiæ Dei,ut hos quanquam tetris flagitijs pollutos, tamen uocet ad pœnitentiam, & conuersos recipiat. Etsi autem magnum decus habent,qui retinent disciplinam, tamen hos quoq; docet Deus non sine peccato esse. Habent enim interiora uitia multa, dubitationes de Deo,& multos errantes motus, Ideo uult Deus hos quoq; agnoscere suam infirmitatem, & ad Mediatorem confugere.

Iracundia Hypocritarum aduersus doctrinam Euangelij.

Sed multi admiratione disciplinæ immodica, cum audiunt ei detrahi laudem iusticiæ coràm Deo,irasci Euangelio incipiunt. In his cumulantur peccata,crescit arrogantia,et fiducia sui, quã Deus maximè detestatur,iuxta illud. Abominatio est coràm Deo quicquid sublime est in mundo,et accedit odiũ Euangelij.

His uitijs cœcitas in eis confirmatur,ut Rom: II. dicitur,Oculi eorum excœcentur ne uideant.Ita nunc multi,cùm Euangelium quasdam uitiosas leges taxat, incenduntur odijs,nolunt enim conturbari præsentem Politiæ formam,et prætexunt suæ iracundiæ studium tuendæ disciplinæ boni ordinis, queruntur labefactata autoritate legum,frenos laxari audaciæ & petulan-

petulantiæ hominum,multos sibi propter exemplum sumere licentiam.

Nec prorsus inanis hæc est querela, nam in dissensionibus publicis semper hæc mala accidunt. Sed tamen omnes homines scire oportet, propter hæc scandala non abijciendum esse Euangelium, sed retinenda est uox Euangelij,uel si fractus illabatur orbis. Serit scandala multa diabolus,ut alienet imbecilles ab Euãngelio,& confirmet odia hypocritica. Sed aduersus has insidias munitos nos esse oportet tot concionibus & exemplis,quæ de his scandalis Ecclesiam admonent,& retinere Euangelium præcipiunt,Nam primum mandatum anteferendum est omnibus rebus,paci publicæ,uitæ nostræ, tranquillitati,Non habebis deos alienos.

DOMINICA IIII. POST TRINITAT:

EVANGELIVM,

Lucæ VI.

ESTote ergo misericordes,sicut & pater uester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condem-

condemnare,et non condemnabímini. Dimíttite, & dimíttetur uobís. Date, & dabitur uobís, Menſuram bonam, confertam, & coagitatam & ſuperfluentem dabunt in ſínum ueſtrum. Eadē quippe menſura,qua menſi fueritis,remetientur uobís.

Dicebat autem íllís ſímílitudínem, Nunquíd poteſt cœcus cœcum ducere? Nonne ambo in foueam cadunt? Non

Non eſt díſcipulus ſupra magiſtrum ſuum. Perfectus autem omnís erit,ſi ſit ſicut magiſter eius. Quid autem uides feſtucam in oculo fratrís tui, trabem autem in proprio oculo non conſideras? Aut quomodo potes dicere fratrí tuo? Frater, ſine eíjciam feſtucam de oculo tuo, & ipſe in oculo tuo trabem non uides. Hypocrita, eíjce primum trabem de oculo tuo, & tunc díſpicies, ut eíjcias feſtucam de oculo fratrís tui.

Quatuor ſunt præcipui loci.

I. *Doctrina de bonis operibus.*

II. *Præcepta de quatuor officijs dilectionis, miſericordia, non iudicando, remittendo, dando.*

III. *Promiſsiones & comminationes.*

IIII. *Vituperatio peruerſē iudicantium, non ſeruantium regulam Prouer.* 10. *Iuſtus in principio eſt accuſator ſui, poſtea explorat proximum.*

DE PRIMO.

NOta eſt uox Pauli. Fratres,debitores ſumus ne ſecundum carnem uiuamus. Si ſecundum carnem uixeritis,moriemini, ſi ſpiritu carnem mortificabitis,

cabitis,uiuctis. Item 1. Ioan: 3. Nemo uos decipiat qui facit peccatum ex diabolo est. Hæc dicta sint infixa animis,ut sciamus oportere in saluandis existere incoatam obedientiam,nec sine ea posse homines saluari,sed oportet fidem in Christum præcedere,& prælucere,& sciendum est ita placere Deo incoatam obedientiam,cum reconciliati fide agnoscunt se non satisfacere legi,& tamen incoant hanc obedientiam, & credunt eam placere propter Pontificem Christum,postquam persona propter mediatorem Christum recepta est Hæc aliàs sæpè dicta sunt,sed semper in concionibus de bonis operibus,hæc summa repetenda est.

DE SECVNDO.

PRæsens concio tradit doctrinam de bonis operibus,& quidem de certis officijs dilectionis, pertinentibus ad quintum præceptum. Ac longa esset concio,si quis integrè de his uirtutibus dicturus esset. Sunt autem alia dicta hoc loco,alijs clariora. Præceptum de dando utcunq; intelligi potest, Sed illa de non iudicando,& de peruersitate iudiciorum, sunt obscuriora, & continent doctrinam necessariam,ad retinendam Ecclesiæ pacem,& concordiam. Dicam breuiter de singulis.

I. Misericordia.

Misericordia in genere est affici sensu alienæ calamitatis,præsertim iniustæ,& opitulari iniustè oppressis, pro uocatione, item probabili ratione mitigare iustam calamitatem,& habet duos gradus. Misericordia

sericordia est, quòd opitulatur Constantinus Ecclesiæ oppressæ à tyrannis.

Alius gradus est ἐπιείκεια in pœnis malè meritorum, ut Dauid post uictoriam parcit ciuibus,qui fuerant seditiosi,& tamen iam redibant ad officium. De hac ἐπιεικείᾳ concionatur, cum inquit, Estote misericordes,sicut Pater uester misericors est. Admonet nos quid meriti simus, insania est autem meritum easdem pœnas insultare calamitoso. Porrò omnes homines meriti sumus pœnas,ideo non insultemus alij alijs,sed potius communi dolore leniamus. Item simus grati Deo, qui erga nos fuit misericors, ac liberauit nos, & uult nos suo exemplo erga alios misericordes esse. De hac ἐπιεικείᾳ in Iacobo dicitur: Misericordia sit supra iudicium,id est, rigorem, Sed hæc habet suas metas.

II. Iudicia non prohibita.

NOLITE iudicare. Homo imperitus doctrinæ Christianæ offenditur hac uoce, quia uidetur politias tollere,sed Christus tantùm de priuatis iudicijs loquitur. Primùm igitur sciendum est, tria esse iudicia, quæ non pertinent ad hunc locum. Ministerium Euangelij, quod iudicat & arguit peccata, sicut Paulus inquit, Admone, increpa cum omni imperio. Item, iudicia Magistratuum. Item, uituperatio, quæ fit sanandi caussâ, aut aliorum admonendorum caussâ in flagitio manifesto,ut cùm dico,Abstineas à consuetudine huius hominis,quia scio ebriosum esse, & rectè dicit lex in ff. Eum qui nocentem infamat non esse

puniendum, quia expedit crimina nota fieri, ut emendentur. Hæc iudicia non sunt prohibita.

Calumniosa iudicia maleuolentium aut suspicantium.

Quæ igitur hîc prohibet CHRISTVS? Respondeo, priuata & calumniosa, scilicet, cum aut bonum factum, aut ambiguum, interpretamur in deteriorem partem, aut leue erratum maleuolentia exaggeramus, non studemus sanare. Non intelligit uulgus imperitum quàm facilè oriantur ingentes discordiæ, & perturbationes regnorum ex talibus initijs, cùm homines maleuoli, suspicaces, cupidi uindictæ, inter se certant odijs & calumnijs, ut nunc usitatum est iudicare, hic sacerdos duxit uxorem, ergo est homo leuis, non constanter retinens sui ordinis morem. Item, uidi alium familiarius loquentem cum meo inimico, ergo aliquid machinatur aduersum me. Hæc in uita latissimè patent, & præsertim in gubernatione cient magnos tumultus. Ideo Christus de re maxima concionatur hoc loco, cum cæteris, tum uerò maximè gubernatoribus, ut discant hos impetus frenare.

De remittendo.

Remittite. Vicinum est hoc præceptum proximo, non solum uitare calumniosa iudicia debemus, sed etiam illis malè suspicantibus ignoscere, dissimulare eorum iniurias, non pugnare cũ maleuolis amarulente, sed potius eos sanare, si sunt sanabiles, aut parcere eis Reipub. caussa. Sicut autem supra dixi de non iudicando, nõ prohiberi ministeria diuinitus instituta, sed priuata & calumniosa iudicia, ita hîc de remissione sciatur, non præcipi de ministerijs, ne taxẽt, neue puniant

niant delicta, quæ uerbo Dei et legibus puniuntur, sed præcipitur priuata remissio, quæ habet tres gradus.

I. Gradus remissionis.

Primus est cum leuibus iniurijs lacessiti, fingimus nos habere iustas causssas, & æmulatione, uel ambitione, uel cupiditate uindictæ incendimur, ut premamus aduersarium. Hîc præcipit Christus de remissione, Nam ex talibus initijs magni tumultus, magna dissidia sæpè in gubernatione oriuntur.

II.

Secundus gradus est, cum ueris caussis lacessiti sumus, non tamen atrocibus, in his etiam ἐπιείκεια adhibenda est, ne omnes iniurias persequamur, ut cum Dauid parcit ciuibus, semper enim potior est habẽda ratio tuendæ publicæ tranquillitatis, quàm priuati doloris, & huc pertinent hæc dicta. Remittite, & remittetur uobis. Vniuersa delicta operit charitas, &c.

III.

Tertius gradus est, quãdo sunt atroces iniuriæ, ubi defensione Magistratus opus est, aut alioqui pacis publicæ causssæ coërcẽdi sunt iniusti impetus, rectè cõfugitur ad officium magistratus, sed tamen accedat in animo remissio corã Deo, quæ non impedit pœnas.

IIII. Ad quæ obliget præceptum de dando.

DATE. Hoc præceptũ facilius intelligi potest, complectitur autem duos gradus, dare debita, quæ ciuili uel naturali obligatione debentur, & dare eleemosynas, quæ diuina obligatione debentur. Nam in utroq; genere peccant homines. Magnæ fraudes sunt contractuum, cùm tamen Deus uelit nos exercere obedientiam, in seruanda æqualitate in contractibus. Deinde & de eleemosynis diuina obligatio est, ut ca-

lamitosis,egentibus,& præcipuè socijs eiusdem confessionis & fidei opitulemur. Hoc officium habet gradus & metas, ut Paulus inquit, Non ut alijs sit ignauum officium, uobis afflictio. Item, Fontes tui deriuentur foras,tu autem dominus illorum maneto.

DE TERTIO.

COmminationes & promissiones additas intueamur,ut timorem et fidem excitemus. Estq; summa comminationum & promissionum in hoc dicto. Qua mensura menſi fueritis,eadem reddetur & uobis, et quidē textus ait,fore ut cumulatè reddatur,ut Constantius,etsi fuit ethnicus,tamen quia erat misericors,nec sæuijt in Christianos,nō est excussus ex imperio.Diocletianus etsi fuit sapiens princeps, tamen tandem sibi ipsi mortem consciuit, metu Constantini.

Qua mensura metiemini &c.

Et uniuersaliter meminerimus pœnam talionis ordinationem diuinam esse, quam Deus regulariter seruat,etiamsi humana iudicia eam negligunt,aut homines eam non considerant,ideo & uetustißimæ leges religiosè sanxerunt pœnam talionis, ut ex Moyse apparet, & in uersu Rhadamanthi, Si patitur quæ fecit, pœna est iusta putanda, Nam primi patres hanc Dei ordinationem diligenter proposuerunt populo, ut commonefacerent homines de timore Dei, & hinc multa dicta sumta sunt: Qui gladium acceperit,gladio peribit. Item,Væ qui prædaris, quia & tu spoliaberis.

Pœna talionis diuina.

Primùm

Primùm ergo comminationes nos hortentur ad timorem Dei, & sciamus de pœnis præsentibus & futuris dici. Secundò promissiones etiam loquuntur de futuris præmijs.sicut clarè dicit Paulus 1. Tim. 4. Pietas habet promissiones præsentis uitæ & futuræ. Et Christus inquit, Recipiet centuplum in hac uita, & post hanc uitam,uitam æternam.

Iam hic discamus exercere fidē.Corporales promissiones traditæ sunt, ut fides exerceatur simul in quærenda reconciliatione coram Deo, et in expectatione auxilij corporalis. Quare semper addamus promissionib. corporalibus initio promissionem præcipuam Euangelij de remissione peccatorum. Dauid expectat uictoriam à Deo,sed prius sentit sibi Deum propicium esse,ita uult nos Deus fidem exercere dupliciter, Primùm crede tibi Deum propicium esse propter filium. Deinde obtempera,& expecta ab eo auxilium: Da pauperi, & expecta uicißim Deum tibi daturum esse uictum,pacem,& alia bona, 2.Corinth: 9. Dauidi multi in regno insidiantur,iam si more tyrannorum omnes suspectos tollere uellet, non esset finis grassandi. Quid igitur agit? Primùm credit se habere Deum propicium. Deinde diligenter facit officium suum. Textiò expectat à Deo defensionem magno et tranquillo animo, nec mouetur suspicionibus,ut sæuiciam exerceat.Hoc exemplum singuli ad suam uocationem accommodare possunt, quia nulla, quamuis humilis uocatio est sine periculis. Et

Fides exercenda in bonis operibus.

Exemplum Dauidis.

diligenter hæc exercitia fidei consideremus, plurimum enim in uita peccant summi ac infimi hac diffidentia, quòd non expectantes à Deo auxilium, quærunt inconcessa præsidia, alij aliter.

DE QVARTO.

Calumniosa iudicia mundi de Ecclesia.

PArabola de trabe in oculo, & festuca, est illustris pictura & reprehensio humanorũ iudiciorum de Ecclesia. Naturaliter mundus calumniosè iudicat de Ecclesia, aliàs sine ulla caussa, aliàs calumniosè exaggerans caussas, ut nunc, si Sacerdos ducat uxorem, quam abhorrent hypocritæ, cùm nullam prorsus caussam habeant, imò rem iustam uituperent. Deinde si quando peccant homines pij infirmitate aliqua, ut sunt etiam multi lapsus piorum, & multa scandala, quanta exultatio & ἐπιχαιρεκακία, qui sarcasmi apud impios? Sicut dicitur in Salomone, Fons conturbatus est iustus lapsus coram impio. Interim ipsi impij habent longè maiora peccata, idololatriam, blasphemias, homicidia, libidinum maculas, rapinas. Nam his uicijs omnibus manifestè pollutus est status pontificius, et contaminant se defensores societate horum scelerum.

De ordine in iudicando.

Traditur ergo præceptum Prouer. 18. De ordine iudicij, quod singulos ad pœnitentiam hortatur. Iustus in principio accusator est sui, postea explorat proximum. Cæterum & communis est omnium hominum morbus φιλαυτία, nostris moribus fauemus, nobis ignoscimus, nostra uicia aut non uidemus, aut leuia

leuia ducimus, aliena diligentius contuemur, & censuram de eis acerbiorem agimus.

Hæc iniusta inæqualitas multis sententijs uituperata est, quæ semper in conspectu nobis esse debent, ut tanquam in his frenis mentes & linguas regamus, ne de alijs temerè iudicent, sed ut nostra uicia agnoscamus, & emendemus. Sunt autem hæ sententiæ, Nosce teipsum. Tecum habita, & noris quàm sit tibi curta supellex. Thales interrogatus, quid sit difficile, respondit, seipsum nosse. Rursus interrogatus, quid facile, respondit, reprehendere alios. Idem & in Apologo de duabus manticis significatum est, uicia aliorum gerimus in priore mantica, nostra gerimus in altera, quæ in tergo pendet.

Hæ sententiæ omnes referantur ad dictum Salomonis, Iustus initio accusator est sui, postea explorat alium. Item, ad hanc Parabolam de festuca, ut sciamus etiam diuinitus prohiberi hanc curiositatem, petulantiam & peruersitatem iudiciorum.

Ideo autem tam multa de hoc uicio dicuntur, quia non solum inæqualitas per se est iniusta, sed etiam caussa est sæpè publicarum discordiarum, maximè cùm uicia gubernatorum traducuntur. Nam & hic morbus communis est hominum, ægrè ferre imperia, & hæc semper aliqua habent incommoda & uicia, ac boni gubernatores sæpè etiam peccant, ut dicitur, ὁ πολλὰ πράττων πολλὰ καὶ ἁμαρτάνει.

Hîc cogitandum est, cur imperia fiant difficilio-

Caussæ quare crescant tyrannides.

ra, ac præcipua caussa est, quia populi mores ruunt in deterius. Crescunt in populo luxus, licentia, petulantia, ideo sinit Deus imperia exasperari. Creuit seruitus crescentibus peccatis mundi, ut indicat statua uisa regi in somno apud Danielem. & Salomon inquit, Propter peccata populi crebræ sunt mutationes regum. Feramus igitur imperiorum asperitatem, & agnoscamus pœnam esse nostrorum peccatorum, nec maledicamus ipsis gubernatoribus, sed cogitemus hæc dicta: Non iudicate. Ipsi uiderint qui sunt in officio iudicandi, ab ipsis Deus rationes reposcet, non arrogemus nobis alienum officium, Item, sciamus nostra æquitate leniri multas publicas difficultates. Ideo scriptum est, Remittite, & remittetur uobis. Item, Christus lauans discipulis pedes, significat non exulcerandos esse aliorum næuos, sed tegendos, aut suauiter abluendos. Et Petrus inquit, Vniuersa delicta operit dilectio, significans aliena delicta tegenda esse inter homines, & arte sananda.

Deniq; multa præcipiuntur, præsertim à Christo & Apostolis de hac uirtute, quæ uocatur ἐπιείκεια, quæ est nutrix publicæ concordiæ, et in Ecclesia maximè necessaria. Sed tamen hæc omnia intelliguntur de tolerandis moribus sanabilibus hominum, non de approbandis erroribus, de quibus teneatur regula: Si quis aliud Euangelium docuerit, anathema sit. Item, Qui confitetur me coràm hominibus, confitebor eum coram Patre meo, &c.

DOMI-

DOMINICA V. POST TRINITAT:

EVANGELIVM, Lucæ V.

FActum est autem cum turba irrueret ad eum, ut audiret uerbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genesareth. Et uidit duas naues stantes secus stagnum, Piscatores autem descende-

rant ex illis,ac lauabant retia. Ascendens autem in unam nauim, quæ erat Simonis,rogauit eum ut â terra reduceret pusillum. Et sedens docebat de naui turbas.

Vt cessauit autem loqui, dixit ad Simonem. Duc in altum,& laxate retia uestra in capturam. Et respondens Simon, dixit illi, Præceptor, per totam noctem laborantes nihil cepimus, in uerbo autem tuo laxabo rete, Et cum hoc fecissent,concluserunt piscium multitudinem copiosam, Rumpebatur autem rete eorum, & innuerunt sociis, qui erant in alia naui,ut uenirent et adiuuarent se.Et uenerunt, et impleuerũt ambas naues, ita ut mergerentur.

Videns autem Simon Petrus,procidit ad genua Iesu,dicens,Exi â me Domine, quia uir peccator sum. Pauor enim circumdederat eum,et omnes qui cum illo erant, super captura piscium quam ceperant. Similiter autem & Iacobum et Ioannem filios Zebedæi,qui erant

erant socij Simonis.Et ait ad Simonem Iesus,Noli timere,posthac homines eris capiens. Et subductis ad terram nauibus,relictis omnibus,secuti sunt eum.

Duo sunt præcipui loci.

I. *Exemplum exercitij fidei in rebus corporalibus.*

II. *Exemplum exercitij fidei in terroribus spiritualibus.*

PRior *locus de bonis corporalibus, docet de dicto Christi. Primum quærite regnum* Dei,*& iusticiam eius,& cætera adijcientur uobis. Præcipit enim, ut prima nobis cura sit de uerbo* Dei, *eiusq; ministerio conseruando, ita futurum, ut* Deus *defendat nos, suppeditet nobis ea,quæ ad uictum, & ad hanc uitam necessaria sunt, etiamsi id non fiat sine nostro labore, & sine aliquibus difficultatibus.* Victus promissus pijs.

Hæc consolatio necessaria est in Ecclesia,quam uidemus egere,& affligi in mundo, Ministri tantum non fame pereunt,propterea deseritur ministerium, & quisq; pro se de uictu parando cogitat. Hic erigendus est animus hac promissione, quòd quærentibus regnum Dei,*cætera omnia adijcientur. Id si quis uelit extendere,ire potest etiam per alia genera uocationum, Quælibet enim uocatio sua habet pericula, quæ premunt & fatigant homines. Ibi primùm quæren-*

quærendum est regnum Dei, id est, curandum est, ut ex uerbo discamus de bona uoluntate Dei erga nos, ut fide ad eum confugiamus in omni uita, in omnibus periculis. Deinde, ut in sua quisq; uocatione, quæ quidem habet mandatum Dei, seruiat Deo, faciat suum officium ad Dei gloriam, & utilitatem Ecclesiæ & Reipub. Reliqua Deo committat, illa enim ultrò se Deus adiecturum esse promittit. Quales sunt multæ sententiæ scripturæ, ut, Iacta cogitatum tuum in Dominum, & ipse te enutriet. Item, Reuela Domino uiam tuam, & ipse faciet, &c.

Hæ sententiæ utrunq; docent, & quod sine fide ac inuocatione, nostri labores sint infelices, & etiamsi in nostra uocatione multa accidant aduersa, tamen animos excitandos esse fiducia Christi, & sciendum ipsum nobis affuturum esse, & daturum, ne labor noster sit irritus, & sine fructu.

Doctrina de fide remissionis peccatorum

ALTER locus est de doctrina spirituali, id est, de remißione peccatorũ, Nam illud prius corporale beneficium, nunc Petro fit Sacramentum. Intelligit diuinitus sibi contigisse hoc beneficium, & hunc Dominum esse missum à Deo, habentem potentiam diuinam, iustum, bonum, &c. Hæc agnitio parit in eo nouos motus, primùm traducit eum ad agnitionem sui, uidet se esse peccatorem indignum tanto beneficio. Non enim fit deterior aut securior, ut alioqui successus reddunt homines insolentiores, Sed existit in eius animo primùm contritio, id est, terror ex conspectu

De Petro territo magnitudine beneficij Christi.

spectu suæ indignitatis, et sensu iudicij Dei seu iræ aduersus peccatum, à quo non posset liberari, nisi reuocaretur uoce Christi, qui iubet eum confidere, id est, statuere quòd recipiatur à Deo, & habeat remissionem peccatorum, & addit tanquam signum, quo testetur, se uerè illum recipere, uocationem ad societatem ministerij Euangelij.

Ita Petrus territus magnitudine beneficij, & iudicans se indignum esse præsentia domini, & tam immenso & repentino bono, quod uidebat sibi non ex labore suo, sed Domini beneficio contigisse, exemplo est, quo quisq; modo sit affectus, etiam cum experitur Deum non iratum, sed misericordem esse, nam mens humana siue iram Dei metuit, siue misericordiam uidet, tamen quantum in ipsa est, ad utrunq; refugit. Hæret .n. in omnium animis hæc cogitatio, quòd pœnam meriti simus, misericordia uerò indigni simus. Hîc necesse est nos, sicut Petrum, reuocari uoce Christi, Ne metuas, quasi dicat, Ideo quia tu es peccator, & terreris tua indignitate, uolo te in mea misericordia, & bonitate spem habere, & acquiescere. Confide igitur, & non tantum in hac re meum beneficium senties, sed faciam te piscatorem hominum, hoc est, Apostolum, & doctorem in regno meo, longè alium, quàm hactenus fuêre doctores in populo Dei.

Allegoria Piscationis.

Allegoria utriusq; loci plurimum habet suauitatis de Ecclesia. Hæc cùm quærat regnum Dei, etiamsi egeat in mundo, tamen sustentatur in medijs afflictionibus,

nibus, duratq; perpetuò, cum interim impij cum suâ potentia, suis opibus pereant. Alter locus ad hanc Allegoriam transferri potest, quòd ministerium Euangelij sit piscatio non ociosa, sed magni laboris, & multæ molestiæ. Quàm uerò frugiferum sit ministerium, & quàm diu duraturus labor ministerij, non cernitur. Sicut enim pisces in reti sub aqua latent, ita Ecclesia in hac uita latet obruta afflictionibus, & infirmitate omnis generis. Ad extremum uerò postquam rete ex aqua extractum fuerit, apparebit fructus uberior omnium opinione, ut ingens sit omnium futura admiratio. Proponitur item consolatio aduersus scandalum, quòd multi deficiunt ab Euangelio, & relabuntur ad errores. Nam etsi aliqui, ut pisces rupto reti, excidunt, tamen in reliquis efficax est ministerium, multi seruantur & manent in societate membrorum Ecclesiæ, & confessione puræ doctrinæ Euangelij.

DOMINICA VI. *POST TRINITAT.*

EVANGELIVM,
Matth. V.

NISI abundauerit iustitia uestra plus quam Scribarum & Pharisæorum,

orum, non intrabitis in regnum cœlorum.

Audistis quia dictum est antiquis, Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autē dico uobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio. Qui autem dixerit fratri suo racha, reus erit concilio. Qui autem dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis.

Si ergo offers munus tuum ad altare, &

re, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque munus tuum ante altare, & uade, prius reconciliare fratri tuo, et tunc ueniens offeras munus tuum.

Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in uia cum eo, ne forte tradat te aduersarius iudici, & iudex tradat te ministro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi non exibis inde, donec reddas nouissimũ quadrantem.

Octo sunt præcipui loci.

I. Necessitas iusticiæ operum.
II. Discrimen iusticiæ carnis, & spiritualis.
III. Quinq; rebus abundat iusticia spiritualis supra rationalem. 1. Pœnitentia. 2. Fide. 3. Nouitate spiritus. 4. Successibus in inuocatione. 5. Victorijs aduersus diabolum.
IIII. Quòd lex requirat perfectam obedientiam.
V. Quomodo placeat hæc obedientia incoata & imperfecta.
VI. De uindicta.
VII. Quòd ceremoniæ non prosint, si cõtra conscientiam uioles præcepta moralia.
VIII. De odio & de reconciliatione.

DE PRIMO.

DE PRIMO.

Necessitas bonorum operum.

TEstimonium manifestum est, quòd oporteat adesse iusticiam operum, quia supra dicit, Non ueni soluere legem, & hìc requirit iusticiam maiorem Scribarum, ergo requiritur hìc iusticia bonæ conscientiæ, & amplius. Huc pertinent & hæc dicta, Nolite errare, adulteri, fornicatores, homicidæ, non possidebunt regnum Dei.

DE SECVNDO.

Discrimen disciplinæ & iusticiæ spiritus.

EXtare in Ecclesia necesse est discrimen disciplinæ rationalis, quæ uocatur iusticia carnis, & iusticiæ spiritualis. Disciplina est ratione coërcere membra, ne admittant externa facta contra legem Dei, etiamsi cor est sine uero timore Dei, sine pœnitentia, sine fide, plenum dubitationum. Hanc disciplinam tradebant Pharisæi, & putabant esse legis impletionem, & iusticiam coram Deo. Nec reprehendit Christus disciplinam, sed errores, quos addebant Pharisæi & immundiciem interiorem.

DE TERTIO.

Quibus rebus præstet iusticia spiritualis pharisaicæ.

DIligenter obseruandum est, quibus rebus abundet iusticia spiritualis. Primum pœnitentia, necesse est .n. in corde ueros pauores existere ex agnitione iræ Dei aduersus peccatum, et agnoscat cor non tantum externa delicta esse peccata, sed etiam dubitationes de Deo, securitatem, diffidentiam, quærere humana præsidia ex diffidentia & neglectione Dei,

I. Pœnitentia

item multiplices errantes motus, & perpetuam nãturæ humanæ contumaciam contra legem Dei.

II. Fides. Secundò abundat iusticia spiritualis, fide, id est, fiducia misericordiæ promissæ propter Christũ, qua fide accipitur reconciliatio, & fit uera inuocatio. Nam ubi hæc fides non prælucet, nulla est, inuocatio.

III. Incoata nouitas. Tertiò abundat nouitate spiritus, id est incoata obedientia interiore, timore Dei, fide, dilectione, inuocatione, patientia, castitate, amore ueritatis, misericordia erga alios, iuxta illud, Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.

IIII. Successus in uocatione. Quartò successibus abundat in uocatione, Dauid fide munitus res salutares & utiles gerit. Saul quia sine fide est, non audet dimicare, quærit consilia magica, & multa negocia propter diffidentiam corrumpit, Sicut de impijs dicitur, Contritio & infelicitas in uijs eorum. Econtra de fideli dicitur, Quicquid faciet prosperabitur, uidelicet in uocatione.

V. Victoria diaboli. Postremò abundat iusticia fidei, quia multipliciter uincit insidias diaboli, cùm hypocritæ horribiliter succumbant et euertantur. Succubuit diabolo Saul uictus odio et cupiditate uindictæ, ut interficeret Sacerdotes. Succubuit Iudas, succumbunt multi dementati prauis opinionibus, ut Anabaptistæ. De talibus certaminibus inquit Petrus: Circuit diabolus tanquam leo rugiens, quærens quem deuoret. Diligenter igitur considerentur hi gradus, quibus abundat iusticia spiritualis supra disciplinam rationalem.

DE

DE QVARTO.

Lex requirit perfectam obedientiam.

HIc clarum testimonium extat, quòd lex Dei requirat, non tantum externam disciplinam, sed perfectam obedientiam interiorem, & exteriorem: Sicut Paulus docet 2. Cor. 3. sed multi non intelligentes hanc prædicationem pœnitentiæ, fingunt hic tantum stoicas quasdam hyperbolas tradi. Cur, inquiunt, præcipit Christus, quæ nemo præstare potest, an, ut stoici, monstrat imaginem uirtutis ociosam?

Sed sciendũ est, hæc Christi dicta non esse Hyperbolas, nec Stoico more dici, sed esse ueras & proprias sententias iudicij Dei aduersus peccatũ hærens in natura hominis. Et principalis caussa est, cur hæ conciones proponantur, ut ira Dei aduersus nostram immundiciem agnoscatur, & quòd disciplina externa non sit impletio legis, non tollat peccatum, non sit iusticia corã Deo, sed quòd sit opus mediatore Meßia.

DE QVINTO.

Quomodo placeat incoata obedientia.

OPortet autem incoari obedientiam in corde, et existere motus assentientes legi Dei, timorem, fidem, dilectionem Dei, patientiam, ideo dictum est, Nisi abundauerit, &c. ut Dauid non ardet cupiditate uindictæ, ut Saul, & tamen ne Dauid quidem satisfacit legi Dei, agnoscit se habere alios uiciosos affectus, agnoscit etiam naturæ deprauationem, nam interdum oriuntur flammæ odij aduersus Saulem, quas tamen spiritu iterum extinguit.

Quæstio est igitur, quomodo placeat hæc imper-

fecta obedientia. Respondeo, Tria requiruntur ad hoc ut placeat imperfecta obedientia. Primùm statuendum est personam fide reconciliationem accipere debere, propter Mediatorem. Secundò agnoscendum est nos habere peccata, & non satisfacere legi Dei, ut Dauid inquit, Nõ intres in iudicium cum seruo tuo. Item, Tibi tantum sum peccatum, ut iustificeris in sermonibus tuis. Tertiò statuendum est, quòd tamen Deus requirat incoatam obedientiam, & ad hanc incoandam det Spiritum sanctum, & in his qui sunt reconciliati fide recipiat etiam hos cultus, propter mediatorem, & condonet id quod deest, ut Petrus inquit, Offerte hostias placentes Deo propter Iesum Christum.

DE SEXTO.

Quale peccatum maneat in sanctis.

CVM autem dicitur manere peccatum in sanctis, & tamen requiri incoatam obedientiam, quæritur quæ peccata sint in sanctis reliqua, quæ uerò excutiant gratiam, & perturbent Spiritum sanctum, Respondeo, manet in sanctis peccatum originis, & praui affectus, sed ita ut repugnent sancti his malis. Sed si assentiantur contra conscientiam, & indulgeant, ac non repugnent amittitur gratia, conturbatur, & eijcitur Spiritus sanctus, ut in Saule peccata mortalia sunt non solum externæ iniuriæ contra Dauidem, sed etiam odium ipsum internum, cui indulget & assentitur.

Addit igitur Christus hîc concionem de odio, cui indulgetur contra conscientiam, id iubet deponi, & iubet redire in gratiam. Cum enim inquit, Si recordatus fueris, quòd frater tuus aliquid aduersum te habeat, facit mentionem affectus contra conscientiam hærentis, hunc uult deponi etiamsi morbus naturalis non potest deponi.

DE SEPTIMO.

De uindicta.

MVltæ sunt sententiæ de uindicta, quæ prudenter discernendæ sunt. Aliæ enim loquuntur de officio Magistratus, quod non est prohibitum, imò exercetur mandato Dei. Aliæ loquuntur de priuata uindicta, quæ prohibita est. Est autem acerrimus motus, præsertim in excellentibus naturis cupiditas uindictæ, ut dicitur, At uindicta bonum est, & uita dulcius ipsa, & sæpè perturbat Respub. & Ecclesias. Ac arbitror ideo fieri mentionem oblationis in hac ipsa materia, quia ex cupiditate uindictæ maxima existunt certamina in Ecclesia. Præmonet igitur Christus ut offeramus, id est, ut faciamus officia Ecclesiastica sine odijs, sine cupiditate uindictæ. Simul etiam docet hic locus, ceremonias non prodesse istis, qui habent mentes contaminatas peccatis contra conscientiam, uidelicet, uiolatione moralium, sicut alibi dicitur, Circumcisio prodest, si legem obserues.

DE OCTAVO.

De mutua reconciliatione.

MOnet etiam textus, à quo reconciliatio incoanda sit. Quia textus inquit, Si recordatus fueris, quòd frater tuus habeat aliquid aduersum te

&c. Quia læsus habet caussam aduersus lædentem, incoët ergo reconciliationem is qui læsit. Sed etiamsi is durior est, quàm ut flecti sese ad sanitatem uelit, tamen læsus non debet alere odium, ut, etiamsi Saul non petebat ueniam, tamen Dauid non oderat eum, non indulsit priuatæ cupiditati uindictæ, sed seruauit regulam, Remittite, & remittetur uobis. Hanc sæpè non obseruant irritati leuibus iniurijs, compensant eas uindicta multó atrociore, quàm fuerat iniuria, qua ipsi affecti sunt, imò etiam priuatis contentionibus miscent publica negocia.

Hoc malum diligenter considerandum & cauendum est, ne ruamus contra uoluntatem Dei, & nostra impatientia & cupiditate uindictæ noceamus Ecclesiæ uel Reipub. Sed potius obliuiscamur iniurias, & sanemus, sicut Christus commonefacit nos lauans pedes Apostolis, & addens præceptum, Diligite inuicem, & sicut ego feci, ita uos faciatis. Nam lotio pedum proprijssimè significat illam sanationem offensionum & erratorum, uel iniuriarum.

DOMINICA VII. POST TRINITAT.

EVANGELIVM, Mar. VIII.

IN

IN diebus illis, cum turba admodum multa esset, nec haberent quod manducarent, uocatis ad se Iesus discipulis suis, ait illis, Misereor super turbam, quia ecce iam triduo manent apud me, & non habent quod manducent, & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia, Quidam enim ex eis de longe uenerunt.

Et responderunt ei discipuli sui, Vn-

de istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogauit eos, quot panes habetis? Illi autem dixerunt, Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit, deditq; discipulis suis ut apponerent, & apposuerunt turbæ. Et habebant piscículos paucos, & benedixit, ac iussit apponi & hos. Manducauerunt autem & saturati sunt, & sustulerunt quod superfuerat de fragmentis, septem sportas. Erant autem, qui manducauerant, quasi quatuor millia, & dimisit eos.

Sex sunt præcipui loci.

I. *Differentia promissionum de rebus æternis, & de rebus præsentibus.*

II. *Quòd semper promissioni corporali addenda sit doctrina de cruce.*

III. *Cur sint traditæ promissiones de rebus præsentibus.*

IIII. *Quo ordine sint petendæ.*

V. *Quomodo fides exercenda sit, in petitione corporalium bonorum.*

VI. *Applicatio huius historiæ.*

DE PRIMO.

DE PRIMO.

Certum est Euangelium principaliter tradere promissionem de rebus æternis, uidelicet quòd filius Dei sit uictima pro genere humano, & quòd agenti pœnitentiam, & credenti propter ipsum certò det Deus remissionem peccatorum, Spiritum sanctum, & uitam æternam, econtra contemnentes Euangelium certò abijciat in æternas pœnas.

Hanc reuelationẽ uoluntatis diuinæ depromptam ex sinu æterni patris de rebus æternis, sciamus præcipuam Euangelij uocem esse, Sicut Christus inquit, Ioan: 6. Hæc est uoluntas Patris, ut omnis qui credit in filium, habeat uitam æternam. Hanc doctrinam de rebus æternis primùm amplectamur, postea sciamus etiam promissiones additas esse Euangelio, de rebus præsentibus, ut Matth: 6. Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. 1. Tim. 4. Pietas ad omnia utilis est, promissiones habens præsentis uitæ & futuræ. Mar: 10. Qui reliquerit domum propter me, & propter Euangelium, recipiet centuplum in tempore hoc, cum tribulatione, & in futuro uitam æternam. Huc addantur multæ promissiones ex Psalmis. Psal: 39. In diebus famis saturabuntur. Item, Non uidi iustum derelictum, nec semen eius quærens panem. 32. Vt alat eos in fame. 33. Non est inopia timentibus eum. 54. Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. III. Beatus uir qui timet

Promissio bonorum corporalium.

Dominum, opes et diuitiæ in domo eius. Tales sententias multas prodest in conspectu habere, ut nos eruditant & consolentur, ut postea dicam. Primùm ergo meminerimus esse hæc duo genera promissionum.

DE SECVNDO.

Ecclesia sine præsidijs humanis.

SED dicat aliquis, His largis promissionibus non uidentur euentus respondere, magna imperia, magnæ opes plerunq; sunt apud impios. Apostoli uagantur ut errones, mendici, & plerunq; pij doctores esuriunt, sunt in odio, trucidantur, & uulgare dictum est, Probitas laudatur & alget. Item, exeat aula, qui uult esse pius. Imò manifestum est Ecclesiam subiectam esse cruci, & sine præsidijs humanis esse. Ac uerè nobis accidit, quod de se ac de uniuerso grege suo dixit Christus, Filius hominis non habet ubi reclinet caput.

Perpetua conseruatio Ecclesiæ.

Ad hæc omnia respondeo. Etsi totum genus humanum obnoxium est morti, et multis ingentibus calamitatibus, tamen certo consilio Dei magis premitur Ecclesia, uidelicet, ut agnoscamus iram Dei aduersus peccata, & sciamus seruari Ecclesiam diuinitus. Et tamen uult Deus in hac uita esse aliquam suam Ecclesiam, non uult totum genus humanum perire, sed aliquem esse florem, aliquem cœtum, à quo agnoscatur, inuocetur, & celebretur, ut Amos 3. Quomodo si eruat pastor de ore Leonis duo crura, sic eruentur filij Israël.

Mandauit igitur credi articulum, Credo Ecclesiam

am catholicam, id est, credo aliquem esse populum Dei, amplectentem uerbum traditum per Prophetas et Apostolos, cui catholica Ecclesia testimonium perhibet, & credo talem aliquem cœtum semper mansurum esse sicut dixit, Ero uobiscum usq; ad consummationem seculi, &c.

Promissiones de defensione sub cruce.

Semper igitur hæc duo cõiungi necesse est, doctrinam de cruce, & de consolatione. Verum est Ecclesiam subiectam esse cruci, ut Christus inquit. Qui uult me sequi, tollat crucem suam. Et Ieremiæ 12. Dedi dilectam animam meam in manibus inimicorum eius, Et tamen cùm uelit Deus manere Ecclesiam, quæ tamen sine præsidijs humanis est, ipse proponit consolationes amplissimas & dulcissimas, de defensione, de uictu, de pace, de successibus in nostris functionibus, Ecclesiasticis, politicis, œconomicis.

Precatio. Da panem quotidianum.

Et intelligamus promissiones, ut sonant, nec affingamus corruptelas, & ineptas interpretationes: ut multi inepti in precatione usitata, panem nostrum quotidianum, uetant intelligi panem corporalem, imò de corporali pane, de defensione huius uitæ, & de gubernatione loquitur, & quidem suppeditat hæc bona Deus, & largitur iuxta suas promissiones.

Semper seruatur corpus Ecclesiæ

Cur igitur non respondent euentus? Imò respondent, Ac primùm de toto corpore Ecclesiæ intelligantur promissiones, Vt in mari rubro, sic inter mundi tyrannides, & furores diaboli, assiduè Deus Ecclesiam seruat in hac uita. Perspicuum est igitur de

toto

toto corpore Ecclesiæ ratas esse promissiones. Semper .n. seruatur Ecclesia: & in nos in precationibus nostris, primùm pro toto corpore petamus, & certò statuamus eam precationem non esse irritam.

DE TERTIO.

Caussæ traditarum promissionum corporalium.

CVR promissiones corporales traditæ sint. Prima caussa hæc est, Mens humana sine luce fidei cogitat, aut casu ditescere homines, ut Pythium ex uenis metallicis, aut industria, seu iusta, seu iniusta, nec firmiter statuit aliquo Dei opere nobis offerri, defendi & augeri facultates. Videt enim multos crescere peculatu, & uarijs fraudibus, ut Crassum.

Diuinitus dantur & augentur facultates pijs.

Etsi autem sinit Deus grassari fures & prædones publicè & priuatim aliquandiu, tamen tandem excutit eos ex fortunis, ut testetur se non negligere facultatum administrationes, aut acquisitiones, ideo dictum est, Væ qui prædaris, quia uicissim spoliaberis. Et ab experientia dictum illud ortum est, Malè partum, malè disperit. Et Pythium illum diuitem fame periisse dicunt. Et quàm miserabilis fuerit exitus Crassi, legatur eius historia.

Rursus etiam tradidit Deus promissiones iustis, ut uerè statuant hæc bona non obijci casu, nec parari tantum humana industria. Quanquam enim Deus uult laborare omnes, ut quenq; iubet uocatio, et uult labore honesto res parari & retineri, non uult profusionibus dissipari, sicut dicitur in Salomone, substantiam tuam ne des crudeli, tamen interim uult nos

scire, hanc diligentiam solam non afferre facultates. Sicut agricolæ labor solus non gignit fruges, sed quia Deus fœcundat terram, proueniunt. Et sicuti exercitus labor non solum parit uictoriam, sed necesse est accedere auxilium diuinũ, sicut dicitur, Fallax equus ad salutem est. Ita quia Deus fideliter seruienti in uocatione fauet, facultates sua bonitate prouehit.

In hanc sententiam dicit Salomon, Benedictio Domini diuites facit. Et Dauid I. Reg. 17. Sciat uniuersa Ecclesia hæc, quòd non in gladio saluat Dominus, ipsius est enim bellum. Ideo & interdum exempla proponit, ubi sine caußis secundis auget res, ut pauit uiduam Sareptanam, pauit populum in deserto, dedit Isaac centuplum, cùm in alijs agris non prouenire tantum. Et sunt quotidiana exempla in familijs pijs, quæ experiuntur sibi diuinitus offerri acceßiones, aut certè defendi suas res, etiamsi aliqua detrimenta, iacturæ & ærumnæ interueniunt. Nam ut dictum est, Ecclesia simul subiecta est cruci.

Hæc infigenda sunt animo, ut discamus articulum de Creatione, credamus facultates Dei beneficia esse, ut uerè poßimus à Deo petere panem quotidianum. Nam qui non credunt Dei munera hæc esse, ociosè hæc uerba recitant, & Deum contumelia afficiunt. Iam cogitemus quàm pauci piè recitant hæc uerba, Panem quotidianum da nobis hodie. Nam alius fingit, Deo hæc non esse curæ, alius cogitat se indignum esse, sibi certè non dari hæc munera à Deo, deniq; ma-

gnæ sunt tenebræ in animis, quas per uerbum Dei tolli oportet.

II. Bona corporalia dantur ut conseruetur Ecclesia.

Altera caussa est, cur hæ promißiones traditæ sint. Cùm Deus uelit in hac uita semper aliquam esse suam Ecclesiam, opus est corpori, uictu, hospitio, defensione, politijs, pace aliqua, ut educari soboles, & coli studia possint. Ideo & addidit has promißiones, & hæc beneficia præstat Deus, sed mirabiliter. Semper grassatur diabolus aduersus Ecclesiam, & sunt assidui tumultus in mũdo, quibus humani generis peccata assidua, horribiliter puniuntur, inter hos tumultus seruat Deus Ecclesiam suam, ut stantem in mari rubro seruabat. Et manet corpus, etiamsi aliqua membra trucidantur, ut manet Dauidis exercitus, etiamsi aliqui milites præliantes interficiũtur, Quia ut toties dictum est, adhuc subiecta est cruci Ecclesia.

Consolatio in ruinis imperiorum.

Magnam igitur consolationem proponunt nobis hæ promißiones. Angimur in tantis tumultibus imperiorum, de sede Ecclesiæ, de studijs, Etsi autem alia tempora alijs sunt tranquilliora & feliciora, tamen sciamus sedem Ecclesiæ & studiorum Deo curæ futuram esse, ubicunq; erit, ut in Esaia dicitur: In utero meo portamini. Senescentem Ecclesiam portabo. Item, etiamsi mater obliuiscereturfilij sui, ego non obliuiscar tui, pugillo manus meæ complectar te. Has consolationes sæpè nobis proponamus, ut bona cum spe propagemus doctrinam, & fide petamus hæc bona à Deo.

Tertia

III. Fides exercenda in petitione corporalium.

Tertia igitur caussa est cur hæ promißiones traditæ sint, ut sint exercitia fidei, et inuocationis, Vult Deus se agnosci per inuocationem. Ideo multa proposuit, quæ nos de inuocatione admoneant. Tradidit promißiones gratiæ, & beneficiorum corporalium, & uitæ æternæ. Vult nos ad se confugere, etiam cùm à tota rerum natura deserti & proiecti uidemur. Sicut Dauid inquit, Pater & mater dereliquit me, Dominus autem suscepit me.

DE QVARTO.

Quo ordine petendæ.

Primùm quærite regnum Dei, &c.

ORdo in dicto Christi clarè propositus est. Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Prima sit cura, ut Deo obediamus, celebremus eum uera discendo, & docendo. Imò etiam primùm petamus, ut accendat in nobis ueram lucem Spiritu sancto suo propter Christum, sicut præcipitur, Petite, & accipietis. Si homines possunt bona dare hominibus, quantò magis Pater cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

Sic & Dauid precatur: Fac cum seruo tuo secundum misericordiam tuam, & iustificationes tuas doce me.

Sic & Salomon laudatur, quòd primùm petiuit sapientiam, & additur, Ideo etiam diuitias dabo.

Et Prouerb. 30. ostenditur ordo, Duo rogaui te,

Vani-

Vanitatem & mendacium longè depelle à me. Mendicitatem,& diuitias ne dederis mihi.Et cauſſas recitat,cur mediocritatem optet. Quia opulenti facilius indulgent prauis cupiditatibus, & inter uoluptates obliuiſcuntur Dei,& paulatim longius ruunt. Sicut Ezech. 16. dicitur, Hæc fuit iniquitas,Sodomæ,ſuperbia,ſaturitas panis, abundantia, ocium, & manum egenti non porrigebant. Ideo eleuati ſunt, & fecerunt abominationes. Et noti ſunt uerſiculi:

Luxuriant animi rebus plerunq; ſecundis,
Nec facilè eſt æqua commoda mente pati.

ITEM.

Pectora dum gaudent,nec ſunt aſtricta dolore,
Ipſa patent,blanda tunc ſubit arte Venus.

Ideo Salomon non petit opulentiam,ſed tamen petit neceſſaria uictui,ut textus loquitur, ne furta aut periuria commitam. Nam ut opulentia alit uoluptates,ſic econtra egeſtas multos impellit ad malas artes.

Labor in uocatione.

Hæc pericula proſpiciãt honeſtæ mentes in utraq; parte,ut petant à Deo neceſſaria, ſed ordine, ut dictum eſt, Sciant item cum hac petitione facultatum poſtulari laborem honeſtum,iuxta uocationem.Sicut ſæpè præcipitur, 1. Theſſ: 4. Adhortamur uos,ut in hac re excellatis, & ambitioſè hoc agatis,uidelicet retinere tranquillitatem,& facere proprium officium,et laborare manibus ueſtris.Hæc breuis ſententia plena eſt politicæ ſapientiæ,et diligenter conſideranda.Nam

Proprium officium facere.

da.Nam omnibus ciuitatibus maximè periculoſa ſunt ingenia inquieta & πολυπραγμονικὰ. Vt multi ſunt, qui quia habent ingenia inquieta, multa regere conantur,& condunt multas nouas ordinationes,deinde nec manent intra metas ſui officij, & attingunt aliena. Sic Alcibiades & Demoſthenes euerterunt Athenas, Tantum enim ideo mouerunt non neceſſarios tumultus,quia habebant naturas inquietas. Ideo præcipit Paulus,ut ſimus quieti,non turbulenti,id eſt, nihil niſi neceſſaria moueamus, nihil extra uocationem tẽtemus.Seneca recitat ex Catone dictum, Emas non quod opus eſt,ſed quod neceſſe eſt, Idem in negocijs ſeruetur. Non ſolum quid proſit aut opus ſit ſpectemus,ſed quid neceſſe ſit moueri. Et apud Thucydidem dicitur oportere eſſe amantem tranquillitatis, & tunc cùm neceſſe eſt aliquid gerere acrem, non turbulentum in mouendo, & in agendo ſegnem.

Hæc de labore ſimul cogitanda ſunt, quoties petimus corporalia,quia ignauia peccatum eſt. Et quale monſtrum eſt homo, qui tantum inutile pondus eſt terræ, nihil confert operarum ad Dei noticiam propagandam, aut cæteras bonas res in uita tuendas & ornandas. Imò ad Titum nominatim præcipitur, ut diſcamus utilia uitæ. Interim uerò ſciamus,Deum ita benedicere labori,cum addimus inuocationem, ſicut Lucæ 5.dicitur,In uerbo tuo laxabo rete.Et Pſal.33. Iſte pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Item, Petite,& accipietis.

DE QVINTO.

QVomodo sit exercenda fides in petitione corporalium. Hic præcipuus locus est in hac doctrina de promissionibus. Primùm autem sciendum est, semper petitioni corporalium oportere prælucere fidem, qua credimus nos propter Christũ recipi & exaudiri. Imò ut hæc fides in nobis accendatur & crescat ideo tam uariæ externæ occasiones, actiones, pericula, afflictiones propositæ sunt. Sciamus ergo primam & summam promissionem de Mediatore, et de reconciliatione, semper simul complectendam esse. Ideo cùm citantur dicta de fide, etiamsi externa obiecta uariant, tamen omnia simul complectuntur hanc fidem de reconciliatione. Abraham, Iacob, Dauid ideo petunt & expectant à Deo defensionem, quia credunt se receptos esse, & exaudiri à Deo propter promissum Dominum.

Fides remissionis peccatorum semper prælucere debet.

Quotidiè igitur cum ad mensam recitas hæc uerba, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie, quia mox obstrepit infirmitas nostra, Deus te indignum non exaudit, te non uult defensum aut alitum. Hic intuenda est promissio de Christo, & complectenda fides, quòd propter mediatorem recipiamur & exaudiamur. Ideo mox sequitur, Et remitte nobis debita nostra.

Semper igitur in conspectu sit hæc sententia, Per Christum habemus accessum ad Patrem, ideo necesse est semper prælucere hãc fidem de remissione peccatorum

torum propter Christũ. Postea fides illa tria cogitet, quæ supra recensui, Deum uelle à se peti bona corporis. Primùm, ut credamus ea dari diuinitùs, non putemus obiici casu. Secundò, Quia uult seruari Ecclesiam in hac uita, dat uictum, defensionem, hospitia mirabiliter, &c. Tertiò, Vult agnosci & coli Deus hac inuocatione, ideo multas res proposuit, quas peti uult. Vult & confirmari fidem, petitione corporalium. Nam qui non audet petere corporalia, et iam dubitat de præsentia Dei, quomodo petet æterna, quomodo statuet de præsentia Dei, cũ deserimur ab omnibus creaturis? Esa: 57. Habitans cum contrito et humili spiritu, ut uiuificet spiritum humilium, & cor contritorum. Confirmatur etiam fides, cum experientia ostendit non fuisse irritam precationem, ut in Psalmo dicitur, Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Postremò uult etiam Deus gratiarum actione coli propter liberationes, ut dulcissimè dicitur 2. Corin: 1. ubi Paulus iubet multos pro se petere, ut multi agant gratias, &c.

Fides de promissione bonorum corporalium.

Multiplex confirmatio fidei.

Hic ordo & hæ causse omnes cogitandæ sunt, cũ petimus corporalia. Et satis magna pericula sunt, publica & priuata, quæ admonent nos, ut hæc cogitemus. Cùm Ecclesia staret in mari rubro, certè cogitandum fuit primùm Moysi, an Deo placeret, & cur placeret scilicet propter promissum Dominum. Deinde uidit re ipsa salutem corporum à Deo dari, cogitauit Deum in hac uita uelle seruare Ecclesiam, co-

Pericula Ecclesiæ & singulorum.

gitauit item Deum uelle in nobis crescere agnitionem in inuocatione, inter talia pericula & miracula.

Semper autem Ecclesia uersatur in periculis ingentibus, penè ut stans in mari rubro, Iam Turcica arma in eam grassantur, & aliæ multæ difficultates domesticæ singulos exercent, Nulli certa sedes est, uita multorum piorum periclitatur, Admoniti ergo publicis & nostris periculis petamus auxilium & defensionem, illo ordine, ut dictum est, & causas illas cogitemus, ut fides exerceatur. Deinde uerò etiam consecuti beneficia, gratias agamus, & maiori studio in omni officio declaremus gratitudinem.

De quæstione, quare non semper contingat præsens liberatio.

Sed hic obijcit humana imbecillitas, Quid attinet petere? cùm sciamus oportere nos affligi. Sicut scriptum est, Corpus autem subiectum est morti propter peccatum. Item, manifestum est sæpissimè non liberari ex præsentibus calamitatibus sanctos, ut Ionathan, Maccabæum, & alios. Et Christus dicit, Veruntamen non mea uoluntas, sed tua fiat. Cum igitur debeamus offerre obedientiam, quid prodest pētitio, & quidem cum dubitatione?

Respondeo, Tenenda est regula firmissimè, quòd Deus mandauerit & postulet inuocationem, & quòd nunquam sit inanis aut irrita inuocatio piorum, etiamsi liberatio differtur, aut non ita respondent euentus, ut nos imaginamur, & non est nostrum præscribere Deo modum opitulandi, & nos ad obedientiam obligati sumus, sicut Christus inquit, Tua uoluntas fiat,

fiat, &c. Sed maxima pars hominum, quia non uidet subitò euentus precationis, somniat inuocationem inane murmur esse. Huic impiæ imaginationi acerrimè repugnandum est, & pellendæ sunt hæ tenebræ collectis promissionibus. Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Item, Petite, & accipietis, &c.

Petitio pro Ecclesia semper impetrat.

Deinde sciamus semper duo obiecta includenda esse in petitionem corporalium, uniuersam Ecclesiam, & priuatam necessitatem. Petitio pij semper impetrat uniuersæ Ecclesiæ, & ita fides statuat ratam esse hanc petitionem, & non dubitet recipi petitionem à Deo pro uniuersa Ecclesia. Ita Dauid orans pro exercitu, primùm petit non pro se priuatim, sed pro cœtu, quia scimus Deum dare bona corporalia, ut in hac uita Ecclesia seruetur.

Priuatim uerò pro nobis petere debemus, cum hac conditione, ut nos ad obedientiam offeramus, sicut se offert Christus. Ita Dauid & petit, & paratus est ad obedientiam, quia scit in talibus periculis Deum uelle aliquos obedire, & tamen quia seruatur exercitus, multa membra seruari necesse est, & cæteris mitigatur malum.

Sic Ieremiæ precatio proderat primùm populo, etsi non scribat quos & quomodo seruaturus esset Deus, deinde & ipsi proderat, & tamen ipse ad obedientiam paratus erat, & sciebat Deum seruare suos ministros, donec curriculum absoluant, & dare alijs aliud curriculum. Elias circiter uiginti annos

Curricula doctorum in Ecclesia continua serie

docuit. Eliseus circiter septuaginta. Esaias circiter octoginta. Ieremias quadraginta annis usq; ad excidium Ierosolymæ, & postea aliquandiu in Ægypto reliquijs suorum præfuit, donec ab Aprie tyranno interfectus est. Daniel docuit amplius septuaginta annis. Ioannes Baptista biennio. Christus triennio. Paulus triginta quinq; annis. Ioannes Apostolus sexaginta octo annis. Iacobus frater Ioannis triennio post ascensionem Christi. Iacobus minor annis triginta, interfectus aliquantò ante obsidionem Ierosolymæ. Timotheus sub Nerone interfectus dicitur. Titi senectus recitatur, tempus prædicationis non certò scitur, sed dicunt mortuum esse anno ætatis suæ nonagesimo quarto. Polycarpus interfectus est anno ætatis suæ octuagesimo sexto, qui adolescens fuerat auditor Ioannis Euangelistæ. Auditor Polycarpi Irenæus sub Maximiano interfectus est Syrmij, uixit igitur annos circiter octoginta. Hæc dissimilitudo obseruanda est, ut sciamus Deum alia certamina, & alia spacia alijs præscripsisse, & tamen consideremus aliquibus propagatam esse uitam, ut pij testes & propagatores doctrinæ superstites essent.

Dauidis precatio ut defendatur cum Ecclesia.

Dauid petens defensionem dulcissima figura utitur, Absconde me in tabernaculo tuo, id est, in Ecclesia tua. Hic simul complectitur petitionem pro alijs, & caussam, defende me cum Ecclesia tua, & propter Ecclesiam. Nam ideo tantùm corporalia bona promissa sunt, ut seruiant Ecclesiæ, ideo defensio petitur,

titur, ut seruire Ecclesiæ, & nostris liberis possimus. Et quia Deus pro toto corpore uult peti, sciamus semper hanc petitionem ratam esse, & toti corpori aliquid boni impetrare. Etsi autem singuli ad obedientiam parati esse debemus, tamen & singulis sæpè impetratur liberatio, & cum cœtus aliquis seruatur, multos seruari necesse est.

Excitemus ergo nos ad petenda bona corporalia collectis caussis, quia Deus præcipit ea peti pro nobis & pro alijs, uult intelligi publicas & priuatas calamitates pœnas esse peccatorum mundi, ideo uult nos ueniam petere, & affici cura nostræ & communis salutis, uult crescere his exercitijs fidem, timorem, & dilectionem.

SEXTVS LOCVS.

Applicatio historiæ Marc: 8.

Præceptum de distributione, et colligendis reliquijs.

QVòd Christus pascit auditores suos, ostenditur exemplum promissionis, Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Hac fide sequamur Christum, simus fideles in studio & propagatione Euangelij, & expectemus à filio Dei auxilium, uictum, & defensionem. Quòd uerò iubet Apostolos proponere, & colligere reliquias, monet gubernatores Ecclesiæ, ut curent Eleemosynas dari, & sciant non minui, sed augeri facultates Eleemosynis. Tectè & doctrinam significat, hanc proponant doctores, & colligant reliquias, curent propa-

gari ueras enarrationes, ne doctrinæ lux extinguatur ad posteros, & hoc studio ipsi doctores fiunt eruditiores.

Sportæ uerò significant literas & scholas, in quibus doctrinam custodiri necesse est.

DOMINICA VIII. *POST TRINITAT.*

EVANGELIVM, Matth. VII.

Atten-

ATtendite autem à falsis Prophetis, qui ueniunt ad uos in uestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A fructibus eorum cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis uuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit, mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor mala bonos fructus facere, neq; arbor bona, malos fructus facere. Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, exciditur & in ignem mittitur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos.

Non omnis qui dicit mihi, Domine Domine, intrabit in regnũ cœlorum, sed qui facit uoluntatem Patris mei, qui in cœlis est. Multi dicent mihi in illa die, Domine Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo uirtutes multas fecimus? Et tunc confitebor illis, quia nunq; noui uos. Discedite à me qui operamini iniquitatem.

Continet hic textus admodum grauem doctrinam, & necessariam Ecclesiæ.

Sunt autem duo præcipui loci.

I. *Quòd iudicium de doctrina sit uniuersale, & ad omnes pios pertineat.*

II. *Quomodo agnoscendi sint falsi doctores ex fructibus.*

DE PRIMO.

Vniuersale mandatum cauendi falsos doctores.

Mandatum Christi, cùm iubet cauere à Pseudoprophetis, neminem excludit, Ergo iudicium de doctrina ad uniuersam Ecclesiam, & singula eius membra pertinet, Hinc facilè est respondere ad usitatum argumentum aduersariorum.

Discedens ab ordinarijs in Ecclesia potestatibus, peccat.

Lutherani, quos illi sic uocãt, discedunt ab ordinaria potestate Ecclesiastica. Ergo, etc. Respondeo primùm ad maiorem. Discedens ab ordinaria potestate Ecclesiastica, scilicet sine mãdato Dei. Deinde ad minorem. Lutherani discedunt, sed faciunt hoc mandato Christi coacti, quo iubentur sibi cauere à Pseudoprophetis. Sed hìc diligenter uidendũ est, ne prætextu huius mandati cõcedatur δημοκρατία in Ecclesia; quo statu nihil nocentius excogitari potest. Tenendũ igitur illud est, Christi mandatum esse uniuersale, et nisi hoc statuatur, illico sequi tyrannidem necesse est. Sed addenda est circumstantia, ut illud iudicium non deerret

erret à uera & propria sententia scripturæ. Ita ut sine sophistica intelligatur, ex qua omnes hæreses oriuntur.

Regula secundum quam iudicandum de dogmatibus.

Quare ut rectè iudicetur, necesse est teneri regulam, hoc est, certã et ueram sententiam scripturæ de singulis articulis doctrinæ, quæ clarè et perspicuè ex scriptis Prophetarũ et Apostolorũ ostendi potest, esse propria & perpetua sententia, collatis integris et nõ mutilatis scriptis. Quærantur etiam testimonia Ecclesiæ post Apostolos, præsertim in ijs scriptoribus quos constat esse puriores, ut cõstet de perpetuo consensu catholicæ Ecclesiæ Christi, nec aliquod nouũ dogma sine testimonijs in Ecclesiã inuehatur. Huc accedat et pia communicatio, conferant inter sè pij de doctrina, et audiantur etiam aliorum peritiorũ sententiæ, & hi benignè & candidè suam sententiam exponant, et uicißim etiam alios comiter audiãt. Talis sit cõsensus piorũ, qui pio studio quærentes ueritatem, et cum timore Dei secundum scripturam pronuncient.

Vera synodus Ecclesiæ.

Hoc conciliũ audiatur, non audiantur illi, qui tantùm, ut in deliberationibus politicis, uel de sententia aliquorum qui præsunt, seu autoritate ordinariæ potestatis, uel ex suffragijs multitudinis aut maioris partis, decerni uolunt. Imò hoc loco traditur expressum mandatum, ne assentiamur ulli dogmati, non congruenti cum doctrina clarè et certò in scriptura tradita à Prophetis, Christo, et Apostolis. Cauete à Pseudoprophetis. Et ad Gal. 1. Si quis aliud Euangeliũ docet,

cet,anathema sit. Sicut in populo Israël, necesse fuit Ieremiam, Simeonem, Zachariam, & alios pios dissentire à pontificibus, Pharisæis & Saducæis, qui prætextu & autoritate ordinariæ potestatis,errores defendebant. Deinde si quando occurrunt loca seu sententiæ quæ uidentur esse pugnantes, adhibenda est prudentia ex eadem regula, teneatur certa & perpetua sententia scripturæ. Deinde facienda est collatio textuum,et retinenda sunt ea, quæ cum uniuersa scriptura conueniunt, ut cùm scriptum sit, Mihi uindictam,& ego retribuam.Item,Nõ uindicabis: ex alijs locis manifestis scripturæ excipienda est uindicta publica, quæ est uindicta diuina, Sic scriptum est, Quos Deus coniunxit,homo non separet. Et tamen Christus in alio loco excipit casum fornicationis.

Postremò cùm iubet Christus cauere à Pseudoprophetis,hoc ipso etiam adhiberi uult diligentem inquisitionem,& prohibet temeritatem in iudicando. Debet igitur fieri commonefactio de doctrina, cum alijs pijs,& inquisitio ueritatis,qua inuenta, ille credere debet,qui audit magis consentanea scripturæ ab alio afferri,iuxta illud Pauli, Si fuerit reuelatum sedenti,taceat prior. Illa uerò concertatio, qua suam quisq; sententiam ex inuidia, aut ambitione defendit pertinaciter,non fit propter inquisitionem ueritatis. Ergo non est propria piorum.

DE SECVNDO.

Chri-

De fructibus impiæ doctrinæ.

CHristus iubet falsos Prophetas ex ipsorum fructibus agnosci. Sunt autem fructus duplices, malum dogma,& mali mores. Semper enim habent hæretici manifestum aliquod impium dogma,quod impossibile est cadere in Ecclesiam. Etsi enim singuli errare & labi possunt,qui sunt in Ecclesia, tamen ab uniuerso cœtu Ecclesiæ impossibile est manifestè impium dogma defendi. Tali igitur manifesto aliquo impio dogmate deprehenso,hinc faciendum est iudicium de cæteris, Vt apud Papistas manifestè impij errores inueniuntur, de inuocatione Sanctorum, de Missa applicanda pro uiuis & mortuis,& quidem ex opere operato,& alij quàm plurimi. Apud Anabaptistas manifesta impia & fanatica sunt,quòd tollunt omnia ciuilia,& politica officia.

Talia cùm impossibile sit in uera Ecclesia defendi, facilè hinc colligi potest Anabaptistas esse Pseudoprophetas,& non pertinere ad Ecclesiã, et hoc ipso manifestè se prodũt,& palam conuinci possunt.Sic cùm negant infantes baptizandos esse,necesse est eos ponere hanc hypothesin,quòd infantes nõ habeant peccatum,cùm tamen necesse sit fateri,quòd Christus etiam pro infantibus sit passus.Ita uno impio dogmate deprehenso,necesse est postea plures errores sequi. Sicut enim in Musica una aliqua chorda dissonante,tota harmonia turbatur,ita in doctrina unus aliquis error discrepans à fundamento,perturbat omnia. Nam ut semper uerum uero consonat, ita falsum plurima

errata

errata secum trahit, ut qui semel à recta uia deflexit, eum necesse est quò longius progreditur, eò magis ac magis deerrare.

Hæc breuiter dicta sunt de fructibus, qui sunt in ipsa doctrina Pseudoprophetarum, uidelicet cùm defenditur aliquod manifestè impium dogma. Postea sunt & alij fructus in uita & moribus, cùm adduntur erroribus manifesta peccata, ut cùm Anabaptistæ inuadunt in aliorum res & bona, prætextu doctrinæ, Sicut Monasterienses & alij dicebant, se habere mandatum, ut delerent omnes impios Magistratus. Item, quòd contra ius & fidem coniugiorum, abijciunt, reducunt uxores quas uolunt. Sic Papa prætextu doctrinæ ad se rapuit imperia.

Talia peccata quæ fiunt prætextu doctrinæ, etiam sunt peculiares notæ mali spiritus.

DOMINICA IX. *POST TRINITAT:*

EVANGELIVM, *Lucæ* XVI.

DIcebat autem & ad discipulos suos. Homo quidam erat diues, qui habebat dispensatorem, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona

bona illius. Et uocauit illum, & ait illi, Quid hoc audio de te? Redde rationem dispensationis tuæ, ultra enim non poteris dispensare. Ait autem dispensator intra se, Quid faciam? quia dominus meus aufert à me dispensationem. Fodere non ualeo, mendicare erubesco. Scio quid faciam, ut cum amotus fuero à dispensatione, recipiant me in domos suas.

Et con-

Et conuocatis singulis debitoribus domini sui, dicebat primo, Quantum debes domino meo? At ille dixit, Centum Batos olei. Dixitq; illi, Accipe cautionem tuam, & sedens cito scribe quinquaginta. Deinde alij dixit, Tu uero quantum debes? Ille autem ait, Centum coros tritici. Et ait illi, Accipe cautionem tuam, & scribe octoginta. Et laudauit Dominus dispensatorem iniustitiæ, quod prudenter fecisset. Quia filij huius seculi prudentiores filijs lucis, in generatione sua sunt. Et ego dico uobis, Facite uobis amicos de mammona iniustitiæ, ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula.

Quinq; sunt præcipui loci.

I. *Reprehensio negligentiæ rerũ æternarum, & impiæ securitatis, cùm sit mirifica sollicitudo & diligentia quærendi corporalia.*

II. *Mandatum de bono usu diuitiarum.*

III. *Iubet ne de iniustè partis dare Elcemosynas? Aut si*

Aut si de iustè partis dandæ sunt, cur hæ uocantur iniustæ: mammon iniustus.

IIII. *De præmijs boni usus diuitiarum, quæ significat cùm inquit, Recipient uos in æterna tabernacula.*

V. *Collatio donorum, & usus. Bonus usus meretur maiora dona, sicut aliàs dicitur, Habenti dabitur. Abusus meretur pœnas, iuxta illud, A non habente etiam id quod habet auferètur.*

DE PRIMO.

Peruersa sollicitudo pro corporalibus, neglectis æternis.

Quotidiana omnium experiẽtia testatur, quàm uehementer angantur animi cura uictus, quanta incurrant homines certamina de suis commoditatibus, cùm sit simplex uia proposita, labor & inuocatio Dei. Sed multi eos labores, quibus essent idonei negligunt, & quadam superbia appetunt functiones superiores. Pauciores uerò expectant à Deo auxilium. Ideo multi egent, & cùm egestatem ferre non possint, sollicitudine ac dolore tabescunt, aut confugiunt ad malas artes, assentationes aulicas, fraudes, furta, iniustas negociationes. Item, tantus dolor est leuiter labefactata opinione, ut multi mortem sibi consciscant, ut Aiax. Etsi autem tanta est rerum corporalium cura, tamen interim mens in hac corruptiõ

one naturæ non angitur de gloria Dei, de iudicio Dei, de nostris peccatis, de uita æterna. Non uidet quid sit peccatum & ira Dei, sed dormit quendam horribilem ueternum.

Deus uult nos esse œconomos suorum bonorum.

Hanc securitatem & negligentiam hìc figuratè significat CHRISTVS, proponens imaginem Oeconomi. Estq; in ipsa appellatione Oeconomi proposita significatio magnæ rei. quasi dicat Christus, uos homines estis Oeconomi Dei, uobis administratio rerum æternarum commendata est, hanc totam prorsus negligitis. Porrò, hæc ipsa securitas descripta est in prima concione in Genesi, Peccatum tuum quiescet, donec reuelabitur, id est, Mundus securus contemnet peccatum, non sentiet irasci Deum, donec illa ira reueletur in pœnis huius uitæ & æternæ, ut Nero securissimè ridet Deum, donec rapitur ad pœnas.

Non species laudatur sed genus.

Quòd igitur laudatur diligentia Oeconomi, sciamus non laudari diligentiam in furto, sed proponi collationem, in qua non necesse est omnia similia esse, & admoneri nos alterius cuiusdam œconomiæ rerum æternarum, & turpissimæ negligentiæ, quam committimus in ea œconomia.

DE SECVNDO.

De legitimo usu facultatum.

PRæceptũ clarè mandat, ut rectè utamur facultatibus. cùm iubet facere amicos, Christũ, & sanctos de diuitijs.

de diuitijs. De hoc legitimo usu aliàs sæpè dicitur, quòd uidelicet utendum sit diuitijs, ad propriam necessitatem. I. Deinde ad uitandos Euangelij ministros. II. Tertiò ad Rempublicam. III. Quartò ad pauperes uerè egentes, & præsertim ad membra Christi. IIII. Et nota est regula, Fontes tui deriuentur foras, & tu Dominus maneto. Et nota sunt exempla Abdiæ, qui pauit Prophetas in spelunca, & uiduæ Sareptanæ, &c. Et lex ipsa monstrauit hunc ordinem, iussit dari primitias & decimas Sacerdotibus, ad conseruationem ministerij. Item conferri siculum ad tabernaculum. Item dabantur quintæ regibus. Erant relinquenda Spicilegia pro pauperibus.

DE TERTIO.

ESaias inquit detestari Deum uictimas ex iniustè partis oblatas. Esai. 61. Ego Dominus diligens iudicium, & odio habens rapinam in holocaustum. Nequaquam igitur hoc uult Christus, dãdas esse eleemosynas ex iniustè partis. Sed loquitur Christus de diuitijs sanctorum. Has quoq; uocat Mammonam iniustum, non quòd sint iniustè partæ, non quòd contra conscientiam occupatæ sint, sed propter abusus multiplices, qui in hac infirmitate humani generis sequi solent, ut in aulis, quantum est abusuũ in facultatibus, quàm multæ inanes profusiones?

Quare uocetur Mammon iniustus.

Deniq; hæc corrupta natura in nullo præcepto

Dei seruat ordinem, ut magna est ἀταξία in amore parentum erga liberos, & rursus maior ἀταξία in amore liberorum erga parentes. Magna ἀταξία est in consuetudine coniugali, ita multò maior ἀταξία est in usu diuitiarum.

Sed hæc infirmitas condonatur pijs, qui iustè partis bona conscientia mediocriter fruuntur, & mediocriter inde alios iuuant, nec accersunt sibi insignes abusus contra conscientiam. Intelligamus igitur uocari iniustum Mammona, etiam sanctorum facultates, quia etiam sancti retinent aliquos abusus, propter infirmitatem huius corruptæ naturæ, quam sequitur multiplex ἀταξία contra omnia præcepta.

DE QVARTO.

Promissio de præmijs.

PRomissio addita est præcepto de ueris eleemosynis, ut alibi, Date, & dabitur uobis, ita hic. Facite uobis amicos de Mammona iniusto, ut recipiant uos in æterna tabernacula. Hìc concurrunt duæ quæstiones. Num sancti recipiunt? & num propter opera nostra recipimur? Explicatio facilima est pijs. Duæ συνεκδοχαὶ sunt. Sancti recipiunt, id est, Christus & Ecclesia. Christus tanquam redemtor & donator salutis. Ecclesia tanquam testis, celebrans datum beneficium per hunc liberatorem, & agens gratias Deo remuneranti. Vt Christus recipit Constantinum, qui defendit Ecclesiam, recipiunt & sancti,

sancti, uidelicet testificantes de hac defensione, agentes Deo gratias, & quòd defenderit Ecclesiam per istum, & quod uicissim hunc æterna gloria ornet. Econtra Christus damnat Diocletianum sæuientem, damnat eum & Ecclesia suo testimonio, prædicans iustum iudicium Christi. Christus & sancti recipiunt in æterna tabernacula.

Ita coniungentur uox Christi, & uox Ecclesiæ, quia gloria sanctorum conspicietur ab uniuersa Ecclesia, & cùm facta sanctorum in hac uita sunt spreta aut damnata, intueamur totum illud iudicium Christi, angelorum, & Ecclesiæ. Et sciamus in illo iudicio reuelandas esse nostras uoluntates, & futurum ut rectè facta æterna uoce Dei, Christi, Angelorum, & Ecclesiæ probentur & celebrentur.

Venio ad secundam συνεκδοχὴν, an recipiamur propter nostra opera. Breuis responsio est. In omnibus concionibus de bonis operibus, necesse est complecti fidem prælucentem, & credentem, quòd hæc obedientia placeat propter Mediatorem, iuxta illud: Per quem habemus accessum ad Deum. Deinde æterna tabernacula intelligantur tabernacula Ecclesiæ, in hac uita & post hanc uitam, & fatendum est hæc officia sanctorum mereri ingentia præmia, in hac uita, & post hanc uitam. In dictis & operibus includenda fides. Recipi in æterna tabernacula.

Sareptana mulier excipiens Eliam, recipiebatur ab eo in æterna tabernacula, id est, primùm in Ecclesiam adducta est uoce & ministerio Prophetæ, à Sareptana pascens Eliam.

quo didicit doctrinam de uero cultu Dei. Deinde mulieri credenti & pascenti Prophetam, Deus propter hanc pietatem & propter Prophetam, multipliciter benedicit, dat incrementum fidei, uictum in tanta difficultate annonæ, filij mortui resuscitationem. Deniq; mulier socia est bonorum, quæ Deus passim Ecclesiæ impertit. Sic Onesiphorus recipiens Paulum, recipitur in æterna tabernacula, id est, consequitur agnitionem Euangelij, & quia iuuat Paulum, & alios pios, uicissim à Deo defenditur.

Onesiphorus.

Ita semper qui sincero affectu iuuant Ecclesias, recipiuntur in æterna tabernacula, id est, consequuntur agnitionem Euangelij, & uicissim iuuantur, reguntur, & defenduntur à Deo. Nec dubium est propter Ecclesias seruari aliquas ciuitates, seu politias, quia oportet aliquod esse quasi diuersorium Ecclesiæ, sicut inquit Esaias, Reges erunt nutritores tui, & reginæ nutrices. ibiq; hospites pij fruuntur societate bonorum præsentium, & æternorum, sicut nauigantes cum Paulo seruantur, et nauis tantisper seruatur, donec functa est suo officio, & uerum est, pia officia mereri præmia in hac uita, & post hanc uitam, sicut Christus inquit, Amen dico uobis, non perdet mercedem suam.

Nauis seruata cum Paulo.

DE QVINTO.

VTilis regula in fine addita est. Fidelis in paruo, erit in magno fidelis. Hoc dictum utroq; modo

modo intelligatur, de debito, & de præmijs. Debitum est, ut in qualibet uocatione, siue parua, siue magna, agnoscamus officium esse diuinum, & in timore & fide administremus. Dauid in uocatione militis agnoscit officium esse diuinum, & propter Deum rectè administrat, ergo multò magis postea regiam uocationem intelligit officium esse diuinum.

Fidelis in paruo &c.

Sed mundus diuerso modo iudicat, leuiora negligentius agit, sicut uulgò milites abutuntur militia ad barbaricam licentiam, cùm requirat Deus ut agnoscamus ab ipso regi & iudicari summas & imas uocationes. Ergo in hoc dicto præcipitur, ut uoluntatem Dei consideremus.

Secundò, de præmijs etiam intelligatur dictum, Habenti dabitur, & à non habente etiam id quod habet auferetur. Qui benè utitur donis Dei, meretur incrementa, ut Augustinus dixit, Dilectio meretur incrementum dilectionis, uidelicet si exerceatur.

DOMINICA X.
POST TRINITAT.

EVANGELIVM,
Lucæ XIX.

ET ut appropinquauit uidens ciuitatem, fleuit super illam, dicens, Quia si cognouisses & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi: nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Quia uenient dies super te, & circumdabunt te inimici tui uallo, & circumcingent te, & coangustabunt te undiq;, & solo æquabunt te, & filios tuos in te. Et non relinquent in te lapidem super lapidem eo

eo quod non cognoueris tempus uisitationis tuæ.

Et ingressus in templum, cœpit eijcere uendentes in illo & ementes, dicens illis, Scriptum est, Domus mea, domus orationis est, Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidie in templo. Principes autem sacerdotum, & Scribæ, et primores plebis, quærebant illum perdere, et non inueniebant quid facerent. Omnis enim populus suspensus erat audiens illum.

Quatuor sunt loci.

Pœnæ hostium & contemtorum Euangelij.

PRæcipuus locus est communicatio pœnarum, quæ omnibus hostibus & contemtoribus Euangelij impendent. Hîc conferantur ab initio mundi horribilia exempla, quibus Deus iram suam aduersus peccatum declarauit. Et uicissim consideretur altissima securitas humanarum mentium, quæ tam horribilibus exemplis nihil mouetur, pœna Adæ, diluuio, conflagratione Sodomæ, Pharaonis exitio, dissipatione regni Israël, crebris excidijs Ierosolymæ, euersione omnium Monarchiarum, & omnium magnarum urbium.

Horum exemplorum cogitatione excitemus animos, & recordemur, quàm fœdè trucidati sint homines, necati infantes & senes, mulieres contumelia affectæ & occisæ. Quoties etiam fame perierit multitudo, quoties in obsidionibus decimatæ sint legiones in cibum, cùm exercitus humanis carnibus uescerentur. Tanta autem cœcitas est, ut hæc putentur casu accidere, sicut hic inquit Christus, Nunc autem abscondita sunt ab oculis tuis. Et Ieremias increpat eos, qui negant Dei consilio accidere pœnas, Threno. 3. Quis est qui dicit hæc fieri, Domino non iubente? Et Sophoniæ 1. Visitabo defixos in fecibus suis, qui dicunt, Nec benè nec malè faciet Dominus. Hanc cœcitatem agnoscamus, & corrigamus, & cogitemus nobis etiam impendere pœnas, & quidem iudicium à domo Dei incipit.

SECVNDVS LOCVS.

Verus amor Christi erga nos.

DOlor et lacrymæ Christi sunt testimonium ueri et non simulati amoris erga nos. Sed humana cœcitas cùm iram propositis tam terribilibus exemplis negligat, multò minus agnoscit amorem Dei. Sed eluctemur ex tantis tenebris, et utrunq; agnoscamus, et inter ærumnas diligi nos statuamus, quia punit non ut perdat, sed ut reuocet ad pœnitentiã, uel exerceat, sicut inquit, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, &c.

TERTIVS LOCVS.

CHristus eijcit ementes & uendentes ex templo. Præcipuum peccatum est idololatria, sed hæc ubicunq;

De eiectis ementibus & uendentibus.

ubicunq; regnat, ibi necesse est sequi horrenda scelera, et tyrannides, cùm talis status uerè sit regnũ diaboli. Sicut exempla omniũ gentiũ testantur, ubi aucta & cumulata idololatria, secuta sunt immanissima scelera, fœdissimæ libidines, ut in Ægypto, Syria, Græcia, & inde extiterũt bella, & mutationes exitiales.

Sed quæritur, Cùm Christus eiecerit ementes & uendentes, an liceat alijs concionatoribus ui pellere idololatricos sacrificulos: Respondeo, Christus eijcit motu singulari, sicut Petrus Ananiam occidit, non est stipatus cohorte, nõ nititur præsidijs humanis. Quicquid autem fit tali motu diuino seu heroico, Dei opus est. Significatum est autem, & postremis temporibus regnaturos esse in Ecclesia tales mercatores opum & dignitatum Ecclesiasticarum, qui eijcientur è regno suo diuinitus, et propter quos mundus dabit pœnas impiorum cultuum.

QVARTVS LOCVS.

Domus orationis.

DOmus mea domus orationis est. In hoc dicto breuiter & significanter totum regimen Ecclesiasticum, & uerus cultus describitur. Nam cùm nominat orationem, correlatiuè addenda est doctrina Euangelij. Nam sine promissionibus & fide, nulla existit oratio. Et constituatur Antithesis. Vos putatis hanc domum conditam esse sacrificiorum caussa, ad augendas opes uestras, & utrunq; deprauatis, regimen & cultum, uobis quæritis opes & regnum, & sacrificia putatis esse cultum: Ego contra clamito,

mito, regimen esse rectè docere, & unicum cultum & proprium, in fide, & bona conscientia inuocare Deum.

Iam ut hæc publicè de domo Dei & ministerio dicuntur, ita unusquisq; ad se ipsum transferat, singuli sciamus nos esse domum Dei. Sic autem erimus, cùm in nobis sonabit uera doctrina, & inuocatio in fide, & bona conscientia. Et hortetur nos hoc dictum ad inuocandum & orandum, quia testatur hunc esse proprium cultum populi Dei & domus Dei, quem Deus maximè flagitet.

DOMINICA XI. *POST TRINITAT.*

EVANGELIVM, *Lucæ XVIII.*

DIxit autem & ad quosdam, qui in seipsos confidebant, quod essent iusti, & aspernabantur cęteros, parabolam istam. Duo homines ascenderunt in templum ut orarent, unus Pharisęus alter Publicanus. Pharisæus stans hæc apud se orabat. Deus, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri homines, raptores,

ptores, iniusti, adulteri, uelut etiam hic Publicanus, ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo. Et Publicanus à longè stans, nolebat neq; oculos ad cœlum leuare, sed percutiebat pectus suum dicens, Deus propicius esto mihi peccatori. Dico uobis, descendit hic iustificatus in domum suã, præ illo. Quia omnis qui seipsum exaltat, humiliabitur, Qui autem seipsum humiliat, exaltabitur.

Duo

DVO *sunt exempla.*

In altero damnat Christus fiduciam propriæ iustitiæ.

In altero proponit imaginem ueræ iustitiæ.

De Pharisæo.

PRior imago proponit hominem securum, sine pœnitentia, sine timore Dei, sine fide, & sine inuocatione. Interea tamen is habet opera legis, & hæc putat esse iusticiam, propter hæc arbitratur sibi Deum debitorem esse. Ideo non inuocat, hoc est, non petit à Deo ueniam, aut alia bona.

Gratiarum actio pharisaica.

SECVNDO, Sed cur agit gratias? cùm gratiarumactio sit uerus cultus. Respondeo, Hæc gratiarumactio est simulata, qualis est impiorum diuitum, qui cùm affluunt opes, etiam imitantur uerba gratiarumactionis, & tamen reipsa non sentiunt opes esse donum Dei, sed aut sua industria partas, aut casu obiectas. Sic ille sentit se sua diligentia legem facere, & se oblectat hoc ornamanto, quo antecellit cæteris, & confidit coram Deo. Si uerè ageret gratias, confideret sola misericordia, & non diceret, Non sum sicut cæteri, sed agnosceret se quoq; quantum in ipso est, potuisse impelli ad latrocinium & cætera flagitia, prædicaret beneficium Dei, quòd custoditus esset. Hinc satis intelligi potest, hæc uerba Pharisæi non esse ueram gratiarumactionem.

TERTIO, sicut sæpè aliàs dictum est, Deus flagitat disciplinam, sed tamen hæc non est iusticia coram Deo. Ideo damnatur fiducia.

Quarto,

QVARTO, Hic considera, quàm tetri cultus sint hypocritarũ, accedunt ad Deum sine timore, sine pœnitentia, et opponunt iudicio Dei propriam iusticiam. Quid est autem absurdius, quàm sine timore ad tantam maiestatem accedere? Item, coram tanta maiestate gloriari de iusticia, cùm scriptura clamitet, Innocens coram te non est innocens. Deinde cùm Deus sic uelit coli, petendis bonis, petenda remissione peccatorum, et gubernatione, hypocritæ non ueniunt ut petant remissionem aut gubernationem. Quid hoc aliud est, quàm Deũ contumelia afficere? Et qui ignorant doctrinam de iusticia fidei, accedunt cum dubitatione. Tales cultus sunt uerè Ethnici cultus. Hæc imago cultus Hypocritarum diligenter consideretur.

Vitia cultuum hypocriticorum.

QVINTO, In altera imagine proponitur homo agens pœnitentiam, perterrefactus agnitione peccatorum suorũ, et iræ Dei. Nã quòd non audet attollere oculos in cœlũ, est significatio agnoscentis iram Dei, & adhuc fugientis Deum, et luctantis cum diffidentia, deinde tamen uincit in eo fides, qua redit ad Deum, confugiens ad misericordiam, inuocans et petens ueniam. Ergo hic uerè fit iustus, et acceptus Deo, quia fide erigitur in pauorib. & pœnitentia. Hoc est exemplum ueræ iustificationis. Nec desunt bona opera, scilicet ipsa pœnitentia, & inuocatio. Summa autem horum exemplorum hæc est, quòd iustificemur fide per misericordiam, non propter legem

De publicano agente pœnitentiam.

SEXTO, Additur terribile Epiphonema, de superbia

perbia in genere. Omnis qui se exaltat humiliabitur. Sic alibi Petrus inquit, Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Et Christus, Quicquid est sublime coram hominibus, abominatio est coram Deo. Hæ sunt terribiles uoces taxantes impiam securitatem hominum, quæ maximè in his est, qui habent eminentia bona.

De humilitate & superbia.

SEPTIMO. Quid est humilitas? Est uerè timere Deum et agnoscere, quòd dona sint ab ipso concessa, ut seruiant alijs, non ut opprimamus eos. Item, quòd non sint felicia sine Deo, et tales sine uerbo Dei, & sine uocatione nihil mouent uel audent. Econtra superbia est sine timore Dei seipsum admirari, se oblectare donis, ac his confidere, & hac fiducia mouere multa sine uerbo, & sine uocatione, ut Saul contra uerbum Dei conatur regnum tradere posteris suis. Antonius sine uocatione conatur occupare imperium. Pompeius sine uocatione mouet bellum, confidens sua potentia, sicut inquit, se Italiam repleturum esse exercitibus supplosione pedis.

Hîc autem discamus uocem Christi, Omnis qui se exaltat humiliabitur, sicut omnium temporum historiæ ostendunt, tumentes fiducia sui, & mouentes aliquid sine uocatione, & sine uerbo Dei, horribiliter cecidisse. Hîc opus est pijs hac sapientia, de qua concionatur Petrus, cùm inquit: Humiliamini sub potenti manu Dei. Dauid impulsus est, sed rursus erectus, quia norat ferre humiliationem. Saul non est restitutus,

tutus, quia non norat ferre humiliationem, sed per impatientiam ruit in desperationem, & odium Dei. Meminerimus igitur in afflictionibus hoc dictū, Humiliamini sub potenti manu Dei, quasi dicat, Manus Dei potens est, & in puniendo, & in restituendo, ut in Dauide apparet.

DOMINICA XII. POST TRINITAT:

EVANGELIVM, Mar. VII.

ET iterum exiens de finibus Tyri et Sydonis uenit ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos, & adducunt ei surdum impeditæ linguę,& deprecabantur eum,ut imponeret illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsim,misit digitos suos in aures eius,& expuens tetigit linguam eius,& suspiciens in cœlum, ingemuit, & ait illi, Ephata quod est,adaperire, & statim apertæ sunt aures eius, & solutum est uinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. Et præcepit illis,ne cui dicerent. Quanto autem magis ille eis præcipiebat,tanto magis prædicabant, & supra modum stupebant, dicentes, Bene omnia fecit,& surdos fecit audire, & mutos loqui.

De miraculis.

PRIMO. *Vna quædam perpetua doctrina in his miraculis omnibus obseruanda est, quòd testimonia sunt,quæ ostendunt Euangelium non esse commentitium,sed diuinitùs traditum.*

2. *Monent item quòd uenerit Christus, & sunt testimonia promißionum, uidelicet, quòd uerè uelit Christus tollere peccatum & mortem. Quia enim tollit*

tollit morbos,& excitat mortuos, etiam cauſſam calamitatum tollet,ſcilicet, peccatum & regnum Diaboli.

3. *Hæc miracula oſtendunt, hunc liberatorem habere diuinam potentiam, quia reſtituit naturam extinctam, quod eſt tantùm diuinæ potentiæ. Ad hanc generalem regulam omnia miracula referantur.*

Cauſſæ calamitatum humanarum.

SECVNDO. *In his miraculis cauſſæ morborum et omnium calamitatum conſiderentur,quæ ſunt peccatum & tyrannis diaboli, qui impellit infirmas mentes ad multa flagitia, & ſæpè corpora excruciat morbis,ſicut cædes & ſimilia molitur, cùm ſit homicida. Hæc breuiter deſcribuntur in Geneſi, ubi dicitur,Serpens mordebit calcaneum. Nemo eſt qui non experiatur inſignem aliquem morſum, ut oſtendunt calamitates & lapſus ſanctorum,ut Moyſi, Aaronis, Dauidis & aliorum, impios uerò omnino deuorat ſerpens, ut oſtendunt horribilia exempla hiſtoriæ mundi.*

Chriſtus liberator à tyrannide Diaboli.

TERTIO.*Contra hæc miracula teſtantur,datum eſſe liberatorem,qui & naturam ſanabit,& belligeratur cum ſerpente,ſeruat & defendit petentes auxilium contra ſerpentem, ſicut Geneſis inquit, Ipſum ſemen conteret caput ſerpentis. Is qui caput conterit eſt uictor, at hoſtis qui mordet calcaneum, id eſt,qui iacet, nec poteſt ſe erigere & attollere, uincetur,ſicut ſerpens non poteſt ſe attollere ita ſciamus diabolum eſſe uictum à Chriſto. Et quanquam*

iaculatur uenena, tamen erigere se non potest, & tandem à Christo conculcabitur.

Christi gemitus & commiseratio.

QVARTO. Affectus Christi præcipuè in hoc Euangelio consideretur, ubi dicitur ingemuisse. Credamus ueros & magnos motus animi esse, qui misericordia generis humani afficitur, sicut in Epistola ad Hebræos dicitur, Habemus Pontificem qui scit compati, &c. Sed homines sunt ferrei, sicut hic surdus, non statuunt uerè affici Deum cura nostræ salutis. Sunt igitur etiam muti, non inuocant, nec curant præstare reliquos cultus.

Typus surdi & muti.

QVINTO. Est ergo hic surdus et mutus, totius humani generis typus, et eius sanatio est imago præcipuorũ operum Christi. Mundus est surdus, non audit uerbum Dei, nec assentitur, ideo nec nouit, nec curat Deum. Deinde est mutus, non inuocat neq; colit. Venit igitur Christus ut tollat hæc mala, dat Euangelium, & ostendit ueram Dei noticiam, quam deinde sequuntur, inuocatio, confessio, & reliqui cultus.

Christus uere efficax in credentibus.

SEXTO. Nec solũ dat uerbum Christus, ut cæteri Prophetæ, sed ipse admouet manus, ut testetur se efficacem esse, & non ociosum. Talis enim liberator est, ut ipse uerè nobiscum agat, det dona petentibus, depellat diabolum. sicut inquit Ioannes, Christus uenit ut destruat opera diaboli. Sicut hæc ipsa miracula in genere testimonia sunt promissionum, quòd ita uerè uelit nobiscum agere, iuxta suas promissiones, sicut cum illis agit, quos liberat in his miraculis.

Sed

Sed tanta est surditas humanæ mentis, ut etiam sancti uix obscurè hæc audiant, infirmiter assentiantur. Petamus igitur à Christo, ut & nobis aperiat aures et os, ut credamus eum uerè affici cura nostræ salutis, uerè ingemiscere misericordia nostræ infirmitatis, & ut hac fiducia ipsum inuocemus, & eius beneficium celebremus nostra confessione.

DOMINICA XIII. POST TRINITAT:

EVANGELIVM, Lucæ. X.

ET conuersus ad discipulos seorsim, dixit, Beati oculi qui uident, quæ uos uidetis. Dico enim uobis, quod multi Prophetæ & Reges uoluerunt uidere, quæ uos uidetis & non uiderunt, & audire quæ uos auditis, & non audierunt.

Et ecce quidam legisperitus surrexit tentans illum, & dicens, Magister, quid faciendo, uitam æternam hæreditabo? At ille dixit ad eum, In lege quid

ſcriptum eſt,quomodo legis? Reſpondens autem dixit,Diliges dominũ Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua,ex omnibus uiribus tuis, & ex tota mente tua,& proximum tuum ſicut teipſum. Dixit autẽ illi,Rectẽ reſpondiſti,hoc fac, & uiues. Ille autem uolens iuſtificare ſeipſum, dixit ad Ieſum,Et quis eſt meus proximus?

Reſpondens autem Ieſus,dixit,Homo quidam deſcendebat ab Ieruſalem in

in Hiericho,& incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis additis abierunt ſemimortuo relicto. Caſu autem Sacerdos quidam deſcendit eadem uia,et uiſo illo,præteriuit. Similiter & Leuita cum ueniſſet ſecus locum,& uideret eum,pertranſiuit. Samaritanus autem quidam iter faciens, uenit ſecus eum,& uidens eum,miſericordia motus eſt.Et accedens, alligauit uulnera eius, infundens oleum & uinum.Et imponens illum in iumentum ſuum,duxit eum in hoſpitium, & curam eius egit. Et altera die egrediens protulit duos denarios,et dedit hoſpiti, & ait illi, Curã illius habe,& quodcunque ſupererogaueris, ego cum rediero reddam tibi. Quis ergo horum trium uidetur tibi proximus fuiſſe illi,qui incidit in latrones? At ille dixit, Qui fecit miſericordiam in illum. Ait ergo illi Ieſus, Vade & tu fac ſimiliter.

Quatuor ſunt præcipui loci.

PRIMVS *locus eſt doctrina de fide.*

II. Doctrina legis.
III. Definitio proximi.
IIII. Allegoria exempli.

DE PRIMO.

Christi concio de fide.

COmplectenda est proxima concio, Omnia mihi data sunt à Patre meo,et nemo nouit quis sit Filius,nisi Pater,& quis sit Pater,nisi Filius, et cui uoluerit Filius reuelare.Huic concioni addit Epiphonema,Beati oculi,&c.Hæc tota concio primùm proponit doctrinam propriam Euangelij de fide. Christus clarè dicit,Patrem à nemine agnosci, nisi reuelante Filio,ergo nisi reuelante Filio impoßibile est legem facere,Et sic respondetur ad obiectionem, quæ postea sequitur,cùm fit mentio legis,Hoc fac & uiues.

His uerbis addenda est altera concio. Non satis est audire legem, sed Filius audiendus est, reuelans Patrem,hoc est uoluntatem Patris de Filio, non tantum de lege: sed cognoscenda est uoluntas Patris,cur Filium miserit,quid ei tradiderit, scilicet potentiam liberandi genus humanum à peccato & à morte, dandæ uitæ æternæ. Hæc concio de fide præponitur disputationi de lege, ut fide apprehendamus beneficia Filij Dei. Postea cùm agnouimus Patrem per Filium, sequatur obedientia legis,quæ placebit propter Filium, quanquam sit imperfecta.

DE SECVNDO.

PHarisæo non discendi, sed tentandi caussa interroganti, ostendit Christus inanem ipsius arrogantiam,

gantiam,ut agnoscat peccatum. Et fortaßis hic hypocrita fuit unus ex illis ipsis,qui præterierũt saucium, de quibus hic in exemplo dicitur. Iusserat autem Christus interrogantem consulere scripturam, deducit eum ad uerbum: sed Pharisæus nihil scit nisi legem,promißiones negligit, & allegat legem non intellectam. Christus addit,ut eius ignorantiam taxet: hoc fac & uiues, significat enim eum nec facere legem, nec uicturum esse, sed oppressum esse peccato & morte. Est enim sententia, Si faceres, uiueres. Sed nec tu facis, nec alij, ergo uita aliundè petenda est, Verum est dictum,faciens legem uiuet. Si enim non esset peccatum,mors non esset. Hoc fac,& uiues.

Ita coarguit Pharisæum,quòd nesciat quid sit lex, quid peccatum, quid mors, quæ est quoddam terribile malum ortum à peccato, & non tollitur lege, quia lex non fit in natura humana oppressa peccato. Hæc tota disputatio prorsus similis est disputationibus horum temporum. Litigamus cum aduersarijs, qui sunt fascinati philosophicis opinionibus de lege, nesciunt quid sit peccatum, quid sit mors.

DE TERTIO.

Quis sit proximus.

PRoximus nobis est miser indigens beneficio nostro,& præsertim is, qui coniunctus est societate nominis Dei,qui est membrum populi Dei, Ita hic dicit saucitũ iudicatũ esse proximũ à Samaritano. Econtra caro ducit proximos florentes & potentes, fugit miseros. Sicut uenustißimè dicit Menander,

Fortuna uariè pingit amicos. Sed hoc exemplum docet, nos debere complecti miseros tanquam proximos. Cæterum hæc debent esse mutua, gratitudo & beneficentia. Hæc est summa exempli, in quo falsè reprehenduntur illi, qui iactabant iusticiam legis, ut Sacerdotes & Leuitæ, & tamen ueris operibus uincebantur à Samaritano.

DE QVARTO.

Allegoria saucij et Samaritani.

CHristus rectè respondit Pharisæo, pingens magnitudinem peccati, & significans peccatum non tolli ministerio legis, sed alio quodam modo. Saucius significat totum genus humanum, quod est spoliatum donis spiritualibus, quæ habuit initio, & uulneratum multipliciter, deprauatum & distortum ignoratione Dei, contemtu Dei. Sunt & naturæ uires corruptæ, & accessit mors. Et hæc ipsa uulnera longè maiora sunt, quàm iudicare ratio potest. Sicut enim magnitudinem iræ Dei non intelligimus aduersus peccatum, ita nec peccatum nec mortem satis intelligimus.

Sacerdos & Leuita prætereunt hunc saucium, saucius non iuuatur ministerio legis, peccatum & mors non tolluntur per legem, sed uenit Samaritanus Christus reiectus à populo legis, hic obligat uulnera, infundit uinum, id est, prædicationem pœnitentiæ, & oleum, id est, Euangelium & Spiritum sanctum, quo incoa-

incoatur uita æterna, & imponit eum suo iumento, id est, seu corpori, seu ministerio, & commendat Ecclesiæ, & dat ministro duos denarios, id est, prædicationem Legis & Euangelij, et addit, si quid supererogaueris, soluam, quasi dicat, accedent labores, pericula, inopia consilij, in his omnibus adero, & iuuabo te.

In hac imagine ostendit quomodo sanemur, scilicet à Christo per ministerium Euangelij. Hic nugantur de operibus supererogationis, quasi allegoria significet priuata opera non mandata à Deo, cùm significet opera quæ requirit curatio, quæ sunt diuinitus mandata. De supererogatione.

Talium operum, hoc est, laborum, periculorum & certaminum mentio fit, in quibus significat se affuturum esse suppeditaturum sumtus, quia assiduè opus est in gubernatione, diuino auxilio. Incidunt enim infinita, ubi nostra consilia, nostræ uires, magnitudine periculorum superantur, ubi precandum est, ut dicitur, 2. Paral: 20. Cùm ignoramus quid agere debeamus, hoc solum habemus residui, ut oculos nostros dirigamus ad te.

In tenebris nostræ, & densa caligine mentis,
Cùm nihil est toto pectore consilij.
Turbati, erigimus Deus ad te lumina cordis
Nostra, tuamq; fides solius orat opem.
Tu rege consilijs actus pater optime nostros,
Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ.

DOMI-

DOMINICA XIIII. *POST TRINITAT.*

EVANGELIVM,
Lucæ XVII.

ET factum est dum iret Ierosolymam, & ipse transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cum ingrederetur in quoddam castellum, occurrerunt ei decem uiri leprosi, qui stetérunt

runt â longe,et ipsi leuauerunt uocem, dicentes, Iesu præceptor, miserere nostri. Et cum uidisset,dixit eis,Ite,ostendite uos ipsos sacerdotibus.

Et factum est, dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis,ut uidit quod sanatus est, regressus est, cum magna uoce glorificans Deum. Et cecidit in faciem ante pedes eius, gratias agens ei, Et hic erat Samaritanus. Respondens autem Iesus,dixit, Nonne decem mundati sunt? Illi nouem autem ubi? Non sunt inuenti,qui redirent, & darent gloriam Deo,nisi hic alienigena? Et ait illi, Surge,uade,fides tua te saluum fecit.

Quatuor sunt præcipui loci.

PRIMVS. *Corporalis liberatio testimonium est, quòd Christus tollat peccatum & mortem.*

II. *De ingratitudine.*

III. *De perseuerantia fidei.*

IIII. *Allegoria de dicto, Vade, ostende te sacerdotibus.*

DE PRIMO.

IN

Testimonia miraculorum.

IN genere tenenda est regula de omnibus miraculis, quòd sint testimonia, quæ ostendunt uera esse, quæ hic doctor de se affirmat, seu Euangelij uocem esse ueram, & hunc doctorem esse Meßiam, sicut Ioan: 5. dicitur, Opera quæ dedit mihi pater, testimonium perhibent de me. Sed non sunt testimonia tantùm doctrinæ, uerùm etiam exempla promißionum, quæ nos hortantur, ut simili modo petamus, & expectemus auxilium & liberationem, in omnibus malis, seu corporalibus, seu alijs.

Ac sciamus eodem modo affectum esse Meßiam erga nos, sicut erga illos erat, ut Esaiæ 42. dicitur, Non accipiet personam, Et promißio est uniuersalis, Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis.

Christus liberator à peccato & morte.

Vt autem corporales afflictiones admonent nos de caussa, id est, de peccato & corruptione naturæ, & de ira Dei. Ita cùm Christus tollit morbos, sciamus eum missum esse, ut aboleat & peccatum & mortem. Hæc sunt officia Meßiæ, quæ pauci & tunc in populo intelligebant. Quare hæc miracula non introspiciebant, sed arbitrabantur esse beneficia præsentis uitæ, nec quicquam significare de causßis, scilicet de abolendo peccato, & de placanda ira Dei, Sed pij in his miraculis agnoscebant hunc Meßiam esse liberatorem à peccato, & à morte.

Magnitudo miseriarum humanarum.

Voluit Deus ostendere magnitudinem peccati & iræ suæ, per pœnas. Ideo diligenter consideremus humanas calamitates, nec putemus esse leue onus impositum

situm humanæ naturæ, mortem, morbos, inopiam, bella, cædes impulsus diaboli, ut cum Medea interfecit liberos: tristes & tragicos casus, ut cum in obsidione mater coxit filium. Deniq; nemo hominum est, qui non experiatur aliquos horrendos morsus diaboli, sicut Gen: 1. dictum est, Serpens mordebit calcaneum. Ad has tãtas miserias accedit & hæc difficultas, quòd Deus uidetur interim se abdere, nec cernere miseros. Item, in ipso regno Christi plurimum est calamitatum sicut iam Turci florent gloria imperij, habent successus et uictorias, multi pij trucidantur, aut opprimuntur seruitute crudelißima, tanquam neglecti à Deo.

Etsi autem tanta est magnitudo calamitatum, tamen animi hominum ferrei & securi non considerant causßam, scilicet peccatum & iram Dei, sed Ecclesia considerare debet, & agnoscere Meßiam, & scire, quòd mirabili modo seruet & liberet Ecclesiam, & membra, & hac fide petendum & expectandum est auxilium. Hæc doctrina de magnitudine calamitatum & de mirabili liberatione pingitur in omnibus historijs Ecclesiæ, ut in diluuio, in eductione ex Ægypto, & reliquis.

DE SECVNDO.

Ingratitudo.

VSitatum est post liberationes rursus labi homines, & obliuisci Dei, sicut populus in deserto obliuiscebatur Dei. Et Saul toties liberatus, & rursus punitus, tamen cumulat peccata. In his relapsibus apparet cœcitas, & infirmitas humani generis. Sed aliqui

aliqui pauciſsimi & deſpecti agnoſcunt beneficia Dei, & agunt gratias, ſicut hic Samaritanus, cuius exemplum imitemur.

DE TERTIO.

Fides non retinetur ſine certaminibus.

Diſcamus non ſine uigilantia, & certamine retineri fidem. Oppugnatur enim opinionibus rationis, naturali caligine, & dubitatione de Deo, infirmitate carnis, & inſidijs diaboli, ſicut defecerunt multi magni uiri in tentationibus, ut Saul & alij. Econtra Dauid ſuſtentat ſe fide, etiam cum pellitur in exilium, & omnibus fluctibus maximarum ærumnarum obruitur. Sed pauci ſunt tales, ut hæc hiſtoria etiam oſtendit. Nouem habuerunt initia fidei, & auferunt beneficium corporale, ſicut Saul initio pius, habuit glorioſas uictorias: ſed poſtea fidem amittunt, obliuiſcuntur Dei, negligunt Chriſtum, obrepit opinio quod ſit fortuitum beneficium, & accedit negligentia in alijs rebus, facilius obtemperant animi ebrij & incauti prauis cupiditatibus.

Perſeuerantia Samaritani.

Sed Samaritanus retinet fidem, non ſinit eam ſibi excuti per diabolũ, aut carnalem negligentiam. Ideo prædicat eius fidẽ, & confirmat Chriſtus, inquiens, Fides tua ſaluum te fecit, id eſt, corpus curauit, et ſaluauit animam, alij amiſſa fide non habent ſalutẽ. Tu perge credere, & retine fidem, ita eris ſaluus. Itaq; Samaritani perſeuerantiam imitemur, et ſimul cogitemus, non retineri fidem ſine tentationibus, & certaminibus. Iam quisq; cogitet apud ſeſe, an ſit ſimilis Samaritano, an poſt beneficia accepta factus ſit negligentior, Sed hanc negligentiam emendemus.

DE QVARTO.

Allegoria dicti oſtendite uos Sacerdotibus.

HOC dictum ſolet ad confeßionem detorqueri, ſed uera & dextra Allegoria eſt, ut alibi, ita hic quoq; remittit Chriſtus ſuos ad miniſterium, ſicut illos mundatos uolebat audire uocem miniſterij diuinitus inſtituti, ita uult nos audire uocem Euangelij, ſonantem in miniſterio diuinitus inſtituto. Tunc ſacerdotes debebant eſſe teſtes Chriſti, quia lex & Prophetæ de Chriſto teſtabantur. Ita ſemper fidem regi & confirmari uult, non ſolis externis euentibus aut ſignis, ſed ipſa Euangelij uoce, & miniſterio. Intelligatur ergo oſtenſio, tum de abſolutione, tum in uniuerſum de uoce Euangelij regente fidem. Hæc tanta res, uidelicet, de gubernatione fidei, & miniſterio ſignificatur hìc à Chriſto. Quare locus non eſt detorquendus ad ſuperſtitioſam enumerationem quæ offundit nebulas doctrinæ fidei.

DOMINICA XV. *POST TRINITAT.*

EVANGELIVM, Matth: VI.

NEmo poteſt duobus dominis ſeruire. Aut enim unum odio habebit,

bit, & alterum díliget, aut uni adhære-
bit, & alterum contemnet. Non pote-
ſtis Deo ſeruire & Mammonæ. Ideo
dico uobis, ne ſolliciti ſitis animæ ue-
ſtræ, quid manducetis,& quid bibatis,
neq; corpori ueſtro, quid induamini.
Nonne anima plus eſt quam eſca, &
corpus plus quam ueſtimentum? Re-
ſpicite uolatilia cœli, quia non ſerunt,
neq; metunt, neq; congregant in hor-
rea,

rea, & pater ueſter cœleſtis paſcit illa.
Nonne uos multò pluris eſtis illis.

Quis autem ueſtrum ſollicitus, po-
teſt adíjcere ad ſtaturam ſuam cubitum
unum? Et de ueſtimentis quid ſolliciti
eſtis? Conſiderate lília agri, quomodo
creſcunt.Non laborant, neq; nent. Di-
co autem uobis, quod nec Salomon in
omni ſua gloria coopertus eſt, ſicut u-
num ex iſtis .Si autem fœnum agri,
quod hodie eſt,et cras in clibanum mit-
títur, Deus ſic ueſtit,non multò magis
uos,modicæ fidei?

Nolite ergo ſolliciti eſſe dícentes,
Quid manducabimus, aut quid bibe-
mus, aut quo operiemur? Hæc enim
omnía gentes inquirunt, Scit enim Pa-
ter ueſter cœleſtis, quia his omnibus
indigetis.Quærite autem primum Re-
gnum Dei, & iuſticiam eius, & hæc
omnia adíjcientur uobis. Nolite ergo
ſolliciti eſſe in craſtinum. Craſtinus e-
nim dies ſollícitus erit ſibí ipſi. Sufficit
diei afflictio ſua.

Septem sunt præcipui loci.

I. Reprehensio diffidentiæ humanæ.
II. Doctrina de prouidentia.
III. Præceptum quo ordine bona petenda, & quærenda sint.
IIII. Duplex sollicitudo, alia ex diffidentia, alia ex obeundæ uocationis diligentia.
V. Sufficit diei afflictio sua. Cur quamlibet diem uocet afflictionem.
VI. Præceptũ sapientißimum et utilißimum, ut in præsentia rectè faciamus, nec propter futuras incertas spes aut metus, à regula discedamus, ut multi trepidantes nunc huc, nunc illuc feruntur, et interdum in ea trepidatione iniustis consilijs utũtur, propter uanißimas spes. Contra hanc trepidationem dixit Psalm: 45. Vacate & uidete, &c.
VII. Quòd Deus uelit quæri bona corporis, & in his petendis exerceri fidem.

DE PRIMO.

De præcepto. Ne sitis solliciti.

PRimus locus est reprehensio humanæ diffidentiæ, ideo inquit, Ne sitis solliciti. Cùm autem impossibile sit homines sanos, in tantis periculis publicis & priuatis sine sollicitudine essè satis apparet, hanc consolationem prorsus extra & supra humanum captum positam esse. An Daniel sedens inter leones potest

test sine metu esse? Talis est autem reipsa omnium uita,

Diligenter autem considerandum est, similes sententias dißimilima ratione dici. Epicurei etiam prohibent sollicitudinem, uetant angi animis, ut apud Horatium: Quid sit futurum cras, noli quærere. Item,

Dum loquimur, fugit inuida ætas.
Carpe diem, quàm minimum credula postero.

Sed hi, quia negant prouidentiam Dei, & fingunt omnia casu ferri, desperatione quadam iubent ex præsentibus rebus excerpere uoluptates, & de futuris non angi, ne molestias cumulent, præsertim cum nullo consilio futura regantur.

Sed Euangelium longè alia ratione idem præceptum tradit, ne sitis solliciti, scilicet hanc ipsam ob caussam quia est prouidentia Dei, fide expectate bonos exitus, hac fide uincite angores, & fortiter seruite uocationi. Nec potest Epicurea ratio mederi animis, quia eò magis quærit homo sapiens humana præsidia, si existimat non esse prouidentiam Dei, & satisfacere humana consilia, ideo se muniunt timidi amicis, opibus, factionibus, & uarijs modis, Non uult Achas esse sine præsidijs, quærit iniusta fœdera & coniunctiones regum impiorum, non uult Demades in eos casus incidere, in quos inciderat Demosthenes, ideo Regibus adulatur, & tamen à Cassandro interficitur.

Et in uniuersum in toto genere humano sunt timiditates,

miditates, trepidationes, angores & desperationes, quia natura humana nõ agnoscit prouidentiam Dei, & est sine fide. Hanc ignorantiam Dei hoc loco taxari & accusari sciamus, & corrigere incipiamus, opponamus naturali dubitationi doctrinam de prouidentia Dei, hìc traditam.

DE SECVNDO.

Diuina sustentatio naturæ et conseruatio.

Fides hæc duo complectitur, & sustentari naturam à Deo, & præcipuè Ecclesiam Deo curæ esse, nos ipsos exaudiri, ali, defendi, muniri à Deo, etiamsi multa longè aliter eueniunt, quàm nos prospicimus. Vtile est autem in conspectu habere testimonia de utraq; parte, de naturæ sustentatione, & Ecclesiæ defensione.

De utraq; re hìc dicit. Ait uolucres, &c. nonne uos meliores istis estis? Psal: 103. de naturæ sustentatione, Dante te escam colligent: & de Ecclesia Psal: 33. Non est inopia timentibus eum. & Psal: 36. In diebus famis saturabuntur. Item Psal: 90. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uijs tuis. Huc addantur & exempla, mirabiliter aluntur & defenduntur Israëlitæ in deserto. Deniq; tota Ecclesiæ defensio, semper ab initio ad finem, fuit & erit plena miraculorum, etsi interim uult Deus sanctos etiam afflictionibus exerceri, sed accedunt mirabiles liberationes.

Hanc doctrinam quia est extra rationem, pauci amplectuntur, sed maxima pars hominum ignara pro-

prouidentiæ & fidei, manet in perpetuo metu & odio Dei. Sed ubi fidei lumen in mente fulget, quòd Deus curet, exaudiat, muniat, defendat, gubernet te, id est, magnitudo animi, tranquillitas, et constantia consilij. Sicut ad Abrahã dixit Deus, Ego sum protector tuus, quæ uox ad totam Ecclesiam pertinet. Sed quia pleraq; eueniunt longè aliter, quàm nos prospicimus, ideo multi diffidunt et deficiunt. Sed Christus hìc opponit ex ipsa natura exempla, quæ ostendunt usitatè multa fieri in natura sine humano consilio. Deus dat uitam nobis sine humano consilio, potest igitur & uestitum dare, & domum. Deus creat lac in maternis uberibus infanti sine humano consilio, igitur potest & postea uictum curare. Hæc & similia multa exempla uult nos considerare, ut admoneamur de prouidentia. In Ecclesia autem infixa debet esse animis omnium hæc uox: Scitote quòd mirificat Deus sanctos suos, id est, mirabilibus modis seruat.

Exempla prouidentiæ in natura.

DE TERTIO.

Ordo sit quærendorum bonorum corporis. I.

De petitione bonorum corporalium.

PRimus gradus est Deo obtemperare, & eius doctrinam, & mandatum anteferre uitæ nostræ, & omnibus commodis corporis, sicut faciebant tres illi, qui statuam regis Babylonici nolebant adorare. Hoc ordine seruato, uult Deus postea peti & expectari bona corporis, & quidem ea promittit, sicut hìc clarè dicit, Primùm quærite regnum Dei, & cætera adijcientur uobis. Non enim uult Deus Ecclesi-

II.

am prorsus deleri in terra, ideo sicut Pauli nauiganti seruauit nauim, ita passim seruat pijs domicilia, politias, hæreditates, suppeditat uictum, defensionem, facultates, ut cõseruari studia, & propagari doctrina Euangelij possint. Hæc intelligere pios conuenit, ut in precationibus cogitẽt, quare corporis bona petenda sint, scilicet, ne intereat Ecclesia, sicut orat Psalmus, Ne tradas bestijs animas confidentium tibi. Psalm. LXXIII.

DE QVARTO.

Duplex est sollicitudo, alia diffidentiæ, alia est diligentia in facienda uocatione.

Quæ sollicitudo prohibita.

PRior illa quæ ex diffidentia oritur, est cruciatus animi dubitantis de exitu, & destituti præsidijs, & auxilijs. Sic angitur animus Saulis de belli exitu, quia non sperat auxilium à Deo, consulit Magos. Ita magna pars hominum angitur, quia nõ expectat auxilium à Deo, eamq; ob caussam quærit inconcessa præsidia, & auxilia. Hæc sollicitudo hîc prohibetur.

Alia sollicitudo est cura faciendæ uocationis, ut Iosue, etsi undiq; circundatus est hostibus, tamen retinet animi constantiam, sperat bonos exitus, quia scit se uocatum à Deo, iuuari & defendi à Deo, eoq; inuocat. Ideo Iosue 5. ostendit se quispiam ex cœlo, qui se ducem exercitus esse dicit. Interim tamen Iosue iustam diligentiam adhibet, distribuit copias, collocat in insidijs, dimicat fortiter cum hoste, sicut colono faciendum est, agri arandi & conserendi, et tamen à Deo expectan-

dus prouentus. Sit autem labor uocationis proprius, hunc requirit Deus, quia uult nos suæ uocationi parere, & hæc uirtus placet Deo, uidelicet sedulitas seu diligentia in uocatione. Habet autem utrinq; opposita uitia, ignauiam, & πολυπραγμοσύνην, quæ est multa conari, tentare extra uocationem, communire se factionibus, quærere præsidia, seu concessa, seu inconcessa. Amittit Sardanapalus regnum per ignauiam. Achas uerò infelix est propter ipsam πολυπραγμοσύνην, utrunq; enim uitium Deus detestatur. Sed regula tenenda est, Psalmo 36. Subditus esto Deo, & ora eum. *Et hîc Christus de labore concionatur, inquiens, Sufficit diei afflictio sua, quasi dicat, ne cumules tibi ipsi molestias, crucians animum diffidentia, sed contentus esto diurno labore, quem quotidiè uocatio affert, hîc, in tanta naturæ humanæ miseria, in tantis impedimentis, quæ diabolus & organa diaboli obijciunt, per sese satis habebit difficultatum et ærumnarum. Moyses diligenter regit populum, sed quantum illi quotidiè nouorum certaminum, tumultuum, seditionum excitant, nunc principes, nunc uulgus? Hæc de labore hoc loco considerentur.*

Diligentia & labor uocationis.

DE QVINTO.

Sua diei afflictio.

SVfficit diei afflictio sua, id est, labor suus. Dixi enim de labore præcipi. Sed diligenter considerandum est, humanos labores, et hoc totũ curriculum hîc uocari afflictionem. Si natura humana non esset

oppressa peccato, quid esset iucundius generatione, educatione, cultura terræ, gubernatione, & studijs doctrinæ? Nunc uerò post peccatum omnia hæc officia à Deo ordinata impediuntur, tum naturæ imbecillitate, & malicia, tum à diabolo, tum ab organis diaboli. Sæpè matres & fœtus pereunt in partu, educatio postea difficillima est. Sic gubernatio Politica et Ecclesiastica, quanta habet impedimenta? Diabolus undiq; machinatur dissipationes, et multi sunt impij homines, qui sunt ignaui in uocatione, sunt ambitiosi, liuidi, corrumpunt doctrinam, insidiantur bonis, excitant dissensiones. Ideo omnes historiæ plenæ sunt querelarum de miserijs gubernationis, & exempla quotidiana sunt in conspectu.

Miseria totius humanæ uitæ.

Propter hæc impedimenta Christus breui quidem uoce humanos labores uocauit afflictiones, sed uniuersam uitæ historiam complexus est. Simul autem admonet nos, ne ipsi quoquo modo cumulemus hæc impedimenta. sicut usitatum est inquieta ingenia subinde nouas turbas excitare, & sibi & alijs negocium facere, & simul impedire res meliores, ut Clodius Romæ gubernationem turbabat.

DE SEXTO.

Præsentia curanda.

REuocat nos Christus ad curam præsentium rerum, cùm ait. Crastina dies curabit res suas. Sic & Pindarus laudans Hieronem inter cæteras uirtutes hãc ei tribuit, sapienter curare præsentia. Ad hãc uirtutem pertinet, quod et Samuel inquit 1. Reg. 10. Fac

Fac quæcunq; inuenerit manus tua, quia Deus tecum est, id est, quæ in præsentia postulabit uocatio tua, & necessitas, Visitatum est. n. in uita, quòd propter incertas spes, aut metus, homines præsentia corrumpunt, et admiscent iniusta consilia. Sylla iubebat adolescentem Cæsarem interfici, quia olim uideretur futurus acer inimicus. Herodes iubebat pueros interfici, metuens regno. Aliquis metuens crescentem potentiam alterius, uult obijcere impedimenta, & quoquo modo eius uires carpere. Quoties amicitias ambiunt homines, etiam uitiosè, quibus illæ ipsæ amicitiæ afferunt exitium, ut Arato erat exitio amicitia Philippi Macedonis. Meminerimus ergo, in præsentia necessaria agenda esse, & ea tantùm agenda esse, quæ bona conscientia fieri possunt, cætera Deo commendanda.

DE SEPTIMO.

Caussæ cur petenda sint corporalia.

SÆpè aliàs dictum est, Deum non solùm promittere beneficia corporalia, sed etiam præcipere, ut ea petamus, sicut testatur oratio Dominica, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Sunt autem caussæ tres. Prima, ut agnoscamus dari à Deo etiam corporalia beneficia, Dante te escam colligent, etc. & corrigamus Epicureas opiniones, quæ somniant hæc bona uel casu obijci, uel ut ferunt tempestates. Secunda, ut fidem & inuocationem exerceamus in his petendis, quòd uidelicet Deo curæ sit etiam hæc uita corporalis, quòd eam custodiat, seruet, alat, quia uult in hac uita durare aliquam Ecclesiam. Tertia, ut hæc ipsa

I.

II.

III.

ipſa inuocatio, admoneat nos de promiſſione ſpirituali, quia nõ poteſt fieri inuocatio ſine agnitione miſericordiæ & mediatoris, per quem habemus acceſſum ad Deum. Ideo in oratione Dominica mox additur, & remitte nobis debita noſtra, ſicut & nos remittimus, &c.

DOMINICA XVI. *POST TRINITAT:*

EVANGELIVM, *Lucæ.VII.*

ET factum eſt deinceps, ibat in ciuitatem, quæ uocatur Naim, & ibant cum eo diſcipuli eius multi, & turba copioſa. Cum autem appropinquaret portę ciuitatis, ecce defunctus efferebatur, filius unicus matris ſuæ, & hæc uidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Et cum uidiſſet eam Dominus, miſericordia motus eſt erga eam, & dixit illi, Noli flere. Et acceſſit ac tetigit loculum. Hi autem qui portabant, ſteterunt. Et ait, Adoleſcens, tibi dico, ſurge.

ſurge. Et reſedit mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri ſuæ. Accepit autem omnes timor, & glorificabant Deum, dicentes, Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis, et quia Deus uiſitauit plebem ſuam. Et exijt hic ſermo in uniuerſam Iudęã de eo, et in omnem finitimam regionem.

HVius Euangelij locus unus eſt principalis, miraculum Chriſti, quod magna pars hominum exiſti-

Vsus mirac-ulorum.

existimat tantùm ad uiduam illam pertinere, cuius filius resuscitatus est. Sed nos statuamus etiam ad nos, & quidem singulos pertinere. Est enim testimonium, quòd Christus uelit agnosci, tanquam uiuificator, consolator, & pontifex, qui uerè & ultrò afficiatur nostris ærumnis atq; miserijs, item tanquam uictor peccati, & mortis, & totius regni diaboli,

Euangelium propositum afflictis.

Est enim hæc propria et peculiaris doctrina Euangelij, quòd Deus uerè respiciat miseros et afflictos, qui sunt oppressi ærumnis, & perterrefacti conspectu & sensu propriæ indignitatis, & uoce legis, quæ clamitat Deum irasci propter peccatum, & in talibus pœnis nihil nisi iram Dei ostendit. Nec ulla est doctrina, quæ ostendat ueram consolationem in his ærumnis, nisi sola uox Euangelij prolata per filium Dei. Hæc testatur Deum uerè respicere ærumnosos, nec propterea eos abijcere, quòd sint indigni, & meriti pœnas legis, sed uelle eis misereri confugientibus ad Filium Mediatorem, & credentibus sibi propter ipsum ignosci, iuxta promissiones, & hac fide inuocantes uelle exaudire, sicut dicitur, Beati qui lugent, quia ipsi consolationem accipient.

Et ut hoc testimonium fiat, euidentius, ideo præcipuè Ecclesiam oportet esse subiectam cruci et ærumnis omnis generis, quia uult eam & pœnitentiam in his exercere, & agnoscere ac odisse peccatum, item uult exerceri inuocationem, & crescere fidem misericordiæ & præsentiæ Dei, postremò uult eam ita similem

milem fieri imaginis filij Dei, & ipsas afflictiones esse testimonia futuræ liberationis & glorificationis in uita æterna, ut aliàs sæpè dicitur.

Huius doctrinæ insigne testimonium expressum est in hac historia, ac Euangelista utriusq; personæ, uiduæ, & Christi affectum multis circumstantijs amplificat, Quantus fuerit dolor mulierculæ, præsertim uiduæ, mortuo filio, & quidem unico, ne quidem illi, qui sunt experti, animo complecti possunt, Sed quò maior est uis doloris in uidua, eo maiore uicissim Christus dolore commotus ultrò uenit, ut opituletur ei, at ita, ut magnitudo gaudij, quod ex filio resuscitato percipit, longè superet dolorem, quem ex morte ceperat. Insignis autẽ est Emphasis in uerbo ἐσπλαγχνίσθη, quo testatur Euangelista, Christum non leui motu animi affectum fuisse, sed incredibili quodam dolore cordis motum esse, Sicut ad Lazari monumentum eum fecisse scribit Ioannes. Deinde etiam ingenti ardore animi motus resuscitat mortuum.

Christi commiseratio.

Vera misericordia in Deo.

Sed hic obijciat aliquis, Deus est ἀπαθὴς, ergo in Deo non sunt misericordia, læticia, & similes affectus. Respondeo, nego antecedens. Deus enim non est Stoicus, sed afficitur nostris malis, & summa ei uoluptas est iuuare nos, & exaudire. Et quia σοργαὶ in præstantibus naturis sunt expressissimæ, necesse est etiam in Deo σοργὰς tantò ardentiores esse, quantò est omnibus alijs naturis à se conditis præstantior. Cùm igitur Deus uehementissimè afficiatur

nostris

nostris malis, libenter ad eum confugere, eumq; inuocare debemus, iuxta illud Epistolæ ad Ebræos cap. 4. Accedamus cum fiducia ad thronum gratiæ, ut consequamur misericordiam & gratiam ad auxilium opportunum. Sed hæc facilius dici, quàm ad usum, cum opus est, transferri possunt. Id uerò est longè omnium difficilimum. Tanta est enim infirmitas humanæ naturæ etiam in pijs, ut suprà sensum suæ indignitatis sese erigere uix possit in afflictionibus, in alijs cæcitas tanta, quanta est in Epicuro, ut existiment omnia casu ferri, neq; Deum esse ullum, qui nos respiciat.

Est ne peccatum dubitare de misericordia? Est. Contra. Quicquid iubet lex, rectum est. Sed lex iubet, ut sentiamus Deum irasci peccato, non ignoscere, Ergo ita sentire rectum est. Respondeo. Concedo totum argumentum, sed ita sentire non satis est. Addendum enim est Euangelium de Christo, & quidem ita, ut sentiamus gratiam exuberare supra peccatum, ut docet Paulus Roman: 5. Quamobrem non tantùm illud sentiendum est, quòd Deus irascatur peccato, ita, ut nemo illam iram ferre, aut placare potuerit, nisi filius, sed etiam in illis ipsis terroribus animus extollendus est supra peccatum, ita, ut statuat gratiam longè maiorem esse, qua Deus remittit nobis peccata credentibus in Christum.

Gratia exuberat supra peccatum.

Alia quæstio. Licet ne lugere mortuos? Licet. Contra. Christus inquit ad uiduam, Noli flere. Ergo prohibet luctum. Respondeo ad antecedens, Christus his uerbis

Quatenus lugendi mortui.

his uerbis consolatur lugentem, quod est per se pium officium, & prohibet luctum mulieri, non quia mortuus est filius, sed quia uicturus est. Imò exemplo Christi licet nobis etiam lacrymis prosequi nostros mortuos, sicut ipse defleuit mortem Lazari, & hic unà cum uidua luget. Nam si quis non afficitur malis aliorum, maximè suorum, hic indignus est nomine hominis. Sed tamen hoc debemus à cæteris, qui lugent, differre, ut nostrum dolorem moderemur, sicut præcipit Paulus ad Thessal. Nolite lugere, sicut cæteri, qui spem non habent. Non prohibet luctum, in morte eorum qui nobis cari sunt, etsi enim speramus eis bene fore post hanc uitam, tamen illa acerbitas, quæ est in ista separatione animi à corpore, non potest nos non commouere, sed quia spem, quam dixi, habemus, ideo dolor moderatior esse in nobis, quàm in alijs debet. Atq; hæc demum est uera fortitudo, non quæ non afficiuntur homines rebus tristibus, sed qua cohibent sese, ne quid in hac corrupta natura dolore commoti turpiter faciant, sicut Virgilius de Ænea scribit: Mens immota manet, lacrymæ uoluuntur inanes. Id est, iudicium manet in proposito, ut obtemperet mandato Dei, sicut fingit Virgilius, etiamsi cum magno animi dolore auellitur.

Postremò in hoc miraculo intuenda est imago reuiuiscentis mortui, quam si uerè cerneremus, nihil esset ubiq; calamitatum, quod non hilari ac lubenti animo pateremur. Facilè enim eas obrueret magni-

tudo gaudij, quòd perciperemus ex illa glorificatione, quæ post hanc uitam futura est, cùm de facie ad faciem intuebimur imaginem Dei, ad quam conditi sumus.

Fructus agnitionis Christi.

Agnitionem Christi sequitur confessio & prædicatio, deniq; noui motus in animis hominum. Huc pertinet quod ait Euangelista, Timor cepit omnes, & glorificabant eum.

DOMINICA XVII. *POST TRINITAT.*

EVANGELIVM, Lucæ XIIII.

ET factum est cum introisset Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum Sabbato, ad manducandum panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat ante illum. Et respondens Iesus dixit ad Legisperitos & Pharisæos, dicens, Si licet Sabbato curare? At illi tacuerunt, & apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos dixit, Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet,

det, & non continuo extrahit illum die Sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi.

Dicebat autem ad inuitatos parabolam, intendens, quomodo primos accubitus eligerent, dicens ad illos. Cum inuitatus fueris ab aliquo ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne forte honoratior te sit inuitatus ab illo, & ueniens is, qui te & illum uocauit,

uit, dicat tibi, Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouissimum locum habere. Sed cum uocatus fueris, uade, recumbe in nouissimo loco, ut cum uenerit qui te inuitauit, dicat tibi, Amice, ascende superius, Tunc erit tibi gloria coram simul discumbentibus, Quia omnis qui seipsum exaltat, humiliabitur, & qui seipsum humiliat, exaltabitur.

Tres sunt præcipui loci.

I. De Sabbato, quæ sit propria & principalis sententia præcepti.
II. Quæ sint propria Sabbati opera.
III. De humilitate, de uocatione, et de ambitione.

DE PRIMO.

De Sabbato. VT primum præceptum loquitur de agnitione Dei, & motibus cordis erga Deum, Secundum de confessione oris, & prædicatione doctrinæ: Ita tertium loquitur de publicis ceremonijs diuinitus institutis, hoc est, de toto publico ministerio. Nam dies certa constituta est ad hunc finem, ut sint publici congressus, in quibus doceantur cœtus prædicatione Euangelij & ceremonijs. Vtrunq; enim intelligendum est, quia ceremoniæ sine doctrina transformantur in superstitionem.

Quare cùm nominatur Sabbatum, intelligantur omnes ceremoniæ diuinitus institutæ, Et sciamus præcipi conseruationem publici ministerij, doctrinæ & ceremoniarum, quas Deus instituit. Ad illud publicum ministerium opus est aliquo tempore certo. Est igitur Sabbati obseruatio non ocium eius diei, sed ut textus inquit, sanctificatio, id est, collatio in opera sancta, uidelicet in ministerium diuinum.

Violatio tertij præcepti. Violant igitur hoc tertium præceptum, primùm hi qui præsunt, si nõ doceant, aut negligãt doctrinam, aut non rectè doceant. Deinde qui negligunt aut deprauant ceremonias diuinitus institutas, ut qui Missas legunt ut offerãt pro alijs, aut quæstus caussa, aut qui alias superstitiones exercent, Peccat item populus, uel qui nunquam audit, uel raro audit pias conciones, aut nunquam aut raro interest publicis ceremonijs. Etsi enim in nouo Testamento, dies certa nõ est præcepta, ut in lege diuina, tamen qui ex contemtu abest, aut suo exemplo confirmat aliorũ negligentiam, is grauiter peccat. Sicut memorabile exemplum extat Iere: 17. ubi Propheta obiurgat eos, qui in Sabbato per portas conuehebant merces, id est, negociabãtur neglecto ministerio, et additur comminatio, Succendam ignem in portis, &c. Et rursus additur promissio, Si sanctificabitis Sabbatum, intrabunt per portam reges et principes, id est, habebitis regnum florens, etc. Quia Deus uult singulos adiuuare conseruationem ministerij. Peccat item populus, qui sua præsentia confirmat in

pios cultus. Peccant & illi, qui impediunt ministerium publicum, quia stipendia debita ministris aut eripiunt, aut conferre nolunt. Peccant item, qui neglecta cura meditandæ doctrinæ Euangelij conferunt Sabbata in occupationes prophanas, aut ludos, aut alia, quæ abducunt animos à pia meditatione. Iam cogitet quisq; quàm latè pateat uiolatio Sabbati, nec putemus leue peccatum esse, contemtum publici ministerij.

DE SECVNDO.

Quæ opera prohibeantur Sabbato.

Historia de curato hydropico ostendit, quid sit obseruatio Sabbati. Non enim præcipit lex simpliciter de ocio Sabbati, sed prohibet opera impedientia ministerium publicum. Cæterum præcipit sanctificationem, id est, certa opera diuinij ministerij.

Confessio & testimonia doctrinæ sunt uera opera Sabbati.

Quare hæc actio Christi, fuit uerè obseruatio Sabbati & sanctificatio. Nam Christus hîc concionatur, & addit opus, quod est testimonium doctrinæ. Hæc enim sunt propria opera conuenientia Sabbato, concio Euangelij, meditatio Euangelij, exempla pia, propriè adiuuantia ministerium. Aliàs etiam concionatur Christus de alijs operibus quibusdam, quæ conueniunt Sabbato, ut necessaria officia dilectionis. Maccabæi in Sabbato pugnabant, & quidem prælia illa dupliciter Sabbato conueniebant, & quia erant confessio doctrinæ, & conseruatio Sabbati, & legis, & erant opera necessaria dilectionis.

DE TERTIO.

Humi-

Humilitas.

Hvmilitas est timor Dei, hoc est, agnita nostra imbecillitate, uerè metuere iram Dei, ne indignos aut parum idoneos abijciat, sed tamen in uocatione Deo parere, & iudicare dona nobis dari ad communem utilitatem, nec euentus fine Deo felices esse, nec cæteros despiciendos esse, cùm possint fieri utiliora organa Dei. Ad hanc uirtutem accedere debet fides, quæ in uocatione petat, & expectet auxilium à Deo, sicut sæpè docent Prophetæ, Psal: 26. Expecta Dominum, uiriliter age, & confortetur cor tuum, & expecta Dominum. Talis erat bellator magnanimus Dauid, & tamen erat humilis, agnoscebat infirmitatem suam, nec despiciebat cæteros, ut Goliath despiciebat minores: sed Dauid uocationi parebat, & expectabat à Deo auxilium.

Superbia.

Econtra, superbia est fiducia propriæ industriæ, neglecto Deo, aut neglecta meta uocationis, ut Goliath, Sennaherib, confidunt uiribus suis contemto Deo Nabugdonosor, Alexander placent sibi, et existimant sua uirtute parta esse tanta imperia, nec agnoscunt, nec timent Deum. Ideo et in alia delicta securi ruunt, ut Alexander polluit se turpitudine. Alij appetunt superiores uocationes, Nam superbia multipliciter se declarat, ut Absolon, Cassius, Antonius. Alij peccant non agnoscentes dona superiora in alijs, ut Agamemnon qui superior est loco, non agnoscit Achillem uirtute superiorem esse.

De his omnibus traditur hîc regula, Omnis qui se

exaltat humiliabitur. Idq; ostendunt tragici casus præstantißimorum uirorum, ut Saulis, Goliath, Sennaherib, Pompeij, Agesilai, Alexandri, Antonij. Imò in Ecclesia præcipua fit humiliatio, quia iudicium à domo Dei incipit, ut ostendunt insignia exempla sanctorum, Samsonis, Dauidis, Nabugdonosoris, & aliorum qui ex alto fastigio delapsi sunt, ut agnoscerent suam infirmitatem, & conspiceretur potentia Dei, & misericordia Dei, ut in Dauide deiecto & restituto. His exemplis utrunq; discamus, uidelicet timorem Dei, agnita nostra infirmitate, & fidem in obedientia uocationis. Discamus item nos continere intra metas uocationis.

DOMINICA XVIII. *POST TRINITAT:*

EVANGELIVM, Matth: XXII.

PHarisæi autem audientes, quod silentium imposuisset Saducæis, conuenerunt in unum. Et interrogauit unus ex eis legis doctor, tentans eum, & dixit, Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait autem illi Iesus, Dili-

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Hoc est primum & magnum mandatum. Secundum autem simile huic, Diliges proximum tuum sicut teipsum. In his duobus mandatis tota Lex pendet, & Prophetæ.

Congregatis autem Pharisæis, interrogauit eos Iesus dicens, Quid uobis

uidetur de Christo? Cuius filius est? Dicunt ei, Dauid. Ait illis, Quomodo ergo Dauid in spiritu uocat eum Dominum? dicens, Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Si ergo Dauid uocat eum Dominum, quomodo filius eius est? Et nemo poterat ei respondere uerbum, neq; ausus fuit quisquam ex illa die eum amplius interrogare.

Quatuor sunt loci præcipui.

I. De doctrina legis, quæ sit lex præcipua.
II. De dignitate secundæ tabulæ.
III. Non satis est in Ecclesia proponi legem, sed oportet extare Euangelium de Christo.
IIII. De Psalmo, Dixit Dominus Domino meo.

DE PRIMO.

Præcipuum præceptum legis.

Sicut Monachi pluris fecerunt Missam, aut sua uota, quàm uniuersum decalogum, ita Pharisæi amplificabant sacrificia & traditiones. Hunc errorem reprehendit Christus cùm antefert præceptum de dilectione Dei, quod requirit interiorem & perfectam obedientiam humani cordis erga Deũ, uidelicet ueram

ueram agnitionem Dei iuxta uerbum diuinitus reuelatum, timorem, fiduciam, dilectionem. Constat autem cor humanum procul abesse ab hoc præcepto, quia plenum est caligine & dubitatione de Deo, non timet iram Dei, non confidit Deo, & constat deesse flagrantem dilectionem Dei. Reprehendit igitur Christus Pharisæos, qui legis iusticiam iactabant, cùm ne umbram quidem haberent.

Cur data sit lex.

Iam hic quæritur, Si non sit lex, quare data est? Respondeo, *Data est, ut monstret peccatum, & condemnet nos, sicut inquit Paulus, Aculeus mortis peccatum est, potentia peccati lex, Id est, propter peccatum sentimus iram Dei. Sed nulla esset obligatio, nisi lex esset. Ideo lex clamitat in conscientijs, monstrat iram Dei, & affert æternos terrores. Ac stulta imaginatio est, cogitare legem Dei esse uelut tabulam in pariete pendentem, quæ auferri & abijci possit. Imò donec manent peccatum et mors, manet lex accusans, maledicens, iram Dei ostendens, nec uincitur nisi agnitione & fiducia filij Dei. Cæterùm de incoatione legis aliàs dicitur, cum fide iustificati sumus, accedit quædam incoata obedientia, ut sæpè dictum est.*

DE SECVNDO.

Paradoxum est, quod inquit Christus secundam tabulam similem esse primæ, & haud dubiè grauiter offendit Pharisæos: ut si quis diceret Monacho, opus pij lictoris anteferendum esse ipsius uotis. Hæc igitur collatio diligenter obseruanda est. Vult enim

Christus

Dilectio proximi præferenda cultib. ceremoniarum.

Christus præcipuè eos docere, officia secundæ tabulæ esse inter præcipuos cultus, sicut dilectio Dei est præcipuus cultus, quasi dicat, officia secundæ tabulæ antecellere ceremonijs, sicut alibi inquit, Magis uolo misericordiam, quàm sacrificium. Hæc doctrina est utilis, & ornat officia ciuilis uitæ, ut sciamus ea Deo placere, & esse cultus Dei. Ideo maiore cura facienda sunt.

DE TERTIO.

Quare promissus sit Christus.

CVm de lege tam sublimia disputasset Christus, incipit coarguere impietatem Phariſæorum, interrogans de Meßia, quasi dicat, uos cœci doctores in Israël, de lege quæritis, & eam non intelligitis, quia de Meßia habetis falsas opiniones, putatis futurum esse regem, qui uobis opes et imperia mundi daturus sit. Quærit igitur de persona et officio Meßiæ, cuius Filius erit, & quid aget, cùm Dauid uocet eum Dominum. Si tantùm esset rex politicus, profectò non esset Dominus Dauidis, quia hæres nequaquam est Dominus superiorum. Item, si tantùm esset daturus imperia mundi, nihil prodesset Dauidi, ut Camillo nihil prodest Augustus. Cur igitur Dauid uocauit Messiam Dominum? Hæc fuit grauißima disputatio, & inexplicabilis Phariſeis somniantibus imperiũ mundi, & non intelligentibus prophetias de Meßia.

Sed facilis est explicatio rectè intelligentibus prophetias. Primùm constat prophetias loqui de liberatione à peccato & à morte, & de noua & æterna uita,

uita, ut in hoc Psalmo dicitur, Tu es sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedec. Vocat igitur Dominum, quia scit se accipere ab eo hæc beneficia, liberationem à peccato, & à morte, & uitam æternam. Item uocat Dominum, quia scit eum diuina potentia regnaturum esse, sicut inquit, Sede à dextris meis. Item, scit illum promissum liberatorem esse filium Dei, sicut antea inquit, Hodie genui te. Scit eum iam regnare, & belligerari cum diabolo, sicut Esaias uocat eum Emanuel, & Psal: 71. dicitur, Et adorabunt coram ipso semper, ubi totus Psalmus loquitur de uenturo Meßia, qui tamen est æternus. Erit nomen eius æternum, ante solem existit nomen eius, & benedicentur in ipso omnes gentes.

Cur Dauid Christum uocet Dominum.

DOMINICA XIX. *POST TRINITAT:*

EVANGELIVM, Matth. IX.

ET ascendens in nauiculam transfretauit, & uenit in ciuitatem suam. Et ecce, offerebant ei paralyticum iacentem in lecto, Et uidens Iesus fidem illorum, dixit paralytico, Confide fili, remit-

remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de Scribis dixerunt intra se, Hic blasphemat. Et cum uidisset Iesus cogitationes eorum, dixit, Vt quid uos cogitatis mala in cordibus uestris? Quid enim est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata, an dicere, surge & ambula? Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem dimittendi peccata in terra, tunc ait paralytico, Surge, tolle lectum tuum, & uade in domum

domum tuam. Et surrexit, & abijt in domum suam. Videntes autem turbæ admiratæ sunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

Tres sunt præcipui loci.

I. *Differentia ueteris & noui Testamenti.*
II. *De absolutione priuata.*
III. *Calamitates humanæ sunt pœnæ peccatorũ, sed fiunt iustis exercitia, & mitigantur.*

DE PRIMO.

Discrimen ministerij Mosaici & Euangelici.

LEX Moysi nec remittit peccata, nec mandat dici, remittuntur tibi peccata. Quanquam enim habebat sacrificia, quæ uocabantur placationes, tamen ceremoniæ illæ tantum merebantur talem remissionem, ne is pro quo sacrificabatur, excluderetur ex populo. Et Epistola ad Ebræos ait, Impossibile erat sanguine taurorum tolli peccata. Præterea lex etiamsi quid dicit de remissione, tamen non dat gratuitã remissionem, sed simul requirit integram obedientiam. Porrò nisi remissio sit gratuita, erit irrita, nemo enim legi satisfacit. Ideo Paulus dimicat de particula, Gratis, & hanc constituit differentiam inter Euangelium & Legem, Euangelium gratis propter filium Dei remittit peccata credentibus, & institutum est ministerium, in quo expresse annunciatur remissio, aut multis aut singulis.

Tantum Euangelio datur remissio peccatorum

Sed

Sed quærat aliquis, Quomodo igitur sancti in ueteri Testamento consequebantur remissionem? Respondeo, Præter ministeriũ legis erant reuelatæ promissiones de Christo. Has debebant sacerdotes etiam proponere populo, ut scirẽt remissionem offerri propter illam uenturam uictimam, & crederet quisq; se hac fide consequi remissionem, sicut Dauid ait, Beatus qui confidit in eo. Et Esaias, Quia ponet animam suam hostiam pro peccato, &c. Et Zachar. In sanguine Testamenti tui emittes uinctos de lacu. Sed quia hìc intellectus promissionum sæpè obliterabatur, ideo Deus per Prophetas eum subinde restituebat. Cum his dimicabant sacerdotes, qui interea suas ceremonias superstitione, & auaricia cumulabant, & contendebant eas mereri remissionem. Has opiniones sæpè reprehendunt Prophetæ, ut, Holocaustis non delectaberis. Habebant ergo Patres remissionem inuolutam in promissionibus de Christo.

Sancti in lege fide promissionum saluati.

DE SECVNDO.

Ministerium absolutionis.

IN Euangelio institutum est ministerium expressa uoce annunciandæ remissionis peccatorum omnibus credentibus in Christum. Et hæc annunciatio non solum in genere multis proponi potest, ut doctrina sed etiam applicari singulis, sicut dicit Christus, Si petet, remitte ei. Vt igitur rectè dicit minister ad singulos, ut quisq; credat in Christum, iuxta illud, Hic est Filius meus dilectus, Hunc audite. Ita rectè dicit minister cuilibet, Annuncio tibi uerè donatam esse remissionem

missionem credenti in Christum. Hæc applicatio priuata reddit promissionem illustriorem, & ostendit beneficium Euangelij ad te pertinere.

DE TERTIO.

CAlamitates sunt pars legis, id est, carcer humanæ naturæ, in quem propter peccatum inclusi sumus, sicut Psalmus inquit, Propter iniquitatem corripis filios hominum. Et Paulus, Corpus mortificatur propter peccatum, scilicet hærens in carne. Ideo Christus primùm hìc remittit peccata, postea tollit morbum, ut admoneat nos, hanc naturam obnoxiam esse morti, & calamitatibus, quia est immersa peccato, & testetur se esse liberatorem, qui uelit utrunq; tollere, causſam et effectum, peccatum et mortem, & reddere perpetuam iusticiam & uitam.

Christus liberat etiam à pœnis.

Cur ergo sancti consecuti remissionem peccatorum, tamen affliguntur? Respondeo, sicut Paulus inquit, Corpus mortificatur propter peccatum, scilicet hærens in carne. Quia enim peccatum nunc imputatione sublatum est, & re ipsa manet infirmitas carnis, uult eam Deus mortificari, ut in illis exercitijs exerceatur, & luceat fides, Item, ut Deus ostendat suam gloriam in nostra infirmitate aduersus diabolum, quem uincit per infirmos iuxta illud: Scitote, quòd mirificat Deus sanctum suum, id est, mirabiliter liberat, ostendens gloriam suam in nostra infirmitate, cùm desertos, abiectos, præter omnia humana consilia, præter omnium opinionem seruat.

Cur sancti etiam affligantur.

DOMINICA XX. *POST TRINITAT.*

EVANGELIVM, *Matth:* XXII.

ET respondens Iesus, dixit iterum in parabolis eis, dicens, Simile est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos, ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nole-

nolebant uenire, Iterum misit alios seruos, dicens, Dicite inuitatis, Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius quidem in proprium agrum, alius uerò ad negociationem suam, reliqui uerò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos, occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit.

Tunc ait seruis suis, Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, non fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, & quoscunq; inueneritis, uocate ad nuptias. Et egressi serui in uias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos, & impletæ sunt nuptiæ discumbentibus. Intrauit autem Rex, ut spectaret discumbentes, & uidit illic hominem non uestitum ueste nuptiali, Et ait illi, Amice, quomodo

huc intrasti, non habens uestem nuptialem? At ille obmutuit, Tunc dicit Rex ministris. Ligate ei pedes & manus, & mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit ploratus & stridor dentium. Multi enim sunt uocati, pauci autem electi.

Vocatio Ecclesiæ.

TOta parabola est imago Ecclesiæ omnium temporum. Et quanquam hîc præcipuè loquitur de reiectione & pœna Iudaicæ gentis, tamen ad omnium temporum similes euentus hæc concio accommodanda est. Vocauit Deus initio Ecclesiam, sed pleriq; uocationem contemserunt, multi etiam interfecerunt uocantes, ideo sunt secutæ pœnæ, ut diluuium, euersio Sodomorum, Ægypti, Cananæorum, postea regni Israël, deinde Iudæorum, postea Romanorum, & aliorum regnorum. Aliqui tamen uocati conuenerunt, & semper aliqua fuit Ecclesia. Discamus ergo hîc, quid & qualis sit Ecclesia, quæ species, quæ pœnæ hostium Ecclesiæ & malorum in Ecclesia.

DE SECVNDO.

Definitio Ecclesiæ.

QVid est Ecclesia? Est congregatio omnium qui credunt Euangelio, & sanctificantur Spiritu sancto, cui congregationi tamen multi mali admisti

misti sunt, consentientes de doctrina, & usu Sacramentorum, qui & ipsi sunt socij seu membra externæ societatis, & administrationis Ecclesiæ.

Species Ecclesiæ.

Qualis autem sit species huius cœtus, significatur hîc, cum ait, maximam partem hominum aspernari ipsam uocationem. Alij, inquit, anteferunt suos agros, alij sua negocia, alij occidunt uocantes, id est, extra Ecclesiam sunt, omnes qui non amplectuntur doctrinam ueram, ut Ethnici, Iudæi, Mahometistæ, Epicurei, & qui nunc sunt hostes ueræ doctrinæ, etiamsi uocantur Christiani. Nec locus aut titulus, sed doctrinæ ueræ professio discernit Ecclesiam ab ijs, qui sunt extra Ecclesiam. Nunc quoq; multi qui uocantur Christiani, tamen propter agros suos fugiunt doctrinæ professionem, & fiunt aut palàm Epicurei, aut defendunt usitatos errores propter uentrem, ut multi Episcopi, Canonici, & alij.

I. Caussa neglectionis Euangelij. Cura uictus.

Alij propter sua negocia fugiunt doctrinæ professionem. Hic præcipuè taxantur principes & aulici, qui etiamsi non exercent sæuitiam, tamen negligunt Euangelium & Ecclesias, & putant harum rerum curam se indignam esse, habere se occupationes magnas, necessarias hominum uitæ, uidelicet constitutionem & defensionem imperiorum. Hanc opinionem ducunt esse gloriosam: Ecclesias nihil curant. Sic in alia parabola dicitur, semen inter spinas cadere, ubi

II. Negocia gubernationis.

III. Tyrannis.

præcipuè spinæ aulicæ intelligantur. Tertium genus est tyrannorum, qui delere Euangelium conantur.

Descriptio Ecclesiæ in Sophonia.

Erit igitur exiguus cœtus Ecclesia, quia superiora tria genera sunt extra Ecclesiam. Ideo dicitur Sophon: 3. Et reliquum faciam in medio tui populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini. Hæc considerandæ sunt, ne cogitemus populum Dei esse maiorem multitudinem, et imperia, quæ magis florent gloria & potentia, & ne abiecto uerbo Dei, ad illam multitudinem deficiamus, sicut humana ratio mouetur multitudine, & fortuna, cogitat tam multos, tam florentes, non negligi à Deo. Aduersus hæc scandala confirmemus nos descriptionibus Ecclesiæ, traditis à Christo & Prophetis, ut in parabola de semine, & Paulus inquit 1. Corinth: 1. Non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, &c.

Discrimen Ecclesiæ & aliarum religionum.

Diligenter autem obserua in descriptione apud Sophoniam, quòd addit, & sperabunt in nomine Domini. Ecclesia alligata est ad doctrinam ueram, non ad certa imperia Regum & Pontificum, & inuocatio discrimen facit. Etsi Iudæi & Turci dicunt se inuocare unum Deum, conditorem rerum, tamen negant Deum conditorem rerum esse Patrem Iesu Christi, negant opus esse mediatore, cùm tamen Deus reuelauerit se per Filium, & non uelit inuocari, nisi fiducia Filij, sicut sæpè dicitur: Per hunc habemus accessum

accessum ad Patrem. Item, Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui Filius reuelauerit. Non igitur inuocant Deum Turci. Item fatentur se inuocare sine uerbo, sine promissionibus, sine mediatore, cum perpetua dubitatione. Sed uera membra Ecclesiæ inuocant Patrem Domini nostri Iesu Christi mediatoris, conditorem omnium rerum, & quidem fiducia huius Propiciatoris reuelati in Euangelio, & exhibiti, petunt & expectant salutem. Hæc inuocatio discernit Ecclesiam à cæteris gentibus. Ideo diligenter obseruetur dictum, Et sperabunt in nomine Domini.

Postremò hìc cogitemus etiam hunc cultum, scilicet inuocationem, præcipuè præstandum esse. Ideo enim & flagitat, & addit promissiones, quia uult exaudire, &c. Sic cogitamus nos esse membra Ecclesiæ, simus ex cœtu inuocantium.

DE TERTIO.

Pœnæ contemti Euangelij.

TEstatur hìc Christus pœnas impendere omnibus gentibus atq; hominibus qui sunt extra Ecclesiam Dei, sicut ostendunt exempla ab initio mundi, quæ proposuit Deus, ut nos de ultimo iudicio, & de æternis pœnis admoneat, de quibus concionatur Christus, cùm inquit, Ite maledicti in ignem æternum, &c.

DE QVARTO.

De ueste nuptiali.

Pœnæ hypocritarum

SVprà dictum est de pœnis omnium, qui sunt extra Ecclesiam, Nunc sequitur tristis concio, etiam in Ecclesia Dei sunt hypocritæ, qui damnati abijcientur in pœnas æternas, sicut hostes Euangelij, ut Saul perinde damnatus est, ut Goliath.

Vestis nuptialis.

Quæ est igitur uestis nuptialis? Alius aliud nominat: sed necesse est id esse, de quo Paulus inquit, Cupientes superindui, si tamen uestiti, et non nudi reperiemur. Et confessione omnium hæc uestis est lux spiritualis, qua renascimur, de qua dicit. 2. Corint: 3. Nos transformamur omnes retecta facie gloriam DEI speculantes, à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu. Quid est autem illa lux spiritualis, quæ discrimen facit inter hypocritas & renatos? Est haud dubiè agnitione iræ Dei aduersus peccata expauescere, & rursus fide erigi, & confidere quòd Deus recipiat nos, & hac fiducia eum inuocare, ei subijci, petere & expectare ab eo gubernationem & defensionem, non diffidentem Deo quærere humana præsidia, non neglecto Deo, indulgere proprijs cupiditatibus. Hæc omnia complectimur, cùm nominamus pœnitentiam & fidem, seu regenerationem.

Est igitur uestis nuptialis illa ipsa regeneratio, quæ complectitur motus pœnitentiæ, & fidei, quæ accipit remissionem peccatorum, & in omni uita petit & expe-

ctat à Deo auxilium, & incoat nouam obedientiam.

Sine uestе nuptiali esse.

Sunt autem in externa societate Ecclesiæ multi sine hac uestе nuptiali, primùm qui perseuerant in peccatis contra conscientiam, deinde & hypocritæ, ut Achas, qui etsi uidetur uir honestus & rectæ professionis, tamen est sine illa luce, id est, sine pœnitentia, & sine fide, cumulat cultus, putat se iustum esse, gerit res multas, sed fiducia suæ sapientiæ, ac diffidens Deo, nec petit, nec expectat ab eo auxilium, undecunq; quærit præsidia humana, dehortantibus etiam Prophetis. Econtra in Dauide, Ezechia sunt pauores & consolationes. Hi expauescunt agnitione suæ infirmitatis, & rursus fide statuunt se à Deo receptos esse, & hac fiducia inuocant, obediunt, petunt à Deo, & expectant auxilium, Hæc exempla in historijs Propheticis ideo descripta sunt, ut discamus hypocrisin à uestе nuptiali, id est, à regeneratione, seu pœnitentia & fide discerni.

Augustini uestis nuptialis.

Hac uestе ornatus est Augustinus, cùm paulò ante mortem de pœnitentia & fide concionaretur, ac deploraret uitæ actæ securitatem, & rursus seipsum erigeret inuocatione & fide filij Dei, econtra Achas erat sine uero timore, et sine uera fide, non agnoscebat se peccare, cum cultus fingeret suo arbitrio, cum indulgeret suo odio aduersus Prophetas, non crederet se recipi, exaudiri propter promissionem diuinam,

imò dubitabat an exaudiretur, ideoq; diffidens quærebat alia præsidia.

Sic sunt sine ueste nuptiali etiam adiuncti ueræ professioni, & sine publica turpitudine uiuentes, si tamen sunt securi, sine pœnitentia, & quadam negligentia ac dubitatione, non petunt, nec expectant à Deo quicquam, sed confidunt suis consilijs & humanis præsidijs. Item, in aduersis non agnoscunt se iustè puniri, existimant pœnas uel casu accidere, uel iniusto iudicio Dei, sicut Saul fremit aduersus Deum in calamitate. Multò magis carent ueste nuptiali, qui palàm defendunt errores & uitiosos cultus, sed de hoc cœtu prius dictum est, qui cùm sit extra Ecclesiam, sine ulla dubitatione damnatus est.

Imbecillitas & errata in sanctis manent.

Cæterùm etiam in sanctis manet imbecillitas, habet alius alio uestem nitidiorem, ut multa sunt etiam sanctorum errata, & peccata ignorantiæ, quæ tamen condonantur tenentibus fundamentum, id est, ueram inuocationem & fiduciam donatæ misericordiæ propter filium Dei, sicut Paulus inquit, Nulla nunc condemnatio his qui in Christo Iesu ambulant.

DOMINICA XXI. *POST TRINITAT:*

EVANGELIVM, Ioan: IIII.

ET

ET erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capernaum. Hic cum audisset, quod Iesus aduenìret à Iudæa in Galilæam, abijt ad eum, & rogabat eum, ut descenderet & sanaret filium eius, incipiebat enim mori. Dixit ergo Iesus ad eum, Nisi signa & prodigia uideritis, non creditis. Dixit ad eum regulus, Domine, descende priusquam moriatur filius meus. Dixit ei Iesus, Vade, filius tuus uiuit. Credidit homo sermoni,

sermoni,quem dixit ei Iesus, & ibat, Iam autem eo descendente, serui occurrerunt ei & nunciauerunt dicentes, quod filius eius uiueret. Interrogabat ergo horam ab eis,in qua melius habuerat. Et dixerunt ei, Heri hora septima reliquit eum febris. Cognouit ergo pater, quod illa hora erat,in qua dixit ei Iesus,Filius tuus uiuit. Et credidit ipse,& domus eius tota. Hoc iterum secundum signum fecit Iesus, cum uenisset è Iudæa in Galilæam.

Tres sunt præcipui loci.

I. Reprehensio humanæ infirmitatis, quæ pluris facit signa,quàm uerbum Dei,circumspectat, quærit miracula, omisso uerbo Dei.

II. Exemplum fidei,quod pingit et ostendit naturam fidei.

III. Fructus fidei,confessio & prædicatio.

DE PRIMO.

QVando primum editur uerbum Dei, adduntur certa testimonia, ut cùm daretur Lex, sunt addita ingentia signa, ut certò constet, doctrinam

nam esse diuinam,sicut & Patres & Prophetæ testimonia habebant de promissionibus.

Verbum certo traditum præferendum miraculis.

Postea cùm constat uerbum à Deo traditum esse, debemus ipsum uerbum anteferre miraculis, adeo ut nec miraculis contra certum uerbum credendum sit. Ita in Israël norant promissiones de Messia, & his debebant credere, plus quàm miraculis. Sed humana mens negligenter attendit uerbum Dei,& magis mouetur signis.

Humana infirmitas quærens noua miracula neglectis quotidianis.

Has tenebras reprehendit Christus, quæ tantæ sunt, ut cùm omnia plena sint miraculis,tamen præter hæc flagitemus alia inusitata.Hic ordo rerũ,quòd Deus quotannis fœcundat agros, & pascit nos,quòd dedit Filium suum pro nobis, qui reuixit ex morte, & regnat,ut nos defendat in continuis periculis aduersus diabolum,an non hæc sunt ingentia miracula? Quantò autem plus mouentur animi nouo aliquo exemplo, ut curatione morbi alicuius, quàm cæteris multò maioribus & æternis beneficijs. Verùm singuli cogitamus, Si Deus mihi adeo familiaris esset,ut fuit Abrahæ, aut Moysi, si similibus testimonijs me quoq; confirmaret,tunc uerè credere ei auderem.

Hunc ipsum errorem propriè hìc reprehendit Christus,& alibi,cùm inquit,Generatio adultera signum quærit,Habemus enim certum uerbum Dei, in hoc uult nos intueri, iuxta illud: Lucerna pedibus meis uerbum tuum: Rom: 15. Vt per consolationem scripturarum spem habeamus. Hæc doctrina admodum

dum utilis est, ut discamus uera exercitia fidei, nec quæramus de uoluntate Dei extra uerbum. Item, uerè sciamus Deum uelle nobis hæc præstare, quæ in uerbo promittit, perinde, ut præstitit Abrahæ, Moysi, & alijs. Quid circumspectas prodigia? quæris inusitata exempla?

Quanquam hæc quoq; occurrunt multa ferè singulis, tamen defigito oculos in uerbum, & expectes ea quæ in uerbo promissa sunt. In his exercitijs discitur, quid sit fides. Et quidem hæc fides impetrat miracula, sicut hìc, etsi reprehenditur humana infirmitas, tamen Christus postea addit miraculum, ut ostendat se mederi nostræ infirmitati.

DE SECVNDO.

Fides nititur gratuita misericordia.

HIC discamus fidem debere niti uerbo Dei, nec abijciendam esse propter nostram indignitatem, sicut & exemplum Syrophœnissæ ostendit. De hac re & nunc controuersia est cum Monachis, & semper Pharisaicæ imaginationes in hoc articulo aberrant à Deo. Nam Monachi & omnes fascinati Legis opinionibus sic cogitant: Deus est uerax & seruans promißionum, sed tribuit eas dignis. Crederem me respici, & exaudiri, si dignus essem.

Hunc errorem taxat Euangelium, ac iubet omnes agentes pœnitentiam credere uoci Dei, etiamsi agnoscunt se indignos & immundos esse. Hæc fides in quotidiana inuocatione exercenda & discenda est.

Et diligenter obseruandum est discrimen inter ueram

ueram fidem, nitentem gratuita misericordia, & inter imaginationes Pharisaicas, quibus fingunt homines se credituros esse, & inuocaturos, si essent digni, & hoc errore omittunt ueros cultus & opera primi præcepti, non credunt, non inuocant Deum, non expectant bona à Deo. Sed ut præstemus opera primi præcepti, tenenda est doctrina de hac fide, petente, et expectante bona à Deo, ac nitente promissa misericordia propter mediatorem Christum, etiamsi nos non sumus digni. Fides nititur gratuita misericordia.

Huc pertinent innumerabiles sententiæ, Petite, & accipietis. Inuoca me in die tribulationis, Prope est Dominus omnibus, inuocantibus eum. Et Psalm: 36. Subditus esto Deo, & ora eum. Ergo sicut discedit Regulus, expectans beneficium promissum, nec deterretur sua indignitate, ita nos credamus uoci Dei, & hac fide petamus & expectemus beneficia.

DE TERTIO.

Fructus fidei.

POstquam agnouimus Deum, sequi debet noua obedientia, & præcipuè præstandus est hic cultus, ut alios nostro testimonio inuitemus ad agnitionem Dei. Sicut hic regius suam familiam inuitat ad fidem. Hic cultus præcipuus est, iuxta illud: Quid retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? Tibi sacrificabo hostiam laudis: Item Petrus: Estis uocati ad hanc lucem, ut enarretis gloriam Dei. Ergo qui agnouerunt ueram doctrinam, meminerint se debere eam confiteri, & alijs impertire.

DOMI-

DOMINICA XXII. *POST TRINITAT:*

EVANGELIVM, *Matth.* XVIII.

IDeo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui uoluit rationem ponere cum seruis suis. Et cum cœpisset rationẽ ponere, oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talentorum.

rum. Cum autem non haberet unde redderet, iussit eum dominus eius uenundari, & uxorem eius, & filios, & omnia quæ habebat, & reddi. Procidens autem seruus ille, rogabat eum, dicens, Patientiã habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem dominus serui illius, dimisit eum, & debitum remisit ei.

Egressus autem seruus ille, inuenit unum de conseruis suis, qui debebat ei centum denarios. Et tenens suffocabat eum, dicens, Redde quod debes. Et procidens conseruus eius, rogabat eum dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit, sed abijt, & misit eum in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conserui eius, quæ fiebant, contristati sunt ualdẽ, & uenerunt & narrauerunt domino suo omnia quæ facta fuerant.

Tunc uocauit illum dominus suus, & ait illi, Serue nequam, omne debitum remisi tibi, quoniam rogasti me,

nonne ergo oportuit et te misereri conserui tui, sicut & ego misertus sum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusq; redderet uniuersum debitum. Sic & Pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis unusquisque fratri suo de cordibus uestris.

Quatuor sunt præcipui loci.

I. Differunt hæc duo, ministerium publicum remittendi peccata, & priuata condonatio offensionum.

II. Ministerium est duplex, Annunciatio Euangelij de remissione manifestorum & ignotorum delictorum. Et iurisdictio Ecclesiastica instituta de manifestis delictis, ut sit in Ecclesia correctio aliqua peccantium.

III. Discrimen Ecclesiasticæ gubernationis & politicæ.

IIII. Quomodo cum condonatione priuata coniuncta esse posit defensio, et quando defensione utendum sit.

DE PRIMO.

De ministerio remittendi peccata.

Ministerium publicum remittendi peccata, est ipsum mandatum Christi traditum per Euangelium, ut in Ecclesia expresè annuncietur remissio pecca-

peccatorum, singulis aut multis credentibus, iuxta illud, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis. Hanc uocem non prædicabant Leuitici sacerdotes, sed in genere concionari debebant, propter uenturum Messiam credendum esse remissionem peccatorum, ut Petrus inquit in Act: cap. 2. Baptizetur unusquisq; in nomine Iesu Christi ad remissionem peccatorum. Et 2. Corinth: 5. Posuit in uobis sermonem reconciliationis. Et hic Matth: 18. Quoties remittam? Septuagies septies: Nam prior illa pars textus, non de priuata condonatione tantùm, sed de ministerio loquitur, cùm clarè prius dicat, Quicquid ligabitis supra terram, erit ligatum in cœlo, & quicquid solueritis super terram, erit solutum in cœlo. Estq; hæc sententia fideliter retinenda, quòd illa pars de ministerio loquatur, per quod Deus remittit peccata. Nec tantùm putemus esse ciuile præceptum de priuata condonatione, nihil pertinens ad remissionem diuinam, ut multi hunc textum deprauant.

Priuata condonatio

Sed priuata condonatio est, non odisse eum, qui te offendit, nec uindictam expetere. Sicut Iacob fratrem Esau diligebat, quanquam magnis iniurijs affectus erat. Huius uirtutis simulacrũ aliquod etiam Ethnici norũt, quia necessaria est in uita hæc mansuetudo, nõ omnes iniurias persequi, sed multas publicæ trãquillitati condonare. Sicut Romæ publicè cogebantur redire in gratiam inimici, qui eosdem magistratus eodem tẽpore gesturi erant. Et Attica ciuitas humanissimum

Causſæ condonandæ offenſionis.

decretum fecit de ἀμνησίᾳ, id eſt, obliuione iniuriarum. Et Scipio diſſimulabat iniurias Tribunorum.

Sed Eccleſia multò plures cauſſas habet parcẽdi.

I. PRIMA eſt, quia ſcit Deum præcipere de hac condonatione, & quidem adeo ſeuerè, ut dictum ſit, Si non remiſeritis, non remittet uobis pater cœleſtis.

II. SECVNDA, quia uindicta eſt honos Deo competens, iuxta illud: Mihi uindictã, et ego retribuam. Vult igitur Deus nos omittere priuatam uindictam.

III. TERTIA, quia nos agnoſcere debemus, nos quoq; habere peccata digna pœnis, et cùm nobis parci uelimus, ſic ſimus affecti erga alios, iuxta illud, Quod tibi uis fieri, alteri feceris. Sic Dauid pepercit maledico Semei, addens ualdè memorabile dictum, Reddet mihi Dominus bonum pro his maledictis. Significat enim hanc patientiam Deo gratam eſſe, & Deo curæ eſſe, ut rurſus ornemur, etiam cùm iniuſtè deformati ſumus.

IIII. QVARTA cauſſa eſt, quia uult nos Deus parcere communi tranquillitati Eccleſiæ, quæ turbatur cùm aluntur certamina.

V. QVINTA, interturbatur precatio creſcentibus odijs in uindicta.

VI. SEXTA, impediuntur alia negocia magis neceſſaria. Has cauſſas diligenter conſideremus, & nos ad hanc uirtutem, uidelicet ad manſuetudinem aſſuefaciamus, nec indulgeamus odijs, et cupiditatibus uindictæ.

DE

DE SECVNDO.

Partes mĩniſterij ſeu poteſtatis Eccleſiaſticæ.

DVplex eſt miniſterium. Quoddam eſt annunciatio Euangelij, qua nota & ignota peccata remittuntur. De hoc miniſterio propriè dictum eſt: Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis. Item, Ite, prædicate pœnitentiam & remiſſionem peccatorum in nomine meo. Deniq; hæc eſt propria uox Euangelij, per quam Deus credentibus ignoſcit, adminiſtrata ſeu multis, ſeu ſingulis, ut in priuata abſolutione. Alia res eſt iuriſdictio, quæ pronunciat de manifeſtis delictis. Voluit enim Chriſtus in Eccleſia ſua correctionem eſſe publicam peccantium. Quia uerò Eccleſia non eſt politia ſimilis mundanis, hoc eſt, miniſtri Euangelij non gerunt gladium: Chriſtus inſtituit talem correctionem, quæ nõ tam quærit pœnam, quàm ſanare ſtudet. Iubet primum admoneri lapſum, ut ultrò redeat in uiam. Si redit, iubet eum recipi, ſicut dictum eſt, Septuagies ſepties, quia Chriſtus ſcit multò plures lapſus, quàm nos exiſtimamus. Sin autem non redit, iubet eum eijci ex Eccleſia, id eſt, feriri comminatione diuinæ iræ.

Correctio publice peccantium.

Excommunicatio Eccleſiæ.

Hic eſt neruus diſciplinæ, quem Chriſtus in Eccleſia conſtituit, & uult ſeruari ſicut & Apoſtoli, et deinde pij Epiſcopi excommunicatione hoc modo executi ſunt. Corinthij excommunicant inceſtum, & Paulus inquit, traditum eſſe Satanæ, ut corpus eius excruciet. Aliqua enim corporis uexatio inceſtum illum inuaſit, ut Stiliconis ſcriba, quem excommuni-

cauit Ambrosius, furore correptus est, quia uera excommunicatio non est inane fulmen, sed iudicio Dei sequuntur corporales pœnæ et calamitates, ut in Genesi scriptum est, Maledicam maledicentibus tibi.

DE TERTIO.

Discrimen gubernationis ciuilis & Ecclesiasticæ.

INgens discrimen est inter gubernationem Ecclesiasticam & politicam, quòd semper in conspectu nobis esse debet, nam confusio magnas tenebras affert. Quid sit gubernatio politica, facilè intelligit ac iudicat humana ratio, quia Deus indidit humanæ menti leges, iuxta quas constituendæ sunt politiæ. Est igitur politica gubernatio mandatum diuinum per certos magistratus custodiendæ externæ disciplinæ, & retinendæ pacis, & puniendi contumaces pœnis corporalibus, seu gladio.

Imperia constituuntur & transferuntur diuinitus.

Magnum & mirandum Dei opus est, quòd non solum nostris mentibus indidit leges, quibus regenda sunt imperia, sed quòd etiam & ipse singulari modo constituit & transfert, sicut in Daniele dicitur, & præcipuè eam partem curant, quæ præbet hospitium Ecclesijs, nam ad hunc finem constituit principaliter imperia, ut sint hospitia Ecclesiæ. Sicut autem coniugio multi abutuntur, sic multi reges & principes abutuntur imperijs, faciunt iniustas cædes, rapiunt facultates subditorum, sine modo indulgent libidinibus.

Cùm ita grassantur in imperijs gubernatores, Deus eos excutit & regna transfert. Nam hæ semper fuerunt

fuerunt causse mutationum. Cyrus puniuit Astyagen, qui filium uescendum Harpago præbuerat. Persarum sæuitiam puniuit Alexander, deinde petulantiam Græcorum Romani punierunt. Romanæ nobilitatis tyrannides Iulius puniuit. Postea crebræ mutationes factæ sunt. Et imperia ad extremum plus confusionis habitura sunt.

Ac iusta imperia, sunt beneficia Dei. Tyrannides uerò admistæ permittuntur ad tempus, ut sint pœnæ scelerum mundi, sicut pestilentiæ, aut incendia fortuita. Ideo dicit Salomon, Propter peccata populi, multi sunt principes, id est, crebræ mutationes imperiorum fiunt, nec fiunt mutationes sine magnis cladibus, ut ostendũt quotidiana exẽpla. Et Eccles. 10. dicitur: Regnum à gente in gentem transfertur, propter iniurias. Cõtra Salomon dicit: Iusticia stabilitur thronus.

Hæc cogitanda sunt de imperijs, ut sciamus homines non casu consociatos esse, sed hunc politicum ordinem esse Dei opus, & discernendam esse rem à personis, lacerari ordinem furoribus hominum, & à Deo puniri dilacerationes, & aliqua hospitia Ecclesijs seruari, aliàs magis, aliàs minus tranquilla. Illa igitur imperia, quæ sunt hospitia Ecclesiæ, fideliter Deo commendemus, nam in his quoq; oriuntur multæ sæuæ tempestates. Ideo Paulus pro his precari iubet 1. Tim: 2. Et finem ostendit, ut habeatis tranquillitatem cũ pietate. Iubet expeti pacem, non ut pace ad luxum abutamur, sed ut seruiat educationi, tuendæ

Orandum pro imperijs.

disciplinæ, pijs studijs. Sic Psalmus docet orare, Fiat pax in uirtute tua, et ponitur inter præmia pietatis florens Respub. ut in Psalmo dicitur, Vt uideas bona Hierusalem omnibus diebus uitæ tuæ. Et Esaiæ 33. Videbunt regem in decore suo, id est, pij uidebunt florentem statum Reipub.

De gubernatione Ecclesiæ.

Quid est autem Ecclesiastica gubernatio? Est mandatum Dei, quod præcipit docere Euangelium, uocare ministros Euangelij, administrare sacramenta, punire contumaces excommunicatione, sine ui corporali. Hæc gubernatio prudenter discernenda est à politica, & fines considerandi sunt. Hæc regit non tantum externos mores, sed docet corde inuocare Deum, & æterna bona impertit pijs, etiam cùm uitam & imperia amittunt, Sicut Dauid, quanquam excussus erat regno, tamen sciebat se à Deo petere debere remissionem peccatorum, & expectare auxilium in præsentibus ærumnis.

Ita nunc sentiamus, cùm opprimuntur pij à Turcis, non propterea deficiant à Deo, quòd politias amiserunt. Sciamus aliud esse regnum cœleste, ministerium uerbi, puniri nos agnoscamus, ereptis commodis corporum, & nos uerbo Dei in his ærumnis sustentemus. Hic discamus Euangelium esse ministerium spiritus, id est, non externam politiam, sed consolationem mentis, quæ æterna bona impertit, ut Daniel, Manasses, non amiserunt ministerium spiritus, etiam cùm regno expulsi erant. Hæc admonitio necessaria est propter

propter eos, qui tantùm florentes politias imaginantur populum Dei esse, sicut Turci, & de doctrina iudicant ex fortuna Politiarũ, quod non est faciendum.

DE QVARTO.

Dixi aliud esse ministerium remissionis peccatorum, aliud priuatam condonationem: ministerium concionatur de diuina uoluntate, priuata condonatio de tua uoluntate erga alterum testificatur, uidelicet te remittere alteri, & non expetere uindictam, ac rursus te uera beneuolentia complecti eum, propter Deum, ut Dauid condonabat Sauli, Iacob fratri Esau. Hoc officiũ Deus requirit in Ecclesia, propter causas, quas suprà recensui & habet præmia, sicut alia bona opera, iuxta illud: Remittite, & remittetur uobis, scilicet mitigatione pœnarum.

De uindicta magistratuum.

Sed hic quæritur de Magistratu, & de priuata defensione. Magistratus mandato diuino cogitur punire scelera. Primùm propter iusticiam, quia iusticia Dei uult tolli sceleratos. I.
Secundò, ad tuendos innocentes. II.
Tertiò, exempli caussa. Et uult Deus magistratum in hoc suo munere non esse ignauum, & negligentem, uult disciplinam & pacem seuerè defendi, ut Lex inquit, non parces ei, sed tolles malum de terra. III.
Ideoq; cùm magistratus polluit se societate scelerum, hoc est, cùm est negligens in puniendo, totæ gentes delentur.

Non igitur misceantur sententiæ de remissione priuata, muneri magistratus, sicut miscuit Iulianus,

& derisit Euangelium, quasi hæc dicta de remissione tollant defensionem pacis, et neruos ciuilis societatis. Et Anabaptistæ diu talia deliria sparserunt. Sed tenenda est regula, In Euangelio uerè comprobari magistratum, & leges politicas cum ratione congruentes, ut constat ex 13. capite ad Romanos.

De legitima defensione.

Quòd autem quæritur de defensione, pij diligenter monendi sunt, magnum discrimen esse defensionis & priuatæ uindictæ. Vt si quis iniustam litem tibi moueat de agro, iustum est uti legitima defensione, hoc est, auxilio magistratus, quo res tuas retineas, sed non accedat odium, & cupiditas nocendi aduersario. Sic de conuicijs, iustum est respondere defensionis caussa, ut Christus respondet: Non habeo dæmonium. Sed non accedat odium, & rabies atrociora faciendi contra aduersarium. Hoc discrimen defensionis, & uindictæ priuatæ prudenter considerandum est. Nam mundus flagitiosè commiscet. Postquam lis mota est, non sumus contenti legitima defensione, sed accendimur odijs, & cupiditate nocendi, & tentamus atrocia, non ut nos tueamur, sed ut noceamus aduersario, imò ut eum deleamus. Et ex paucorum certamine interdum, magni motus, magnæ dissipationes, & bella ciuilia oriuntur. Vt ex Pompeij & Cæsaris æmulatione exarsit bellum ciuile.

Sed pij discernant hæc duo, defensionem, et uindictam priuatam, et intra metas in Euangelio propositas se contineant. Defendere, est famam, uitam, res retinere certo ordine, sine cupiditate nocendi alteri. Vindicta, est cupiditas nocendi in animo irritato. Si quis tibi uitam aut res iniustè eripere conatur, implorare auxilium Magistratus iustum est, sicut Paulus prouocat ad Cæsarem: sed non addas cupiditatem nocendi. Si conuicia dicuntur, considera quando necessaria sit refutatio, quando non sit necessaria. Tunc est necessaria refutatio, cùm Euangelium contumelia afficitur, aut cùm inurunt notas scandali, quæ deformant Ecclesiam, aut cùm nocent paci, uel amicorum concordiæ. Sicut Athanasius refutauit obiecta crimina magiæ, & machinationem contra Imperatorem. In talibus defensio necessaria est, iuxta illud: Bona conscientia nobis opus est nostra caussa, bona fama propter proximum. Et talis defensio congruit cum hoc dicto, Benedicite maledicentibus. Nam refutans est sine cupiditate nocendi, et benedicit, id est, uel docet aduersarios, uel etiam pro aliquibus orat, & tamen interim cogitur conuicium aliorum caussa, tanquam excitatum incendium restinguere.

Quando sint refutanda conuicia & contumeliæ.

Sed alia multa sunt conuicia, ut inscitiæ, ignobilitatis, stoliditatis, & similia, quæ nec lædunt Euangelium, nec scandali notas inurunt, nec nocent paci. Hæc non necesse est refutari. Sed plerunq; ex arrogantia aut superbia oritur refutatio. Iuxta illud: Qui uelit ingenio cedere nullus erit. Et contentio paulatim crescens, auget dissidia, quæ cum latius uagantur, sæpè totas Respublicas euertunt.

Hoc

Moderatio in defensione.

Hoc periculum pij intelligant, & reprimant iracundiam, & aliquas iniurias prorsus dißimulent, ac condonent publicæ tranquillitati, neque de omnibus paruis & magnis rebus pugnandum esse existiment. Nam in paruis defensione nihil opus est. Sed sciant hanc moderationem Deo placere, & necessariam esse communi tranquillitati, imò necessariam in precationibus, uidelicet, frenare cupiditatem uindictæ, & quasdam iniurias prorsus dißimulare. Sicut Eccles: 28. multæ sententiæ docent. Abstinens à lite peccata minuet. Ideo autem toties in ueteri & nouo Testamento hæc præcepta repetita sunt, quia in omni gubernatione maximos motus excitat cupiditas uindictæ, Vt in uersu etiam dictum est:

Nam cætera regna
Luxuries uitijs, odijsq; superbia uertit.

DOMINICA XXIII. *POST TRINITAT:*

EVANGELIVM, Matth. XXII.

TVnc abeuntes Pharisæi, consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Et mittunt ei discipulos suos cum

cum Herodianis, dicentes, Magister, scimus quia uerax es, & uiam Dei in ueritate doces, & non est tibi cura de aliquo, non enim respicis personam hominum, Dic ergo nobis, quid tibi uidetur, Licet censum dare Cæsari, an non? Cognita autem Iesus nequitia eorum, ait, Quid me tentatis Hypocritæ? Ostendite mihi numisma census. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illit Iesus, Cuius est imago hæc & superscriptio?

ptio? Dicunt ei Cæsaris. Tunc, ait illis, Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt Dei, Deo. Et audientes mirati sunt, & relicto eo, abierunt.

Quatuor sunt loci præcipui.

I. De discrimine promissionum corporalium, & æternarum.

II. De tempore aduentus Christi.

III. De uero cultu Dei, & de regula, quòd oporteat Deo magis obedire, quàm homimb.

IIII. De officijs corporalibus, quæ uel iure petit potestas, uel ui extorquet.

DE PRIMO.

PRodest sæpè commonefieri homines de discrimine promissionum, quia omnibus temporibus etiam magni homines lapsi sunt mala interpretatione promissionum corporalium. Cùm Ieremias prædiceret templi & urbis excidium, arguebant eum sacerdotes manifesti erroris, quia scriptum est, Non auferetur sceptrum de Iuda. Cùm huic populo regnum, & huius cultus conseruationem Deus promisisset, disputabant prædicationem Ieremiæ manifestè pugnare cum promissionibus clarissimis, nec paucos mouebant hi clamores. Dicitur & de filijs Ephraim, I. Paralip. 7. longè ante Moysen inuasisse eos in terram promissam, & interfectos esse, ij haud dubiè moti sunt

Falsa interpretatio promissionum.

ti sunt promissione, & disputauerunt se debere fretos uoce diuina arma capere, & sua occupare, Deum non uelle ut ocioſi negligerent promissa. Quem non moueret tam speciosa ratio? Sic nos disputamus: Nunquam delebitur Ecclesia, ergo necesse est uinci Turcas, necesse est in his locis manere statum Ecclesiæ. Ita & in hoc casu Iudæi argumentabantur: Semini Abrahæ est promissa libertas, ergo eam tueri debemus, & excutere Romanos.

Ad hoc argumentum explicandum, tenendum est discrimen mandatorum, & promissionum. Item promissionum corporalium, & æternarum. De mandatis nihil dubium est, facienda esse quæ Deus præcepit. De promissionibus etiam uniuersaliter sciendum est, credendum esse promissioni, sed non præsumendum modum, aut tempus, nisi uoce Dei exprimatur, ut credere debemus nos resurrecturos esse, sed tempus & modum ignoramus.

Postea necessarium discrimen est promissionum. Alia est reconciliationis & rerum æternarum, quæ est propria Euangelij, et datur gratis propter filium Dei. Estq; mandatum, ut huic promissioni credamus, & iam accipiamus reconciliationem fide, & omni tempore ad eam redeamus. Iuxta illud, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat.

De discrimine promissionum.

Aliæ sunt promissiones corporaliũ beneficiorum, quæ uel nominatim expressa sunt, uel nõ nominatim expressa. Estq; tenenda regula de omnibus promissionibus

Corporalia promissa non rapienda à nobis, sed expectanda uocatio.

nibus corporalibus,non rapiendas esse nostris consilijs,sine uocatione diuina. Addenda etiam conditio, Ecclesiam subiectam esse cruci. Sic etsi Abrahæ promissa erat terra,tamen nunquam eã occupauit. Ideo ad Hebræos dicitur, Mortui non sunt accepta promissione, expectantes æternam promissionem. Item Patres in Ægypto sciebant sibi promissam esse terram,nec tamen occupabant,sed expectabant uocationem. Dauidi promissum est regnum,neq; tamen rapuit uiuo Saul: Christus inquit, Habebunt centuplum in hac uita, quod intellige non rapiendum humano consilio,sicut Anabaptistæ fingebant se debere aliorum opes occupare. Sed intellige,sicut Deus suo consilio dabit,& Christus ipse addit interpretationem, cum tribulatione. Seruabitur Ecclesia,sed mirabiliter,etiamsi interea uariè exercebitur.

Amissis corporalibus non abijciendæ promissiones æternæ.

Singularis est hæc sapientia Ecclesiæ,non rapere promissiones humano consilio. Item,discernere corporalia ab æternis, etiam cùm corporales eripiuntur,tamen sciendum est non amitti æternas, ut cùm Dauid excussus erat ex regno,sciebat se debere obedientiam in pœna,sed tamen non esse abijciẽdam promissionem de remissione peccatorum,& uita æterna, hanc manere immotam propter promissum Dominum,Sicut dictum est, Iurauit Dominus & non pœnitebit eum. Saul amisso regno etiam abiecit promissionem de remissione peccatorum ,ut multi in calamitatibus penitus abijciunt promissionem rerum æternarum,amissis corporalibus. Scien-

Conditiones inclusæ promissionibus corporalibus.

Sciendum est igitur omnibus promissionibus corporalibus inclusas esse conditiones duas,uidelicet conditionem crucis, item conditionem pœnæ inobedientiæ,sicut promissiones legales pendent ex conditione obedientiæ. Promissa est populo libertas,sed ita,ut etiam exerceatur cruce,item ut puniantur etiam impij. Sic Ieremias respondebat suis aduersarijs: Promissum est populo regnum,ergo seruabitur. Concedit utrunque. Regnum promissum est, sed cum conditione, ut etiam puniantur impij,item ne crux tollatur. Et seruabitur regnum,sed aliter quam iuxta humanas imaginationes,quia Ecclesia non regitur humanis consilijs, sicut scriptum est, Sine me nihil potestis facere. Et apud Ieremiam cap. 10. Scio Domine,non est hominis uia eius: nec uiri est, ut ambulet & dirigat gressus suos,id est, Homo non habet omnes euentus in sua potestate,& ut peccata non intelligit omnia, ita nec pœnas prospicit,& quia consilium Dei de afflictionibus Ecclesia non perspicit, ideo non potest omnes casus prospicere,& regere. Multa accidunt aliter,Iacob,Dauidi,& alijs,quam ipsi cogitauerant.

De defensione templi.

Est & aliud argumentum in hac caussa agitatum templum defendendum esse. Census erat templi,Nam Romani didrachmum quotannis pendendum templo uiritim ad se transtulerant. Ergo Iudæi non debebant permittere,ut reditus templo adimeretur. Respondendum est ad maiorem. Templum defendendum est, scilicet quod ad doctrinam, & ueros cultus attinet.

Seruitus sub Ieremia

non quòd ad pecuniam, aut lapides attinet. Sicut Ieremias uoluit defendi & retineri doctrinam & ueros cultus, non uoluit defendi lapides aut pecuniam. Ita iam ereptio pecuniæ toleranda erat inter mala seruitutis, sicut reliqua onera seruitutis.

Simul autem debebat populus agnoscere beneficium Dei in hac ipsa seruitute, & tempus aduentus Meßiæ. Magnum beneficium Dei erat, quòd Romani non euerterant templum, non polluebant statuis, non deduxerant eò colonias abducto populo. Hæc sæpè apud alias gentes fiebant, & paulò pòst accidebant in Iudæa, post resurrectionem Christi. Prædictum autem erat à Daniele mansuram ciuitatem, usq; ad aduentum Meßiæ. Has prædictiones ad seruitutem conferre debebant, quia etiam prædictum fuerat, in quarta Monarchia uenturum esse Meßiam, cùm populus amisisset regnum. Sed multitudo fascinata erat stultis persuasionibus, & errore de regia potentia Meßiæ. Ideo nec uaticinia intelligebant, nec agnoscebant Christum. Ita impietas fascinata proprijs delirijs discedit à uerbo Dei.

Prædictio de seruitute.

DE SECVNDO.

De tempore aduentus Christi.

Seruitus testatur Christum uenisse.

HÆC ipsa seruitus, in qua tunc erant Iudæi, sub quarta Monarchia, testimonium erat aduentus Christi. Quia Iacob prædixit regnum Iuda mansurum esse, usq; ad aduentum Christi, iuxta illud, Non auferetur sceptrum de tribu Iuda, donec ueniat Meßias. Iam autem pars Iudææ redacta erat in formam prouinciæ. Galilæa habebat regem Herodem Idumæum. Et prædixerat Daniel annos, qui iam decurrebant ad finem. Hæc collecta, pijs erant certa testimonia aduentus Meßiæ. Ideo hunc concionatorem qui resuscitabat mortuos, & repurgabat doctrinam, & cui Ioannes dederat testimonium, agnoscebant esse Meßiam. Sed impij fascinati opinione de regno mundano, nolebant eum agnoscere. Cæterùm nobis utile est cogitare testimonia, quòd uenerit Meßias. Prophetæ clarè prædicunt uenturum esse durante politia Iudaica. Nunc funditus deleta iacet, diutius quàm stetit, necesse est igitur uenisse filium Dei.

DE TERTIO.

Date Deo, quæ Dei sunt.

HÆC est præcipua responsio in hac disputatione, & explicat obiecta argumenta. Pharisæi disputabant templo dandam esse hanc pecuniam, non Cæsari. Respondet Christus, Date Deo, quæ sunt Dei, id est, ueram doctrinam, & ueros cultus, hæc non sunt cedenda ulli creaturæ, ut tres uiri in Babylone sinebant sibi eripi res & corpora, sed ueram doctrinam & uerum cultum non sinebant sibi eripi. Vos econtra de pecunia disputatis, ueram doctrinam & ueros cultus ipsi abijcitis, Euangelio aduersamini,

Quæ sint danda Deo, non hominibus.

cumulatis traditiones, & aucupia quæstus, fingitis falsa dogmata, sectamini Saducæos & Pharisæos.

Quare diligenter hoc loco discrimen considerandum rerum, quas cedere alijs possumus, & quas non licet cedere. De doctrina & de uero cultu non est cedendum, sed uitam & fortunas rapientibus aduersarijs relinquamus, præsertim si nemo nos defendat, sicut in multis dictis Euangelij docemur, Matth: 10. Qui me confessus fuerit, &c.

DE QVARTO.

Date Cæsari, quæ sunt Cæsaris.

Discrimen iustorum tributorum & iniustorum.

DVplicia sunt tributa. Quædam iustè imposita, quia Deus, qui est autor politici ordinis, uult esse gubernatores, ut uult conferri pecuniam ad communem defensionem, uult etiam magistratibus & militibus dari stipendia, ideo mediocria & tolerabilia tributa iustè petuntur. Et Ioannes ea approbat, inquiens, Estote contenti stipendijs uestris.

Sed idem præcipit militibus, ut sint contenti, non supra mediocria tributa rapiant ex populi facultatibus, quantum ipsis libet. Et ut Deus est autor politici ordinis, ita ipse sua uoce, Non furtum facies, discernit singulorum facultates teneant suam gubernatores, teneant & ciues proprias facultates, ne conturbet hoc discrimen rapacitas gubernatorum. Puniuit Deus Achab eripientem ciui Naboth fundum, ita puniet cæteros, qui iniustas expilationes indicunt.

Dixi

Dixi quædam, esse tributa iustè imposita, quæ iustissimum est etiam pendere, quia singuli pro communi defensione, non solum fortunas, sed etiam corpora nostra conferre debemus, sicut Ioannes inquit, Sicut ipse animam suam pro nobis posuit, sic unusquisq; pro fratre suo animam ponere debet. Dixi etiam quædam immodica tributa iniustè indici. Quid igitur facient subditi de iniustis expilationibus?

Difficultates imperiorum sunt pœnæ peccatorum.

Respondeo, Omnes difficultates gubernationis, sunt pœnæ nostrorum peccatorum. Sicut Salomon dixit, Propter peccata populi mutantur principatus. Quanq; igitur actio iniusta est, et expilatores punientur, tamen passio est iusta, id est, nos sentiamus nos iusto iudicio Dei puniri. sicut Daniel inquit, Tibi Domine iusticia, iustè punimur, et agnitam pœnam feramus, soluamus tributa, etiam iniustè imposita, sicut reliqua seruitus, quæ multiplex est, tolerāda est, et agamus pœnitentiā, ut deus mitiget publicas calamitates.

Sic Christus uolebat Iudæos cogitare omnia tempora suæ politiæ. Tempore Dauidis & Salomonis, magna gloria huius populi fuit, postea seruitus creuit. Semper autem calamitates illæ fuerunt pœnæ peccatorum, & Deus rursus liberauit reliquias populi, agentes pœnitentiam, & mirabiliter seruauit in tanta seruitute cultum & templum. Ita nunc quoq; uolebat eos seruitute admoneri, ut cogitarent de pœnitentia, & ferrent interim calamitatem, ac à Deo liberationem expectarent, quasi diceret: Date Cæsa-

ri, seratis onus & seruitutem corporalem, quia uestris consilijs & uiribus non potestis excutere, Sed si reliquiæ agent pœnitentiam, liberabuntur diuinitus.

Tristis seruitus Ecclesiæ postremis temporibus.

Vt autem Ecclesia ultimo tempore populi Iudaici in quadam acerba & tristi seruitute fuit, Ptolemæus Lathurus trucidata magna multitudine Iudæorum, iusserat dissecari corpora mulierum & puerorum, & dissecta membra coqui, & his uesci Iudæos coëgerat. Tantis calamitatibus illa extrema ætas fuit obnoxia. Ita sciamus nunc extremo mundi tempore Ecclesiam in seruitute fore, uel sub Turcis, uel sub alijs regibus & principibus, & habituram exiguam defensionem. Ideo discamus ferre difficultates politiarum, et agamus pœnitentiam, ut Deus eas mitiget. Interim tamen suum quisq; officium diligenter & prudenter faciat, ut retineamus Ecclesias, quas Deus mirabiliter seruabit, etiamsi in tantis regnorum mutationibus quassabuntur. Oremus etiam Deum, ut ipse regnorum mutationes mitiget.

DOMINICA XXIIII. *POST TRINITAT.*

EVANGELIVM, Matth: IX.

HAEC cum illis loqueretur, ecce princeps quidam uenit, & adorauit eum,

eum, dicens, Filia mea modo defuncta est, sed ueni, & impone manum tuam super illam, ac uiuet. Et surgens Iesus, secutus est eum, ac discipuli illius. Et ecce mulier quæ sanguinis profluuio laborauerat duodecim annos, accedens ā tergo, tetigit fimbriam uestimenti illius. Dixerat enim intra sese, Si tantum tetigero uestimentum illius, ero salua. At Iesus conuersus, ut uidit illam dixit, Confide filia, fides tua te saluam fecit.

Et salua facta fuit mulier à tempore illo. Et cum uenisset Iesus in ædes primatis, uidisset{que} tibicines & turbam tumultuantem, dicit illis, Secedite, non enim mortua est adolescentula, sed dormit. Et deridebant illum. Cum autem esset eiecta turba, iutrogressus, tenuit manum illius, & surrexit adolescentula. Et emanauit rumor hic in totam terram illam.

Quatuor sunt loci.

I. De Synagogis.
II. Doctrina communis de miraculis.
III. Doctrina de fide, & inuocatione.
IIII. Allegoria tibicinum, & aliæ.

DE PRIMO.

Singulari consilio Deus in populo Israël, tantùm unum esse tabernaculum seu templum uoluit, ac quod fierent legitima sacrificia, oblationes & mactationes, & ad quod semper præsto erat summus sacerdos, cum aliquo collegio. Hæc ordinatio proderat ad retinendam concordiam doctrinæ, opinionum, & cultuum. Quia diuersa templa, diuersi pontifices, citius

tius peperissent diuersos cultus, et diuersas opiniones, sicut postea accidit, quando Ieroboam & alij humana audacia condiderunt nouum templum, hinc discordia doctrinæ, & magni errores orti sunt. Facilius enim retinetur concordia, cùm in uno loco perpetua doctrinæ professio per manus traditur, & propagatur doctrina certa autoritate et certis testimonijs, & semper est grauis senatus inspector, qui considerat, quid publicè doccatur. Et in illo populo promissio diuina facta erat, semper apud hos cultus, & in hac sede futuram aliquam Dei Ecclesiam, & ueritatem. Quare etiamsi sæpè pontifices & magna pars collegij erat impia, tamen Deus seruauit aliquas reliquias, ut Ieremiam, Simeonem, Zachariam, & similes. Erat igitur unus locus, ad quem certo tempore omnes conueniebant, ex omnibus oppidis, & ibi doctrinam conferebant. Sicut & Christus adolescens mansit Ierosolymis, de doctrina disputans cum collegio, etsi tunc quidem Pharisæi & Saducæi extinxerant lucem ueræ doctrinæ.

Scholæ & conuentus in singulis oppidis.

Quanquam autem una sedes erat, tanquam inspectrix & gubernatrix doctrinæ, tamen in omnibus oppidis reliquis Synagogæ erant, id est, conuentus instituti, non ad oblationes aut mactationes historiarum, sed tantùm ad exercitia doctrinæ & publicas precationes. Voluit enim Deus ubiq; sonare uocem Prophetarum. Sed tamen ut maneret consensus, erat una summa schola inspectrix ad templum.

Hæc ideo recito, ut agnoscamus Deum uelle etiam studia doctrinæ, & graui autoritate per cœtus aliquos propagari doctrinam, & esse inspectores, ad retinendam doctrinæ concordiam. Hæc consideremus, ut excitemur ad amandas, iuuandas & tuendas scholas, in quibus Euangelium lucet, sicut populo Israël mandatum erat, ut suum templum tuerentur. Quia semper uult Deus aliqua esse Ecclesiæ studia, sicut seruat suum librum Ecclesiæ, scriptum per Prophetas & Apostolos.

Archisynagogus.

Ideoq; mandauerat imponi tabulas Moysi in arcam, ut significaret in Ecclesia mansuram esse doctrinam à se traditam. Fuit igitur Archisynagogus in oppido Capernaum, lector & interpres quispiam Prophetarum, qui ornatur hic insigni miraculo, Quia enim pauci doctores credebant Christo, ideo huius fidem Christus singulari beneficio renumerat.

DE SECVNDO.

Doctrina miraculorum.

VNO & eodem modo plerunq; de miraculis dicimus, tria hæc de miraculis tenenda esse.

I. Testimonia doctrinæ.

PRIMVM uniuersaliter facta Prophetarum, Christi & Apostolorũ miranda, esse testimonia de doctrina, quibus Deus testatur, se adesse his docentibus, & hanc doctrinam sua uoluntate proponi. Vt miracula omnia, quæ facta sunt, cùm populus educeretur ex Ægypto, testimonia erant doctrinæ, uidelicet hanc uocem legis uerè esse uocẽ Dei. Sic resuscitationes mortuorum factæ à Christo, testantur eum à Deo missum esse,

esse, & genus doctrinæ haud dubiè diuinũ esse. Nosq; hæc miracula confirment, ut amplectamur Euangelium, & discernamus à Philosophorum doctrina, et ab humanis opinionibus. Quanquam enim & aliæ gentes quædam miracula habẽt, tamen hæc sunt propria Ecclesiæ, quæ nulla creatura imitari potest, scilicet, reddere uitam mortuis, sistere solem, fœcundas facere anus. Hæc opponamus inanibus factis, quæ narrant Ethnici, ut de dissecta cote. Sit igitur sẽper hæc de miraculis diuinis prima cogitatio, testimonia de doctrina nobis proponi, in quibus toties se Deus patefecit.

II. Beneficia regni Christi.

SECVNDA doctrina. Christi facta peculiariter ostendunt, quale sit regnũ Meßiæ. Iudæi expectabant gloriosas uictorias, partitiones prouinciarũ, magnas opes, & dulcem tranquillitatem, sed Christus ostendit sua beneficia alterius generis esse, Annunciat remißionem peccatorum, pollicetur & incoat uitam æternam, & instaurationem humanæ naturæ, & ut ostendat utrunq; se et re opitulari, et esse instaurationẽ uitæ, sanat omnes petentes. Quoties igitur eius facta cogitamus, de perpetuo regno Christi cogitemus, quæ beneficia dare uelit animæ & corporis. Sciamus tale esse nunc quoq; eius regnum, semper eum adesse, remittere peccata petentibus, exaudire inuocantes, sanare, iuuare, in multis magnis periculis corporum.

III. Exempla promissionum.

TERTIO, Miracula sunt exempla promißionum, & applicationes ad singulos. Promißio est, Petite, & accipietis. Exempla sunt, hic Archisynagogus,

gus,Centurio,Syrophœnissa,& reliqui omnes,qui in suis ærumnis liberationem petiuerunt. Prophani lectores sic cogitant,ut de liberalitate aulica. Video quidem Christum aliquibus opitulari, sed non est similis uoluntas erga omnes, ut in aula liberalitatem experiuntur aliqui propiores principibus,multi alij, quamuis melius meriti,tamen negliguntur:

Hæc collatio ex animis extirpanda est, & opponenda doctrina promissionum, in quibus præcipuè hæc duo considerentur, quòd promissio gratiæ non pendet ex nostris meritis, sed iubet intueri meritum Christi,& quòd promissiones sint uniuersales. Venite ad me omnes,qui laboratis,&c. 1. Timot: 2. Deus uult omnes homines saluos fieri. Et Acto: 10. Non est acceptio personarum apud Deum.

Has sententias coniungamus omnibus exemplis,et nos ipsos ad hunc numerum petentium aggregemus, sciamus ideo hos adiutos esse, ut cæteri inuitentur. Adiuta est Syrophœnissa Ethnica mulier,item mulier peccatrix Lucæ 7. & mulier Sareptana Ioan: 4. Deniq; ipse dicit,sanis non esse opus medico.

Doctrina fidei. Deponamus igitur humanam opinionem de nostra indignitate, et de particularitate,& ad hũc Pontificem accedamus omnes fiducia misericordiæ, & meritorum ipsius. Si angeris,ut Archisynagogus aut Syrophœnissa,accede ad Christum,nec disputa de tuis meritis,sed scito,hanc miseram naturam horribiliter oppressam esse peccato,& nequaquam nos posse nostra

nostra dignitate niti. Agnosce Deum se patefecisse immensa sua bonitate, & uelle inuocari ab omnibus. Nulla mens humana hoc mirandum Dei consilium satis considerare, & satis magni æstimare potest, quòd Deus se patefecit,quòd misit Filium, quòd uult nos exaudire & seruare. Fateamur nos infantum esse similes, & non assequi magnitudinem misericordiæ Dei,& afferre peccatum & dubitationes, nec accensa esse corda agnitione & dilectione Dei, ut debebant,& accedamus tamen ad hunc Pontificẽ Christum,cum illa imbecilli turba, petamus beneficia, & confirmemur exemplis huius turbæ. Exaudijt Syrophœnissam,ergo te quoq; uult exaudire,Ideo enim,ut cæteros inuitet,illam adiuuit. Sic Psal. 33. exempla ad usum transfert. Accedite ad eum,& illuminamini. Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum,&c. Hæc doctrina de applicatione tertio loco semper in miraculis consideretur.

TERTIVS LOCVS DE fide & inuocatione.

De inuocatione. HÆC applicatio de qua diximus, requirit cognitionem Euangelij de inuocatione,& de fide. Semper obstrepit nobis hæc cogitatio: Quid facio magni,ut Deus me respiciat: sum immundus & reus, quid expectem à Deo nisi pœnas? quid curat Deus meos clamores,etiamsi uelis eum inuocare, an magni faciet istas recitationes,quibus aliquid petis. Hæ dubitationes

bitationes semper cruciant animos. Hîc oportet nos benè munitos esse hac doctrina de inuocatione, quæ est Euangelij præcipua. PRIMVM autem sciendum est, quòd Deus hunc cultum omnium maximè requirat. Ideo se patefecit, ut agnoscatur. Non potest autem agnosci sine inuocatione. Ideo toties præcipitur de inuocatione, ut Christus inquit, Semper orate, & non defatigemini. Item, Petite, & accipietis. Si homines possunt dare dona hominibus, quantò magis Pater cœlestis. Philip. 4. Non sitis solliciti, sed in omni precatione & petitione, cum gratiarum actione postulationes uestræ notæ fiant Deo. Psalm: 68. Ego orationem meam ad te Domine, tempus beneplaciti Deus, id est, sit aliquando illud tempus, quo uelis me liberare.

Præcepta de inuocatione.

Primùm igitur colligat mens præcepta, quæ iubent inuocare, deinde & promißiones addat: Petite, & accipietis. Quicquid petieritis patrem in nomine meo, dabit uobis. Sed hîc in promißionibus mox obstrepit nobis indignitas nostra, sumus meriti pœnas, ut Dauid, Manasses, Samson, deniq; multi meliores non sunt exauditi, ut Saul & alij innumerabiles. Quid de me fieret? qui sum massa immunda, contaminata multipliciter, magis quàm Dauid, qui inquit, Tibi tantùm peccatum sum, id est, res rea & abiecta, quid impetrare possum? Difficilè est hoc certamen, sed quia hac ipsa uoce legis assiduè accusamur, discamus hanc ipsam ob caussam promißiones Euangelij

Promissiones.

traditas

traditas esse de remißione peccatorum propter Filium. Quanquam sumus indigni, tamen Deus uult nos propter Filium recipere. Hîc cogitanda est particula, Gratis. Iustificamur gratis, per gratiam eius, fide. Afferimus ad Deum non merita, sed miseram & contaminatam naturam, sicut Dauid dicit: Tibi tantùm sum peccatum. Et Daniel clamat. Non in iustitia nostra, sed in misericordia tua prosternimus preces nostras. Et, Exaudi nos propter Dominum. Et Ionas: Qui non confugiunt ad misericordiam, sectantur uana, id est, fiducia propriæ dignitatis est inanis, sed confugiendum est ad misericordiam. Hac doctrina promißionum confirmentur animi, & sciant mandatum Dei esse, ut hanc fidem in precatione afferamus, ac petamus fiducia Filij, sicut dictum est, Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, id est, me nominantes Mediatorem, perferentem preces uestras, dabit uobis.

Fides nitens misericordia gratuita.

Hæc doctrina de inuocatione & fide, nusquã ulli genti extra Ecclesiam nota est, ac in sola Ecclesia Dei patefacta est, & tantùm ab alijs intelligitur, qui audiunt & norunt Euangelium. Vultq; Deus nobis Euangelij doctrinam, & suam misericordiam & præsentiam, fieri conspectiorem his exercitijs inuocationis. Ideo in omnibus periculis et quotidianis negocijs, decurramus ad hanc uerè sacram ancoram. In libro Sapientiæ inuocatio uocatur scutũ nostrum. Et Paulus inquit, Quicquid facitis in nomine Domini, id est,

inuoca-

inuocatione Dei facite. Sed magna pars hominum securа ruit, quo cœci furores trahunt, multa incipit ac mouet, sine ulla cogitatione de iudicio Dei, sine timore Dei, sine inuocatione, ideo ærumnæ cumulantur.

Discrimen promissionis gratiæ & mitigationis pœnarum.

Porrò cùm obstrepunt exempla, Cur non exaudiatur Ieremias deprecans auxilium: & similia multa. Hîc fides prudenter discernat promißionem gratiæ, & mitigationis pœnarum temporalium. Mandatum Dei est, ut nominatim credas tibi remitti peccata, recipi te à Deo ad societatem uitæ æternæ, propter Christum. Ioan: 6. Hæc est uoluntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat uitam æternam. Quandocunq; igitur inuocas, uerè statuendum est, quod Deus te recipiat, propter Filium, & tuas preces audiat. Sic in omni inuocatione prælucet Euangelium, de pœnitentia, & de remißione peccatorum, & occurrit huic uoci legis, Deus peccatores non exaudit, scilicet perseuerantes in peccatis, non agentes pœnitentiam, non confugientes ad Filium.

Sed de beneficijs corporalibus sciamus, Ecclesiam subiectam esse cruci, & Deum postulare obedientiam. Retineatur igitur fides, quòd recipiamur in gratiam, etiam cùm manet calamitas. Et tamen postulat Deus non solum obedientiam in afflictionibus, sed etiam inuocationem, & uult mitigare aut tollere ærumnas, sicut dulcißimè inquit Psal: 77. Non accendit totam iram suam, &c. Vult enim seruari et in hac uita suum aliquod agmen: Vult esse aliquos incolumes, ut com-

ut communis uitæ labores sustineant, uult conseruari studia doctrinæ Euangelij, politias, œconomias, propter propagationem Euangelij. Deniq; uult & mitigatione pœnarum & calamitatum celebrari.

Petitio mitigationis calamitatum.

Ideo semper in inuocatione petere & expectare debes auxilium, & mitigationem calamitatis, etiamsi non statim tollitur, ut clamat Ieremias: Corripe me Domine, ueruntamen in iudicio, non in furore tuo, ne ad nihilum redigas me. Et in Psal: Castigans castigauit me Dominus, & morti non tradidit me. Item, Non moriar, sed uiuam, & annunciabo opera Domini. Ideo liberat Dominus, ut postea testes simus, quòd exaudiat Deus, & uerè sic uelit coli, & discamus ac doceamus alios de inuocatione, ut Psal: 33. Iste pauper clamauit ad Dominum, & Dominus exaudiuit eum. Imò hanc ipsam ob caussam omnia exempla miraculorum, inde usq; ab initio proposita sunt, ut discamus inuocationem non esse irritam. Sed maxima pars hominum, quamuis propter consuetudinem inuocat, tamen manet in hac imaginatione, inuocationem esse irritam.

Huic diffidentiæ acerrimè repugnandū est, et opponendæ sunt promißiones, et excitandū cor, ut acquiescat cogitatione promißionū, et credat profuturam inuocationem, ne accusemus Deū mendacij. Ita Paulus inquit Rom: 8. Spiritus sanctus testimoniū dat spiritui nostro, in quo clamamus, Abba pater. Sciebat Ieremias uenturū esse excidiū, sed orabat tamen, ac statu-

ebat orationem prodesse ad mitigationem, Ita Dauid exulans castigari se uidebat, neq; tamẽ abijciebat precationem. Sciebat .n. se impetrare auxilium, et mitigationem, & experiebatur interim consolationes, & nouum robur in corde, & talem moderationẽ euentuum, ne penitus opprimeretur. Hæc doctrina de inuocatione & fide diligenter consideranda est, ut accendatur fides, in quotidianis precibus, et discernatur inuocatio nostra ab Ethnica, Iudaica, & Turcica.

DE QVARTO.

Allegoria historiæ.

NOn sunt omnia in allegorias transformãda, sed interdum facta ac exẽpla adeo illustres imagines continent, ut non dubium sit, aliud quiddam significatum esse. Vt oblatio Isaac sine dubio significabat oblationem Christi. Diluuium sine ulla dubitatione significabat ultimum iudicium. Sic passim multæ sunt imagines maximarum rerum in tota sacra historia. Sed prudentia adhibenda est, ne interpretationes & collationes inconcinnæ & absurdæ gignantur, Hic satis concinna significatio Synagogæ est mulier laborans fluxu, quæ suas facultates in curatione frustra impenderat. Talis tunc fuit Ecclesia in populo Iudaico, quæ erat in magnis miserijs, lacerabatur bellis, & uersabatur in erroribus, & infeliciter à principibus & doctoribus curabatur. Nam doctores, Pharisæi et Saducæi, non norant Euangelium de Messia, & de uera inuocatione, Principes uerò prorsus erant Epicurei, doctrinam et disciplinam nõ curabant, tantum expila-

Mulier laborans fluxu sanguinis.

bant populum, & stultis tumultibus perturbabant gubernationem. Talis cùm esset populi status, uenit Christus, & opitulatur huic mulieri, id est, suæ Ecclesiæ, quam in hoc populo collegit. Sic & Archisynagogi filia imago est Ecclesiæ extinctæ in populo. Hæc rursus excitatur per Christum, Sed ridetur Christus à tibicinibus, qui ad funus conducti erant.

Filia Archisynagogi.

Tibicines.

Hæc est illustris pictura sapientum, qui tantùm norunt doctrinam Legis & disciplinæ externæ. Sicuti enim tibicines canunt funebria carmina, ita doctores Legis, sine agnitione Christi, tanquam in funere deplorant miserias humanas, proponunt disciplinam & pœnas, & tamen sentiunt sæpè uinci hanc suam doctrinam infirmitate hominum, & ut maximè obtineri perfectißima doctrina posset, tamen Lex non affert consolationem de remißione peccatorũ, de reconciliatione gratuita, de uita æterna, de uera inuocatione. Sed relinquit homines in dubitatione, & in morte, & disciplina illa est ueluti apparatus funeris.

Doctrina Legis.

Norant Ethnici gubernatores et Philosophi sapientiam Legis, quorum doctrina, quia non continet firmam consolationem de reconciliatione Dei tantum est tristis querela de miserijs humanis. Deniq; quid aliud est Philosophia, nisi consideratio humanæ infirmitatis, et qualecunq; frenum nimis stolidos impetus coërcens, & fatetur ipsa totum hoc frenum infirmum esse, & sæpè lacerari naturæ prauitate. Est igitur querela funebris, sicuti Plato dicit, Philosophi-

Philosophia querela funebris.

am esse meditationem mortis, id est, agnitionem nostrarum miseriarum, & moderationem cupiditatum, ne augeantur miseriæ.

Odium Doctorum Legis contra Euangelium.

Sed hypocritæ ignari Euangelij, nimium tribuunt huic freno, cumulant leges superstitiosa opinione, cùmq; audiunt Euangelium, quod detrahit his obseruationibus laudem iusticiæ, & proponit aliam iusticiam, putant laxari sua uincula, & Euangelium execrantur, quod uideatur languefacere studium benè operandi, diminuere cultus Dei, & seditiosè labefactare legum autoritatem. Hæ opiniones in animis sapientum, qui ignorant Euangelium, sunt caussæ acerbissimi odij. Nam homo sapiens contendere debet, ut accendat studium benè operandi, & cultus Dei tueatur, & modestiam hominum & tranquillitatem retineat. Hos fines debet sapiens gubernator summos ducere: sed ita tamen, ut ueros cultus Dei intelligat & tueatur. Veri autem cultus non intelliguntur sine Euangelio, ideo impij gubernatores fascinati opinionibus Legis, & ignari Euangelij, aberrant, & inflammantur odio Euangelij. Id hoc loco per tibicines significatum est, Nos uerò discamus discernere genera doctrinarum, Legem & Euangelium, & tribuamus suum cuiq; generi locum. Lex regat disciplinam, & seuerè regat. Sed simul sciamus alia iusticia opus esse, uidelicet quam Euangelium proponit, de fiducia filij Dei. Vitemus etiam falsa iudicia hypocritarum, nec propter eorum odia confessionem Euangelij abijciamus.

DOMI-

DOMINICA XXV. POST TRINITAT:

EVANGELIVM, Matth: XXIIII.

CVM ergo uideritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes, & qui in

tecto, non descendant ut tollant aliquid de domo sua, & qui in agro, non reuertantur ut tollant uestes suas. Væ autem prægnantibus, et lactentibus in diebus illis. Orate autem, ut non fiat fuga uestra hyeme, uel Sabbato. Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi, usq; modo, neq; fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua ulla caro, sed propter electos breuiabuntur dies illi.

Tunc si quis uobis dixerit, Ecce hic Christus, aut illic, nolite credere. Surgent enim pseudochristi & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita, ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Ecce prædixi uobis. Si ergo dixerint uobis, Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & apparet usq; ad occidentem, ita erit & aduentus filij hominis. Vbicunq; autem fuerit corpus, illic congregabuntur aquilæ.

Loci

Loci sunt quinq.

I. Prædictio de excidio Hierosolimæ, et quare tota illa politia funditus deleta sit.
II. Altera prædictio de temporibus ultimis mundi.
III. Quid uocet abominationem desolantem.
IIII. An Ecclesia possit errare, & ubi, et quid sit.
V. Consolatio & doctrina, quomodo in his periculis præmuniendi sint animi, cùm Christus dicat, Non turbemini, Item, Orate, ne fiat fuga uestra, &c.

DE PRIMO.

Apostoli arbitrabantur Christum aliquanto pòst occupaturum regnum Iudææ, & pulsis Romanis, & repurgato templo, dominaturum. Quare intuentes ædificium, gratulantur patriæ tantum ornamentum, in quo sperabant paulò pòst Christum ipsum fore pontificem, & se unà regnaturos esse, remotis epicureis pontificibus, præsertim cùm Haggæus clarè scripsisset, in isto templo futuram maiorem gloriam, quàm in priore, quia ibi concionaturus esset Christus, Hag. 2. Veniet desideratus cunctis gentibus, & implebit templum gloria, & in isto loco dabo pacem. Has promissiones, etiam Apostoli transferebant ad externam dominationem & pacem, & somniabant quandam auream ætatem.

Apostolorum cogitatio de Christo dominaturo in templo.

Has dulcißimas ineptias Christus triſtißima prædictione refutat. Imò, inquit, ſcitote iam inſtare horribile excidium huius urbis, templi, politiæ, regni. Hæc omnia breui funditus interitura ſunt. Hic diſcamus uſitatas ærumnas Eccleſiæ, cùm expectas tranquillitatem, præſidia, gloriam in mundo, non reſpondent euentus: Sed uult Deus Eccleſiam ſubiectam eſſe cruci, et fide expectare conſeruationem, ſicut nunc optamus principum præſidia, & ſperamus principes habituros pacem, futuros concordes, deniq; cogitamus dulce ocium, ut Apoſtoli cogitabant, & quò ſuauiores ſpes nobis fingimus, eò quotidiè oriuntur ſeuiores tempeſtates & motus. Quare ad ferendas has ærumnas parati ſimus, & diſcamus quomodo animi ſint præmuniendi & confirmandi.

Sed quare deleri oportuit politiam Moſaicam?

Tres ſunt cauſſæ.

I. Teſtimonium iudicij.

PRIMA. Quia Deus uoluit extare euidens exemplum iræ ſuæ aduerſus omnes, qui Chriſtum contumelia afficiunt. Sic puniuit ſuum populum natum ex Abraham & cæteris patribus, quos maximè dilexit. Ergo non parcet Turcis, Epicureis, & quibuſcunq; contumelioſis aduerſus Chriſtum, etiamſi differuntur pœnæ. Sed dilatio teſtimonium eſt ſecuturi iudicij poſt hanc uitam.

Secunda

II. Teſtimonium exibiti Chriſti.

SECVNDA cauſſa. Prædictiones Micheæ, Haggæi & Danielis, teſtantur oportuiſſe Chriſtum uenire ſtante politia Moſaica. Imò & hoc ipſo ſecundo templo ſtante. Hæc deleta ſunt, & iacent iam diutius, quàm ſteterunt, ergo neceſſe eſt apparuiſſe iam Meßiam. Hoc argumentum & ad confirmandos nos ipſos plurimum prodeſt, & manifeſtè refutat, & conuincit Iudæos.

III. Teſtimonium abrogatorum cultuum Leuiticorum.

TERTIA cauſſa. Deus uoluit oſtendere cultus Leuiticos non eſſe iuſticiam Euangelij. Porrò ſi hodiè ſtaret politia Iudaica, & recepiſſet Meßiam, tamen uellet habere prærogatiuam propter ceremonias ſuas. Ergo ut oſtenderet Deus illas res non eſſe iuſticiam, ſed in Euangelio afferri æternam iuſticiam, uoluit Leuiticos cultus penitus deleri: Hæ cauſſæ omnes dignißimæ ſunt accurata conſideratione.

DE SECVNDO.

Calamitates extremi temporis.

POſtquam excidium Hieroſolymæ prædixit, addit prædictionem de ſequenti ætate, ac præcipuè de ultima ſenecta mundi, quia hæc erit ſimilis ſenectæ populi Iudaici. Prædicit autem maximas calamitates, corporales & Eccleſiaſticas, bella, famem, mutationes regnorum, diſſidia, dogmatum confuſiones, ἐιδωλομανίας in Eccleſia.

Cur autem hæc prædicuntur?

Confirmatio piorum ex prædicti onibus.

Ad confirmandos pios, ne cùm uident tantas omnium rerum confuſiones, exiſtiment nihil eſſe prouidentiam,

dentiam, aut putent desertam esse ueram Ecclesiam, & inutilem esse inuocationem. Nam cùm mundi confusionem, uicia, & ruinas spectamus, mens concutitur talibus dubitationibus. Præmonet igitur Christus suos, ne deficiant, ne existiment propterea deseri ab eo hunc cœtum, qui adhuc retinet Euangelium. Hunc confirmat, & testatur semper mansuram esse Ecclesiam. Ac prodest sibi quenq; inculcare sententias similes, ut: Ero uobiscum usq; ad consummationem seculi. Et Esai. 59. dicitur, Veniet ex Syon redemtor, & his, qui redeunt ab iniquitate in Iacob, hoc fœdus meum cum eis, Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, et de ore seminis tui, deinceps & in sempiternum.

Vbi manet Ecclesia.

Vbi autem mansura sit Ecclesia, simul indicat cùm nominat uerbum: Spiritus qui in te est, & uerbum in ore tuo. Ibi est Ecclesia, ubi sonat Euãgelium, sicut Christus inquit, Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis, quicquid uolueritis, petetis, et fiet uobis. Item, Oues meæ uocem meam audiunt.

Hac confirmatione tunc maximè opus est, cùm dicitur: Ecce hìc est Christus, ecce illic. Et remouendæ sunt imaginationes, quæ alligant Ecclesiam ad pontificem & regum dominationem. Nam Ecclesia ad Euangelium alligata est, & in Euangelio gestari eam tanquam fœtum in aluo cogitemus, nec gestari eam in imperijs externis, aut dominatione Episcoporum existimemus. Est enim cœtus dissimilis alijs politijs.

Magna autem consolatio est, quòd testatur Christus mansuram esse Ecclesiam, quicquid sit futurum de regnis mundi, sicut manebat Ecclesia tempore Apostolorum, etiamsi reges & principes patronos non habebat. Interim tamen Deus aliqua hospitia exulanti Ecclesiæ curauit.

DE TERTIO.

Abominatio desolationis. Dan. IX.

Vsitata phrasis est Ebræis, idola uocare abominationes. Et recitat Christus locum ex Daniele, ut afferat testimonium suæ prædictioni de excidio Ieroſolymorum, quasi dicat: Multum uos uestra opinio fallit, si arbitrabimini me & uos in hoc templo regnaturos esse. An non meministis Danielem, qui prædicit excidium & addit signum, scilicet fore, ut stet in loco sancto, id est, in templo, idolum denuncians perpetuam uastitatem, id cùm uidebitis, fugite, significat enim excidium.

Quod autem erat hoc idolum? Etsi omnes cultus hostium Christi sunt idola, tamen hìc de re insigni loquitur, qua uult commonefieri Apostolos de excidio. Fuit ergo præcipuum idolum manifestæ blasphemiæ aduersus Christum, deinde accesserunt statuæ, ut uexilla Tiberij, statuæ Caligulæ, qui se mandarat adorari, & multæ cædes in templo factæ, quibus tunc assiduè prophanabatur templum. Hæc, inquit, cùm fient, scitote instare finem.

Vt

Idolomania extremi temporis.

Vt autem tunc in templo Iudaico fuit idolum, ita prædicit futurum, ut post Apostolos ultimo mundi tempore in Ecclesijs colatur idolum. Quod est illud? Non potest hæc res sine ingenti dolore cogitari. Deleuit Ecclesias Mahometus, & proposuit colendum idolum, uidelicet manifestas blasphemias aduersus Christum. Hæc sunt præcipuus neruus regni ipsius & cultus, imò huius ipsius articuli professione iudicant se esse populum Dei, quòd negant filium Dei, quòd negant redemtorem, quòd abolent Euangelium, propter hoc opus prædicant se diligi à Deo, & ornari uictorijs & imperijs. Sed pij sciant, hoc ipsum opus Mahometicæ sectæ præcipuè damnatum esse uoce Dei, sicut clarè inquit Daniel de Mahometo alibi, Dicet blasphemias contra Dominum.

Idolomania in Eccleſia.

Sed non de solo Mahometo hic dicitur. Ait enim, Stabit in loco sancto, id est, in eo cœtu, in quo adhuc manet nomen Christi & Ecclesiæ, & in quo sunt aliqui rectè inuocantes Deum. Ibi quoq; erunt idola uastantia uerum cultum. Dixi autem cultus omnes sine agnitione Christi idololatriam esse, quare hi, qui non norunt doctrinam Euangelij, de fide in Christum, & de inuocatione in hac fide facienda, omnes sunt ignari ueri cultus, & qui ueram doctrinam persequuntur, sunt idololatræ.

Sed semper homines amisso Euangelio sibijpsi noua & manifesta idola excogitant, ergo accedunt etiam externa idola, ut statuæ, ad quas concurritur, ipsa

ipsa inuocatio mortuorum, prophanatio cœnæ Domini, in qua fit falsa oblatio, & falsa adoratio. Item, fiducia humanarum traditionum, ut Monachatus.

Hæc quatuor nihil differunt ab Ethnicis idololatrijs, nec ulla humana uox dicere potest, quàm tetra sint hæc idola, & quantam iram Dei prouocent, sed pœnæ utcunq; significant. Nequaquam essent tanti successus Turcorum, nisi magna esset idolomania in Ecclesia, Et quia hæc non satis dici possunt, uero timore Dei cogitemus apud nos uocem Spiritus sancti: Fugite idololatriam, & discamus ueros cultus, & fugiamus defensionem idolorum, ne cum impijs pereamus.

DE QVARTO.

An Ecclesia possit errare.

PRoprie ad tempora post Apostolos pertinet descriptio, quæ hic additur. Dicent uobis, Ecce hic est Christus, ecce illic est, id est, magna erunt dissidia dogmatum, Ecclesia lacerabitur, & quælibet pars gloriabitur se habere Christum. Quid tali tempore faciendum erit? quis poterit iudicare, quæ pars sit populus Dei? nam errare aliquas partes necesse est.

Dissidia dogmatum in Eccleſia.

Hic mundus sequitur politicum argumentum, Vt ibi iudicamus esse Rempub. ubi sunt principes et magistratus ordinarij: cæteros iudicamus esse seditiosos. Ita cùm sunt dissidia Ecclesiæ, accurrunt plurimi

ad hos

ad hos qui titulum habent ordinariæ potestatis, & his attribuunt prærogatiuam, quòd non possint errare, quia dicunt Ecclesiæ factam esse promissionem. Ecclesia autem non est truncatum corpus, sine capite, sine ministerio. Ergo hæc capita non errant. Hæc ratio plausibilis est, & plurimos in toto orbe ita tenet fascinatos, ut contradici non sinant.

Sed nos sciamus Ecclesiam dissimilem esse cæteris politijs, nec tamen loquendum esse de inuisibili Ecclesia. Deus ideo condidit genus humanum, ideo redemit, ut ipse inuocetur & celebretur, & Christus innotescat, necesse est igitur conspici Ecclesiam, necesse est confessionem & inuocationem notam fieri.

Quæ & ubi sit Ecclesia.

Quanquam autem Ecclesia est uisibilis cœtus, tamen dispersa est, nec est politia similis regno, alligata loco successioni, & certis legibus humanis. Sed alligata est puræ doctrinæ Euangelij. Hæc consociat Ecclesiam ubicunq; est, iuxta illud: Oues meæ uocem meam audiunt. Sophon: 3. Reliqui mihi populum pauperem & egenum, & sperabunt in nomine Domini.

Talis semper est aliqua uera Ecclesia, ut sub Achab, Eliæ tempore, erant Elias, Elisæus, & alij multi, sicut dicit textus: Reliqui mihi septem millia, &c. Sic sub Hanna & Caipha erant, Simeon, Zacharias, Elisabeth, Maria, Ioseph, & alij multi, etiamsi reges & pontifices erant palàm idololatræ & Epicurei.

Est

Est autem ille cœtus uera Ecclesia Dei, qui amplectitur uerbum Dei per Prophetas, Christum & Apostolos traditum, & non defendit pertinaciter idola, et errores pugnantes cum uerbo Dei. Suntq; in hoc cœtu partim renati, uero timore Dei, et uera fide Deum inuocantes, partim mali, & sine uero timore Dei, sed tamen in professione doctrinæ consentientes, qui si admittant publica delicta, ejiciendi sunt, & puniendi. Hic cœtus de cultu Dei consulit, & sequitur purum Euangelium, non opiniones traditas autoritate humana. Sicut Simeon, Zacharias, Maria sequebantur doctrinam Prophetarum, relictis delirijs Saducæorum & Pharisæorum.

De eo cœtu, amplectente purum Euangelium rectè dicitur, Ecclesiam non errare in articulis fidei, seu necessarijs ad salutem. Sed interim fieri potest, ut ingens multitudo omnium ordinum, Episcoporum, Sacerdotum, Monachorum, Regum, Principum, & populi sit contaminata idolis, & multis erroribus perniciosis, qui pugnant cum articulis fidei, Sicut Pharisæi & Saducæi defendebant errores pugnantes cum articulis fidei, quia hæc multitudo errans anteponit Euangelio opiniones, traditas humana autoritate, & quia potentia & numero antecellit, pertinaciter defendit errores.

Sciamus autem nos à Christo propter grauissimam caussam præmunitos esse, ne errores approbemus, Et seuerè mandatum est: Fugite idololatriam.

Cùm

Non titulus Ecclesiæ, sed pura doctrina quærenda.

Cùm igitur disputamus, an Ecclesia possit errare, primùm quæramus, ubi & quæ sit Ecclesia, nec alligemus eam ad imperia, multitudinem, Episcopos. Fieri enim potest ut plurimi eorum non sint membra Ecclesiæ, sicut nunc magna pars eorum palàm est Epicurea, nec curat, quid in alterutram partem docea-tur, tantùm in hoc sunt attenti, ne quid mutetur, ne labefiat eorum potentia. Sed quæramus Ecclesiam ibi, ubicunq; sonat pura uox Euangelij.

Etiam in uera Ecclesia manet aliquid erroris.

Porrò & in hoc cœtu pio & amplectente Euangelium, tamen aliàs plus, aliàs minus est lucis, & aliquid contagij manet, ut multi discipuli Apostolorum imaginabãtur ceremonias Mosaicas retinẽdas esse. Et Paulus inquit, Hunc cœtum partim aurum, partim stipulas supra fundamentũ extruere. Sed tamen fundamentum retinet, articulos fidei de Christo, & ueram inuocationem, & non defendit errores pertinaciter, sed audit Euangelium, cupit doceri & proficit.

Hæc admonitio de Ecclesia utilis est, & hortetur nos, ut iudicio & uoluntate coniungamus nos cum Ecclesia, & cum ea Deum rectè inuocemus & retineamus Euangelij puritatem, nec anteferamus opiniones humanas autoritate confictas, sed meminerimus illud: Lucerna pedibus meis uerbum tuum.

DE QVINTO.

Consolatio & doctrina traditur, quomodo præmuniendi sint animi in his periculis. Consolationes hæ quatuor sunt præcipuæ.

I. *Quòd*

I. *Quòd sit mansura Ecclesia uera, etiam in hoc mundo, ante resurrectionem mortuorum, iuxta illud Esaiæ 59. Spiritus meus, qui est in te, & uerba mea, quæ sunt in ore tuo, non recedent ab ore tuo, nec ab ore seminis tui, &c.*

II. *Quòd ubicunque erunt amplectentes purum Euangelium, hi sunt membra Ecclesiæ, iuxta illud: Si manseritis in me, & uerba mea manserint in uobis, quicquid uolueritis, petite, & fiet uobis.*

III. *Quòd in his periculis Filius Dei aderit propugnator, sicut Daniel inquit: Stat Michaël dux pro populo Dei.*

IIII. *Quòd Christus rursus se ostensurus sit mundo, & glorificaturus Ecclesiam, ac impios abiecturus in æternos cruciatus. Ideo hîc dicitur, Sic erit aduentus Filij hominis. Nec diu duraturum esse hunc mundum post Apostolos ipsi testati sunt, cùm uocant nouissimam horam. Et notum est dictum Eliæ: Sex millia mundus, & postea erit destructio, Duo millia mane, Duo millia Lex, Duo millia Messias, & si quid deerit, deerit propter peccata nostra.*

Doctrina uerò est, quòd monet, ut Euangelium retineamus, nec assentiamur impostoribus. Item, iubet precari, ac significat Deum calamitates mitigaturum esse precantibus. Orate ut possitis euadere ex futuris malis, & stare coram Filio hominis.

ENARRATIONES EVANGELIORVM, QVÆ LEGVNTVR DE *Festis Christi, & Historijs Sanctorum.*

DE TRINITATE.

EVANGELIVM,
Matth: III.

VNC accedit Iesus à Galilęa ad Iordanẽ ad Ioannem, ut baptizaretur ab illo. At Ioannes prohibebat illum, dicens, Mihi opus est, ut abs te baptizer, & tu uenis ad me? Respondit autem Iesus, & dixit ad illum: Omitte nunc, sic enim decet nos, ut compleamus omnem iusticiam. Tunc omittit illum. Et baptizatus Iesus ascendit protinus de aqua: & ecce aperti sunt illi

illi cœli, & uidit Spiritum Dei descendentem tanquam columbam, & uenientem super ipsum. Et ecce uox de cœlis, dicens, Hic est filius meus dilectus, quo delector.

HÆC lectio proponatur, ut doceantur homines, quæ sit uoluntas Dei, & quomodo sit inuocandus. Nam hæc est propria Ecclesiæ doctrina, Et hæ semper fuerunt quæstiones omnium maximæ, sicut Philippus inquit: Domine ostende nobis Patrem.

Duæ sunt autem uiæ quærendi definitionem, seu

quid sit Deus. Altera rationis, sine uerbo Dei, ut Plato intuens certas leges motuum cœlestium, & ordinem in natura, statuit hæc orta esse ab aliqua æterna mente. Ideo hanc definitionem tradit, Deus est mens æterna, caussa boni in natura, ac potest addere: quæ uult nos sibi obedire, iuxta discrimen honestorum & turpium, impressum mentibus humanis. Nec exiguum miraculum est, quòd hæc noticia utcunq; lucet in mentibus humanis, quæ tamen multò illustrior esset, si natura hominum non esset corrupta. Sed quia iam in hac naturæ corruptione obscurata est, Deus immensa bonitate iterum se patefecit sua uoce, & misso Filio.

Platonica definitio Dei.

Est ergo altera uia quærendi, quid sit Deus. Platonis intuetur naturæ ordinem, nos intueamur illustriora testimonia. Propone tibi Baptismum Christi, in quo audis uocem æterni Patris: Hic est filius meus dilectus. Filium stantem in Iordane uident oculi, & descendit Spiritus sanctus specie columbæ. Considerentur & aliæ similes reuelationes & conciones, in quibus Christus discernit personas. Pater meus usq; modo operatur, & ego operor. Item, Dabit uobis alium paracletum, spiritum ueritatis.

Deus quærendus ex testimonijs à se traditis.

Ad hæc testimonia referamus mentem, oculos & aures, & statuamus Deum sic uelle agnosci, ut se patefecit, uelle non sola ratione inuestigari, sed per sua testimonia, sicut inquit Christus: Nemo nouit Patrem, nisi Filius, & cui uoluerit Filius reuelare. Discernamus

scernamus nos ab Ethnicis, Iudæis, Mahometistis, Hæreticis, omnes illi quærunt Deum, sine ipsius uerbo ac testimonio. At Deus iussit nos audire Filium, Hunc audite, & addit testimonia resurrectionis mortuorum, & alia, ut sciamus uerè ipsum uelle sic agnosci, & inuocari, sicut se in hoc uerbo patefecit. Constituamus ergo definitionem.

PRIMVM cogitemus Deum esse quandam essentiam intelligentem, æternam, immensæ potentiæ. Hæc docet 1. cap. Geneseos, de omnipotentia: In principio creauit Deus cœlum & terram. Quòd sit essentia intelligens, testatur Genesis, cùm inquit, Dixit Deus. Nam dicere est naturæ cogitantis, & sapientis. Adde amplius: Deus est essentia intelligens, æterna, omnipotens, sapiens, iusta, uerax, bona seu benefica. Nam quòd sit iusta, uerax, & bona, etiam Genesis indicat, inquiens, Faciamus hominem ad imaginem nostram. Mens autem hominis intelligit discrimen iustorum & iniustorum, & iusticiam, ueritatem & bonitatem approbat. Ergo & diuina mens talis est.

Definitio Dei in scriptura tradita.

Hæc, quæ hactenus dixi, agnoscit etiam Plato. Addendæ sunt igitur plures descriptiones, et hæ sumendæ sunt ex testimonijs diuinis. Hæc essentia æterna, intelligens, est Pater gignens Filium, imaginem, qui refert Patrem, qui cùm de substantia Patris natus sit, est eiusdem essentiæ, Postea uerò assumsit humanam naturam & propiciator constitutus est, propter quem recipimur, exaudimur & saluamur. Et ab

Personæ.

utroq; procedit Spiritus sanctus ab æterno, per quem incoat in nobis uitam æternam, condens nouam lucem, timorem Dei, fidem, & alios bonos motus.

Hæc est integra descriptio, ignota Platoni, sumta ex testimonijs, in quibus Deus se patefecit. Et quoties precamur, hæc omnia primùm cogitãda sunt, quid in uoces, quem Deum, ubi se patefecerit, quæ sit eius uoluntas, an uelit exaudire. Vtilißimum est mente intueri baptißmum Christi, item nostrum baptißmum.

Discrimen inuocationis Christianæ & Ethnicæ.

Vt summum opus est inuocatio, ita pauci sunt qui rectè inuocant. Ethnica, Iudaica, Turcica inuocationes propter multas causßas damnatæ sunt, quia nec directæ sunt ad uerum Deum, nec fiunt in agnitione uerbi Dei, nec fiducia Christi. Item, prorsus fiunt in dubitatione. Præterea multi titulo Christiani currunt ad statuas, aut recitant preces, ne quidem cogitantes de Deo, quem Deum inuocent, & an exaudiat. Quidam Hieremita dixit, difficilimum omnium operum esse precationem, & uerum est, quia non est tantùm recitatio uersuum, sed requirit cogitationem de uero Deo, & fide.

Quæ cogitanda in inuocatione.

Primùm cogites de obiecto, scilicet de uero Deo, ad ipsum dirigatur inuocatio. Deinde cogitetur præceptum, & promißio Dei de inuocatione. Tertiò adsit & fiducia Christi, propter quem credamus nos recipi, & exaudiri. Quartò petatur res certa, & agantur gratiæ. Sit igitur talis aliqua forma precationis,

tionis, comprehendens tres personas, ut discernatur nostra inuocatio ab Ethnica, Iudaica & Turcica.

Forma Christianæ precationis.

Omnipotens, æterne, & uiue Deus, æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, qui te patefeciśti immensa bonitate, & clamasti de Filio tuo, Hunc audite. Conditor omnium rerum, & conseruator, cum Filio tuo coæterno, domino nostro Iesu Christo, & Spiritu sancto tuo, sapiens, bone, misericors, iudex & fortis, miserere mei propter Iesum Christum filium tuum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, mediatorem & deprecatorem, sanctifica, rege, doce, iuua me Spiritu sancto tuo, serua & rege Ecclesiam tuam & politias, quæ præbent hospitia Ecclesijs.

Hac forma cõplecteris tres personas. Primò simul in creatione, quia creatio est commune opus, et inuocas unam illam essentiam conditricem rerum, sicut se patefecit. Deinde admones Deũ suarũ promißionum de Filio incarnato, & petis fiducia Filij, eiq; tribuis proprium munus, quòd constitutus sit Mediator, & fuerit uictima. Tertiò tribuis Spiritui sancto suum munus, quòd per eum regamur, sicut scriptum est: Effundam de meo spiritu super omnem carnem.

Discrimina personarum.

Sic in inuocatione exerceatur doctrina de personis, & cogitentur discrimina penes officia, sicut reuelatæ sunt personæ. Teneamus autem & communem doctrinam, quòd sit una essentia diuina trium personarum. Estq; persona, substantia intelligens, indiuidua, incommunicabilis. Prima est Pater, qui est

Persona quid.

substantia æterna, intelligens, bona, & omnipotens, quæ intuens & cogitans sese, gignit ab æterno imaginem sui de sua essentia. Hæc proprietas, scilicet gignere, discernit Patrem à Filio.

Cur Filius dicatur λόγος & imago.

Secunda persona est Filius, qui est imago Patris, ab æterno genita de essentia Patris, et dicitur λόγος, quòd sit ita natus, ut ex mente nascitur cogitatio seu sermo. Nam & cogitatio qualiscunq; imago est cogitatæ rei. Nec sunt in creaturis exempla, quæ propius depingant hanc mirandam generationem, quàm hæc duo: mens cogitationem gignens, & lux spargens radium. Ideo Epistola ad Hebræos uocat fulgorem paternæ lucis. Sed tamen non omnino conueniunt hæ similitudines. Nostra cogitatio non est persona, nec est substantialis imago. At Filius est substantialis imago æterni Patris, & sicut in Symbolo dicitur: Deus de Deo, lumen de lumine. Et quòd sit alia persona à Patre inde manifestum est, quia hæc imago Patris assumsit postea humanam naturam, quam non assumsit Pater. Cùm igitur se Deus ita patefecerit, quòd Pater & hæc imago sint distinctæ personæ, credamus Deo hæc reuelanti, & Patrem cum hac sua imagine coæterna, & simul condente res, inuocemus.

Hæc Ioannes clarè expressit in exordio suo, ubi dicit: λόγον, qui est Filius, fuisse ab initio, & per eum omnia condita esse. Cùm Pater quasi deliberat cum Filio, fulget in Filio idea operis fabricandi, sicut in creatione hominis hæc deliberatio describitur: Faciamus

ciamus hominem ad imaginem nostram. Hæc arcana lux nondum conspicitur, sed aspicienda erit in uita æterna. Nunc nos de Filio cogitantes, intueamur eum exhibitum nobis, assumta humana natura, prædicantem, passum, resuscitatum, stantem in Iordane, ascendentem in cœlum, & de ipsius proprio munere cogitemus, quòd mirando Dei consilio factus sit pro nobis deprecator, & uictima placans iram Dei. Et sit Emanuel, inter nos uersatus, regnans inter nos, ideo exhibitus nobis, ut nos miseros regat et seruet. Ideoq; ante assumtam humanam naturam, se cernendum præbuit patribus, ut Danieli, & alijs, &c.

Cogitatio de Deo alligenda ad cogitationem.

Alligetur ergo cogitatio nostra de Filio ad Christum, qui se patefecit, & nobiscum uersatus est, crucifixus, resuscitatus est, & ascendit in cœlum, & ostendit se Stephano, & alijs. Ac sciamus ideo nobiscum uersatum esse, ut testaretur se semper curare et exaudire inuocantes. Et quia Philippo interroganti de Patre, respondit, Qui uidet me, uidet Patrem: cùm de Patre cogitamus, primùm hunc Filium patefactum mente intueamur, & hunc Patrem inuocemus, qui de eo edidit hanc uocem, Hunc audite. Et semper simul cogitemus de ipsa patefactione, non frustra Deum se ostendisse, & familiariter cum hominibus collocutum esse, sed certò testatum esse hac ipsa re, quòd uerè nos curet. Nec ulla est illustrior confirmatio, aduersus Epicureos & Academicos furores, quàm hæc ipsa cogitatio de patefactione et miraculis,

raculis,quæ omnia fuerunt principaliter testimonia patefactionis. Quoties autem sic de Filio cogitamus, simul ueniat in mentem,quòd Mediator sit, & intercessor pro nobis,quòd propter ipsum exaudiamur.

De Spiritu Sancto.

Tertia persona est Spiritus sanctus,qui est agitator procedens à Patre & Filio, eiusdem substantiæ per quem in mentibus sanctorum noui motus placentes Deo excitantur, & per quem Ecclesia uiuit uita æterna. Ac propriè tribuitur Spiritui sancto uocabulum, procedere, quod ut aliquo modo declaretur, sicut supra de imagine quæsiuimus qualecunq; exemplum, in intellectu hominis: ita iam intueamur uoluntatem hominis, seu cor. Generatio propria est intellectionis, quia pingit imagines intellectio. Spiratio uerò uoluntatis est aut cordis. Vt autem uoluntas in homine, aut cor non pingit imagines, sicut pars cognoscens,sed habet impetus aut motus,aut flatus,quibus attrahit aut pellit obiectum, amat quasi attrahens,odit quasi pellens: Sic à uoluntate æterna Patris & Filij,impetus seu flatus efficacissimus est,

Processio S. sancti.

qui est de ipsa Patris & Filij essentia. Hic flatus non dicitur genitus,sed procedens. Et hic ipse flatus statim initio describitur à Moyse. Et spiritus Dei ferebatur super aquas,id est,fouebat aquas, impertiebat eis uigorem, ubi significatum est, Deum per Spiritum sanctum impertire uitam & agitationem creaturæ suæ. Sed aliud est loqui de generali agitatione seu uita, aliud de renouatione hominis, in qua fiunt motus

motus obedientes Deo,agnitio Dei, & iusticia de hac propriè dicamus.

Sanctificatio per S. sanctum.

Suprà dictum est,creationem esse opus commune trium personarum. Sic et renouatio seu sanctificatio est opus commune trium personarum. Sed motus discernitur.Pater & Filius,& Spiritus sanctus recipiunt hominem,propter Filium mediatorem, & Pater & Filius mittunt Spiritum sanctum, per quem fiunt noui motus incoantes uitam æternam in hominibus. Hæc magna res expressè descripta est in donatione Spiritus sancti cùm Christus insufflaret Spiritũ sanctum in Apostolos dicens: Accipite Spiritũ sanctum. Hic flatus reuera erat persona Spiritus S. per quam & in Apostolis noui motus excitabantur. Ita cùm ad Mariam diceretur: Spiritus sanctus ueniet super te, & potentia altissimi obumbrabit tibi, persona Spiritus sancti uerè erat præsens,& per eum in corde uirginis fiebat umbraculum,id est, non incutiebatur sensus horrendæ iræ Dei,sed accendebatur agnitio misericordiæ,& lætitia in illa agnitione misericordiæ.

Opera S. sancti in mentibus.

Hæc declaratio diligenter cõsideretur,et in inuocatione discatur,in qua petamus accendi in nobis nouã lucem,& regi nos Spiritu sancto. Nam opera Spiritus sancti aliter intelligi non possunt, nisi in nobis accendantur. Sũt autem hæc opera Spiritus sancti, in mentibus piorum,per uerbũ Dei accendere lucem,id est,agnitionem iræ Dei aduersus peccatũ, & rursus agnitione misericordiæ promissæ propter Filium, excitare

citare fiduciam,quæ in ueris pauoribus erigit mẽtes, & consolatur conspectu misericordiæ promissæ propter mediatorem.Cum hac fiducia exuscitat inuocatione,et flectit mẽtes,ut se Deo subijciant.De his operibus concionatur Christus,cùm inquit, Spiritus gloryficabit me,id est,accendet agnitionem mei in mẽtibus,quæ assentiũtur Euangelio. Item,Spiritus sanctus arguet mundum de peccato,de iusticia, et de iudicio.

Dixi quomodo tres personæ discernendæ & agnoscendæ sint. Discernantur hoc modo, Pater gignit. ab æterno Filium intuens sese & cogitans. Filius genitus est à Patre,& est imago Patris. Spiritus sanctus procedit à Patre & Filio, & est flatus seu agitator,per quem fit sanctificatio.

Externæ reuelationes trium personarum.

Discernantur autem & agnoscantur per externa testimonia,hoc modo: Pater clamat de Filio, Hũc audite.Filius assumsit humanam naturam, & factus est mediator.Spiritus sanctus est missus et ostensus in flatu,in specie columbæ,in linguis igneis, et per eũ noua lux et agnitio Dei et noua iusticia accẽditur. Hæc nobis clariora essent,si in inuocatione cogitarentur,et si reuera crederemus Deũ nobis uelle quoq; hãc lucem impertiri,et hac fiducia peteremus,ideo clamat Christus:Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus se. Vult agnosci Deus,uult in nobis habitare,modò admittamus eum, sicut inquit: Ego sto ad ostium & pulso. Item: Veniemus ad eum, et mansionem apud eũ faciemus.Item,Si quis sitit,ueniat

niat ad me,et bibat: qui credit in me,flumina de uentre eius fluent aquæ uiuæ.Et uocat omnes: Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis.et ego reficiam uos. Hæc ideo dicta sunt,ut in inuocatione consideremus opera personarum,et consideratis operibus, discamus eas rectè discernere & inuocare, & Deo, gratias agere,quòd se generi humano patefecerit.

Distinctæ appellationes personarum.

Quæramus autem et appellationes personarum, eisq; distinctè & prudenter utamur. Pater, dicitur Pater Domini nostri Iesu Christi, Filius, dicitur uerbum,& imago Patris,ut in Epistola ad Ebræos scriptum est: Fulgor gloriæ, id est, lucis,& imago substantiæ Patris. Hæc uocabula utcunq; supra declarauí,Dicitur uerbum,quia nascitur cogitando, Dicitur imago,quia uerbum est imago cogitatæ rei. Multi etiam ideo nominant uerbum, quia sit persona loquens cum patribus, sicut apparet filium loqui cum Daniele. Deinde in Euangelio Ioan: 14. tribuitur Spiritui sancto appellatio paracleti,id est, aduocati.

Cur Spiritus sanctus uocetur paracletus.

Miretur autem aliquis, cur hic titulus Spiritui sancto attributus sit. Sed apparet principaliter hanc appellationem significare præsentiam & officia Spiritus sancti,in ministerio & confessione, Ecclesia accusat mundum,& uicissim à mundo accusatur, neutrum autem sustinere posset, nisi haberet aduocatum Spiritum Dei,docentem mentes,ut rectè iudicent, & confirmantem ut ausint uera profiteri, refutare errores,& perferre odia & supplicia.

Quòd

Officia S. sancti.

Quòd enim doceat Spiritus sanctus, testatur dictum Ioan: 16. Cum uenerit ille spiritus ueritatis, ducet uos in omnem ueritatem, Item, Ioan: 14. Docebit uos omnia, & rediget uobis in memoriam omnia quæ dixi uobis. Et 1. Ioan: 2. Vnctio docet uos de omnibus, & est ueritas, & non est mendacium.

I. Docere.

Discamus igitur inter beneficia Spiritus sancti in renouatione primum esse docere. Et quidem dupliciter docet, publicè per ministerium, & intus accendit lucem in cordibus, ut dextrè & rectè accipiant uocem Euangelij, nec fingant alienas opiniones, sicut multi propter iudicia rationis corrumpunt dicta Euangelij. Vt nunc multi corrumpunt doctrinam de gratia & iustificatione, fascinati humanis opinionibus, quia imaginantur iusticiam tantùm esse qualemcunq; disciplinam, & deprehendunt in animis dubitationem, quam putant non esse malam. Item multa dicta ad imperium transtulerunt pontifices, quæ loquuntur de spirituali gubernatione, ut dicta de clauibus. Deniq; sæpè deerrant homines à uera luce. Ideo petamus hoc beneficium, ut Spiritus sanctus accendat in nobis lucem doctrinæ: & ubi promittitur Spiritus sanctus, sciamus hoc tantum beneficium promitti.

II. Confirmare mentes.

Præterea cùm docet, confirmat assensionem, quam diabolus uariè labefactare conatur. Multi enim cùm initiò rectè sensissent, postea uel scandalis, uel speculationibus contrarijs impulsi, dubitare cœperunt, & tandem prorsus ἄθεοι, facti sunt. De his enim loquitur Christus in parabola sementis, cùm inquit: Diabolus rapit uerbum ex corde eorum. Aduersus hanc tantam tentationem simus in statione & in excubijs. Et ut Paulus inquit: Depellamus tela ignita, & habeamus in promtu firma testimonia, per quæ Spiritus sanctus confirmat cor.

III. Excitare pios motus ad obedientiam Dei.

Postquam autẽ docuit Spiritus sanctus, & confirmauit assensionẽ, incitat uoluntatem, & cor ad obediendũ legi Dei, id est, excusitat timorem Dei, fiduciam, dilectionẽ, & inuocationem. Hæc opera describuntur in his dictis Pauli, Rom: 8. Accepistis spiritũ adoptionis filiorũ in quo clamamus Abba Pater. Hic spiritus, testimonium dat spiritui nostro, quòd simus filij Dei, id est, Spiritus sanctus excusitat in nobis tales motus, quibus motibus mens inuocat Deum, et uerè statuit Deum nobis propicium esse, nos seruaturũ esse, et exoritur in mente quædã lux, lætitia et fortitudo, quæ superat humana mala, & subijcit nos uoluntati Dei.

Non relinquam uos orphanos. Ioan. xiiij.

Ideo Christus inquit, Non relinquam uos orphanos, quasi dicat? in mundo eritis ut orphani, sine defensoribus, sine imperijs, sine certa sede: sed dabo uobis spiritum aduocatum, docentem & confirmantem uos, dirigentem consilia, & gubernationem, & regentem euentus mirabiliter, qui prospici humana prudentia non possunt. Erant orphani Apostoli, nec uidere poterant, quomodo uagabundi colligere aliquam Ecclesiam, & consociare possent, aut quomodo tàm dissipati cœtus coalescere in unam doctrinam possent.

possent. Ita nunc sumus orphani, Turci & alij minantur se lucem Euangelij extincturos esse.

Sed tamẽ adest Spiritus paracletus, qui lucẽ et robur in pijs accendit, ne Euangelium abijciant, et Deo curæ erit, ut regat euentus, dum doctrina Euangelij retinetur, dabit aliquas politias, & aliqua hospitia.

Spiritus gratiæ & precum.

Congruit autem cum superioribus dictis, & dulcissima sentẽtia apud Zachariã de effectibus, qui per Spiritum sanctum excitantur: Effundã super domum Dauid spiritum gratiæ & precum, id est, dabo spiritum, per quem agnoscent misericordiam, et statuent se esse in gratia, confugient ad Deum, & inuocabunt. Nam sine spiritu sancto corda manẽt in dubitatione, fugiunt Deum, & opprimuntur desperatione, et pauoribus. Econtra cùm deposita mala cõscientia, lucet in cordibus agnitio misericordiæ per Euangeliũ, concipitur Spiritus sanctus, qui pacem & lætitiam cordis efficit, & adiuuat, ut statuamus nos recipi & exaudiri, & impellit ut inuocemus Deum, ac petamus & expectemus bona, et in his motibus accenditur & crescit renouatio, de qua concionatur Euangelium.

Transformari ad imaginem Domini à Spiritu sancto. ij. Corint. iij.

Idem prorsus uult dictũ 2. Cor. 3. Nos retecta facie gloriam Dei intuentes, ad eandem imaginẽ transformamur, à gloria in gloriam, tanquam à Domini spiritu, id est, nos retecta nostra facie, nos agnoscimus esse reos, & intuemur gloriam, id est, splendorem Dei in Christo monstratam, uidelicet immensam amplitudinem misericordiæ. Transformamur autem ad eandem

dem imaginem, id est, inuocatur in nobis similitudo Christi, accensa noua luce, quæ est firma Dei noticia, & nouis motibus, timore, fiducia Dei, inuocatione, odio peccati, à gloria in gloriam, id est, crescente subinde hac luce & claritate. Et hæc fiunt, inquit, per Domini spiritum, datum & effusum in nos.

Has grauissimas sententias ideo nobis proponamus, ut sciamus promissum esse hoc tantum donum, et seriò petamus, sicut Christus iubet, inquiens: Quantò magis pater uester dabit Spiritum sanctum petentibus. Deinde etiam caueamus, ne resistamus Spiritui sancto, indulgentes prauis cupiditatibus, contra conscientiam, neue eum expellamus, & sicut Paulus loquitur, ne eum contristemus. Ac uariè unus lapsus contristat Spiritum sanctum, ut Dauidis lapsus contristabat Spiritum sanctum, primùm in corde Dauidis, unde eijciebatur, postea in omnibus quibus magnitudo scandali dolorem attulit, maximè uerò in mulieribus, quæ per uim stupratæ sunt, quæ in summo luctu fuerunt, & fortassis aliquæ dolore & desperatione extinctæ sunt. Sic maximè contristant Spiritum sanctum, qui falsa dogmata defendunt, quia conturbant multos pios, quos in dubitationem adducunt, excitant dissidia, quæ pariunt innumerabilia scandala. Simus igitur uigilantes, & discamus Deo ueros cultus tribuere, & ueram inuocationem & petere ac retinere dona Dei. In his exercitijs fiet nobis doctrina de tribus personis illustrior.

CONCIO DE MINISTERIO APOSTOLORVM.

EVANGELIVM,
Matth: XVI.

VEnit Iesus in partes Cæsareæ Philippi, & interrogabat discipulos suos, dicens, Quem dicunt homines esse Filium hominis? At illi dixerunt: Alij

Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij uero Ieremiam, aut unum ex Prophetis. Dicit illis Iesus: Vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus, dixit, Tu es Christus filius Dei uiui. Respondens autem Iesus, dixit ei, Beatus es Simon Barlona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et ego dico tibi: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et dabo tibi claues regni cœlorum. Et quodcunq; ligaueris super terram, erit ligatum in cœlis, & quodcunq; solueris super terram, erit solutum in cœlis.

Quatuor sunt loci.

I. *De agnitione Dei, & Filij eius.*
II. *Discrimen inter agnitionem Ethnicam, & ueram, & quòd semper considerandum sit, quòd Deus se patefecit, & cur se patefecerit.*
III. *Discrimen Christi & Prophetarum.*
IIII. *Institutio ministerij Euangelij & efficacia & conseruatio.*

DE PRIMO.

Summum Dei beneficium in patefactione sui.

VTilißimum est semper considerare, homines non ortos esse casu, sed à Deo conditos, & ad hunc finem conditos, ut sint imagines eius, celebrantes ipsum. Ac humana mens tanquam speculum esse debebat, in quo luceret illustris Dei noticia. Ideoq; se patefecit Deus homini dupliciter. Insita naturali noticia, & promulgato certo uerbo, quod certis testimonijs confirmauit. Magnum beneficium est creatio, sed multò maius, quòd Deus etiam se uerbo suo patefecit, & uult agnosci & inuocari, ut det uitam æternam. Et hæc patefactio testimonium est, homines non casu nasci, non casu uiuere. Non enim frustra patefecit se Deus, sed ut inuocetur, & saluet. Hæc initia semper cogitanda sunt.

DE SECVNDO.

EThnici cùm disserunt de Deo, uagantur animis, & deerrant à uero Deo, quia non quærunt illum Deum, qui se in uerbo suo patefecit. Et quãquam naturali iudicio legem utcunq; agnoscunt, tamen non norunt remißionem peccatorum promissam propter Filium. Ideo fugiunt Deum, & irascuntur ei, quòd hanc imbecillem naturam tantùm ad exitium condiderit. Tales ignari Euangelij, & fugientes Deum, non possunt eum inuocare. Quia inuocatio requirit fidem petentem, & expectantem bona à Deo.

Discrimen Ethnicæ & ueræ agnitionis Dei.

Discernatur igitur Ethnica agnitio Dei à uera. Nam uera agnitio hunc Deum inuocat, qui nos condidit,

didit, & se immensa bonitate patefecit, misit filium, de quo clamauit: Hunc audite, & propter quem donauit remißionem peccatorum, & restituit uitam æternam. Semper igitur in inuocatione mens intueatur hunc Deum conditorem, qui se patefecit promulgato uerbo suo, & misso Filio, qui pro nobis factus est uictima, & non frustra se patefecit, nec frustra misit Filium.

Quare semper in precatione cogites: Te inuoco, omnipotens, æterne & uiue Deus, æterne pater Domini nostri Iesu Christi, conditor & conseruator omnium rerum, cum filio tuo Iesu Christo, & Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, iudex & fortis, qui patefecisti te dato Euangelio, & donato Filio pro nobis, miserere mei propter Filium tuum Dominum nostrum Iesum Christum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, mediatorem & deprecatorem, & sanctifica, rege, iuua, doce me Spiritu sancto tuo. Hæc forma precationis diligenter cogitanda est, ut discernamus ueram inuocationem ab Ethnica, Iudaica, Turcica, & cùm mens considerat testimonia, quibus se Deus patefecit, multæ dubitationes Epicureæ & Academicæ excluduntur.

DE TERTIO.

CVm ita consideramus Deum se patefacientem, ordine illustres reuelationes factæ patribus, Prophetis, Christo, Apostolis cogitentur. Sed hîc discimen attendatur inter Prophetas & Christum. Pro-

Discrimen Christi & aliorum ministrorum.

phetæ sunt Doctores, per quos sonat uox Dei, sed non sunt uictimæ, quæ merentur remissionem peccatorum, nec sunt datores Spiritus sancti, & uitæ æternæ, Sed tantùm sunt ministri uocis diuinæ, seu concionatores. Sicut Ioannes significanter dixit: Ego sum uox clamans in deserto. Sed aliud maius officium est Christi. Hic intercessit pro nobis apud Patrem, & mirabili consilio diuinitatis missus est, ut fieret uictima, & esset dator Spiritus sancti, & uitæ æternæ, constitutus Mediator, propter quem Deus recipit nos afferentes fiduciam huius Mediatoris.

Hoc mirandum consilium nondum satis intelligimus, sed tantùm scimus testimonium esse ingentis iræ aduersus peccatum, & rursus immensi amoris erga genus humanum. Necesse est enim esse ueram & ingentem iram, quam nulla res placare potuit, nisi Filius. Et rursus necesse est, magnam uim amoris diuini esse, quòd non uoluit hanc creaturam perire, sed dato Filio restitui.

Confessio Ecclesiæ de Christo.

Sed multi de Christo aliter sentiunt. Fingunt fuisse legislatorem, qui tantùm præcepta de moribus tradiderit, sicut cæteri Philosophi, aut fingunt similem esse Prophetis, ut Iudæi adhuc expectant Meßiam tanquam legislatorem, aut gubernatorem politicum, non uictimam aut datorem uitæ æternæ. Ideo hìc in quæstione dicitur, alios aliter de Christo iudicare.

Sed uera Ecclesia discernit Christum, et Prophetas. Ideo hæc professio hìc exponitur. Vos quem me esse

esse dicitis? Respondet Petrus: Tu es Christus filius Dei uiuentis. Duas res asseuerat, hunc natum ex Maria esse Meßiam, id est, promissum saluatorem, & hunc saluatorem esse filium Dei, non ut cæteri dicuntur filij adoptione, sed natura filium, Sicut ex Psalmo didicerat Petrus: Filius meus es tu, ego hodie genui te.

Porrò non solum in docendo, sed quotidiè in inuocatione teneatur hoc discrimen Christi & Prophetarum. Sciamus Prophetas tantùm fuisse doctores, non placatores Dei, & datores uitæ æternæ. Sed fides intueatur & inuocet hunc Meßiam, ita, ut statuat eum fuisse uictimam pro nostris peccatis, et nunc esse Mediatorem seu propiciatorem, & datorem Spiritus sancti, & uitæ æternæ, & esse natura filium Dei, id est, eadem potentia cum Patre regnantem, liberantem, defendentem, uiuificantem. Hæc omnia complectitur Petrus in sua confeßione, quæ à nobis clarius intelligentur, cùm in inuocatione cogitabimus beneficia Christi, & hunc Mediatorem Patri proponemus, & ad Deum uerè confugiemus.

DE QVARTO.

Edita professione instituitur ministeriũ, sed Christus præfatur de fine seu utilitate huius profeßionis, et unde sit hæc lux. Finis seu utilitas est, ut hac cognitione, confeßione et inuocatione Christi, consequamur æternam salutem. Ideo hìc dicitur: Beatus es Simon, Sicut & aliàs dicitur: Hæc est uita æterna, ut

Institutio & utilitas ministeriĩ.

agnoscant te solum esse Deum, & quem misisti Iesum esse Christum. Sic & Esaias dixit: Agnitione sui iustificabit seruus meus multos. Non lex, non alia res humana ulla abolet peccatum & mortem, sed agnitio & inuocatio huius Filij affert iusticiam, & uitam æternam.

Postea dicitur, unde sit hæc lux: Caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus cœlestis. Euangelium non est sapientia ab hominibus inuenta. Nec mens humana assentitur Euangelio, nisi Deo adiuuante. Adiuuat autem Deus, non eos, qui superbè repugnant uerbo Dei, sed qui credunt uerbo Dei, & petunt se iuuari, sicut Christus inquit, Quantò magis Pater uester cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

POstquam præfatus est Christus, quæ sit utilitas huius doctrinæ, & unde sit, postea addit sententiam de ministerio, seu propagatione, & de Ecclesia:

Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.

Propagatio Ecclesiæ per ministerium.

Tu quatenus sonas hanc uocem, & profiteris hũc natum ex Maria esse Messiam, & filium Dei, eatenus es Petrus, id est, rupes, quæ non euertetur, eris minister huius uocis & propagator. Hoc tibi mandatum do, ut hanc confessionem prædices. Et super hanc petram, id est, super hoc ministerium prædicandæ huius uocis, ædificabo Ecclesiam meam. Hic locus docet quid sit Ecclesia, & ubi sit quærenda. Deinde quòd sit perpetuò mansura. Quid

Ecclesia quid sit.

Quid est igitur Ecclesia? Est congregatio sonantium hanc uocem de Christo, prædicato per Apostolos, sicut cùm confessi sunt Apostoli, in qua congregatione necesse est aliquos esse noua luce donatos à Patre cœlesti et habituros gloriam æternã. Sed cur non potius dicitur, super me ædificabo Ecclesiam? An alligatur Ecclesia ad Petri aut Apostolorum personam?

Ecclesia alligata ad ministerium Apostolorum.

Respondeo, Magno consilio dictum est, super hanc petram. Alligatur.n. Ecclesia ad ministerium Apostolorum, id est, uult nos Christus huic ipsi uoci, cùm prædicabunt eum postea Apostoli, credere, sicut suæ uoci, & sicut uoci de cœlo sonanti. Ideo ad Ephesios scriptum est, Ecclesiam extructam esse super fundamentum Prophetarum & Apostolorum, uidelicet, quòd attinet ad propagationem & ministerium, & testimonium doctrinæ. Sed est extructa super Christum, quòd attinet ad meritum, doctrinæ fontem, et efficaciam, id est, propter Christum Ecclesia est electa, & uocata à principio mundi, & propter eum seruatur & saluatur, Et per Christum ex sinu patris reuelatum est Euangelium, & Filius est efficax, dat Spiritum sanctum per Euangelium.

Ideo 1. Cor: 3. dicitur, Fundamentum aliud poni non potest, præter id quod positum est, Iesus Christus, Item, Filius, qui est in sinu Patris, ipse reuelauit nobis. Item, Ego sum uia, uita, & ueritas. Item, Non relinquam uos orphanos, sed ueniam ad uos. Item, Act: 2. Ad dextram igitur Dei exaltatus, promissionem

nem Spiritus sancti accipiens à Patre effudit. Magna autem consolatio est, quòd scimus testimonium datum esse Apostolis toties à Christo, quòd eorum uoce & ministerio colligenda sit Ecclesia, quòd hoc ipso uerbo, quod Apostoli prædicant, Deus seruaturus sit Ecclesiam, sicut Ioan: 17. dicitur: Oro non pro ipsis tantùm, sed pro omnibus credituris per uerbum eorum. Et 20. Sicut misit me Pater, sic mitto uos.

Postquam dictũ est ubi sit Ecclesia, uidelicet ubicũq; hæc cõfessio Apostolorũ sonat, et quid sit, sequentes sententiæ loquuntur de perpetua conseruatione.

Portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Promissio de perpetuitate Ecclesiæ.

Ecclesia est subiecta cruci, omnibus temporibus. Sed tamen aliàs minus uexatur, aliàs quassatur durius: ut tempore Dauidis et Salomonis fuit trãquillior, quàm tempore Ieremiæ et Maccabæorum. Dictum est autem de postremis temporibus, Ecclesiam futuram angustissimam et passuram tristissimas tyrannides & dispersiones: Sicut iam grassari in eam uidemus Turcicam barbariem, reges et põtifices, et inter se doctorum esse atrocia dissidia. Nulli principes firmi sunt, nulla sedes Ecclesiæ duratura uidetur: deniq; uerè est, ut uocat Daniel, dispersio. Hoc tali tempore diligenter muniendi sunt animi, ne deficiant à Deo, propter hanc tristem speciem, Nec cogitent extinctam esse Ecclesiam Dei penitus. Sed sciant Ecclesiam esse talem

lem dissipatum cœtum, agnoscentium Christum, & tamen mansuram esse. Sic prædixit Christus Lucæ 21. Erit pressura gentium in angustia. Et Paulus inquit, Erunt tempora sæua. Etsi autem hæc mala sunt in conspectu, tamen multi leuiter afficiuntur tam horrendis spectaculis. Quare ea intueamur, ut quæramus ueras consolationes, & excitemus nos ad inuocationem. Gemitus nostri petant defensionem et conseruationem Ecclesiæ, studiorum, politiarum, quia Ecclesijs opus est hospitio. Et ne desperatione frangamur, testimonia teneamus, quæ de perpetuitate Ecclesiæ concionantur. Vt hîc, Et portæ inferi non præualebunt aduersus eam.

Item, Ego uobiscum sum usq; ad consummationem seculi. Item Psal: 10. Tu es sacerdos in æternum.

Esaiæ 59. Hoc fœdus meum cum eis, dicit Dominus, Spiritus meus qui est in te, & uerba mea, quæ posui in ore tuo, non recedent de ore tuo, nec ab ore seminis tui, dicit Dominus, deinceps & in sempiternum. Item, Ierem: 31. Sanctum templum Domini non euelletur, & non destruetur ultrà in perpetuum.

Consolationes ex promissionibus de Ecclesia.

His dictis confirmemus nos, ut statuamus non abiectum esse totum genus humanum, sed adhuc manere Ecclesiam, nos exaudiri, & perpetuò mansuram esse. Sed simul petendam esse à Deo conseruationem, & laborandum, ut uerbum Dei retineamus. Nam apud eos non manet Ecclesia, qui uerbum Dei abijciunt, sed Deus alibi sibi populum colligit, ut abiectis

Iudæis

Iudæis propagata est doctrina inter gentes, ut in Osea dicitur, Quia repulisti scientiam, repellam te.

Cogitemus item in tantis periculis nos non solos sustinere hæc certamina, sed filium Dei nobis adesse: sicut Daniel inquit de hoc ipso postremo tempore. Illo tempore stabit pro filijs populi sui dux magnus Michaël, id est, Christus.

Claues regni cœlorum.

Postremum dictum de efficacia loquitur, Dabo tibi claues regni cœlorum. Vt gladius significat imperia, ita claues significant domesticam gubernationem. Vult autem Christus Ecclesiæ regnum magis œconomiæ, quàm imperijs simile esse. Ideo utitur appellatione clauium. Significant autem non partem administrationis, sed totum munus, id est, potestatem seu mandatum docendi Euangelium, administrandi Sacramenta, uocandi ministros, annunciandæ remissionis peccatorum, & excludendi contumaces ex regno Dei, sine ui corporali. His tantis actionibus adest Deus, & saluat obedientes Euangelio, & damnat contumaces, sicut Roman: 1. dicitur, Euangelium est potentia Dei ad salutem omni credenti.

Efficacia ministerij.

Etsi impijs ridiculum uidetur, cùm audiunt uoce Euangelij homines certò fieri hæredes uitæ æternæ, tamen nos hoc tantum beneficium grati agnoscamus & amplectamur. Sciamus Deum nõ frustrà se patefecisse, nec frustrà Filium misisse, nec frustrà dedisse Euangelium additis illustribus testimonijs, & credamus uoci Dei, qui toties promisit uitam æternam amplectentibus

plectentibus Euangelium, & testatus est se illis affuturum esse. Sicut Christus inquit: Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus.

EXposui locos Euangelij, continentes doctrinam maximè utilem pijs mentibus, de agnitione Christi, & de Ecclesia, qui cùm ad fidei lumen in mentibus pertineant, tamen quadam praua imitatione detorti sunt ad regnum pontificium. Ecclesia fundata est super ministerium, id est, uerbum Apostolorum, non super successores Petri, relinquentes uerbum Apostolorum. Nec claues significant imperia mundana, aut potestatem ferendi leges, sed simpliciter munus docendi Euangelij, & administrationem Sacramentorum, ut prius dixi, sine ui corporali.

DE S. STEPHANO *HISTORIA.*

Actor: 6. & 7.

STephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ dicitur Libertinorum & Cyrenensium & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia & Asia, disputantes cum Stephano, &

no, & non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui quo loquebatur.

Tunc ſubmiſerunt uiros qui dicerent. Quia audiuimus eum loquentem uerba blaſphema in Moyſen et Deum. Commoueruntq; populum & ſeniores, & ſcribas, & inuadentes arripuerunt eum, & adduxerunt in concilium, & ſtatuerunt falſos teſtes, qui dicerent; Homo iſte non ceſſat loqui uerba blasphema

blaſphema aduerſus locum ſanctum hunc, & legem. Audiuimus enim eum dicentem, quòd Ieſus Nazarenus hic deſtruet locum iſtum, & mutabit mores, quos tradidit nobis Moyſes. At cum intuerentur eum omnes, qui ſedebant in concilio, uidebant faciem eius tanquam faciem Angeli.

Dixit autem princeps ſacerdotum, an hæc ita ſe haberent. At ipſe ait, Viri fratres & patres, audite, Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ cum eſſet in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charran, & dixit ad illum, Exi de terra tua, et de cognatione tua, et ueni in terram quam monſtrauero tibi. Tunc exijt de terra Chaldæorum, & habitauit in Charran. Et inde poſtq; pater eius mortuus eſt, tranſtulit illum in terram iſtam, in qua uos nunc habitatis, Et non dedit illi hæreditatem in ea, neque paſſum pedis, ſed promiſit ſe daturum eam poſſidendam ipſi, & ſemini eius poſt ipſum, cum nondum haberet filium.

Locutus

Locutus est autem Deus sic,Erit semen tuum inquilinum in terra aliena, & seruituti illud subijcient,& malè tractabunt annis quadringentis, & gentem cui seruiuerint,iudicabo ego,dixit Deus,& post hæc exibunt, & seruient mihi in loco isto.Et dedit illi testamentum circumcisionis,Et hic genuit Isaac, & circumcidit eum die octaua, & Isaac Iacob,& Iacob duodecim Patriarchas.

Et Patriarchæ æmulantes Ioseph, uendiderunt in Aegyptum,& erat Deus cum eo, & eripuit eum ex omnibus tribulationibus eius,et dedit ei gratiam & sapientiam coram Pharaone rege Aegypti,& constituit eum ducem super Aegyptū, & totam domum suam.

Venit autem fames in uniuersam terram Aegypti & Canaan, & tribulatio magna,nec inueniebant cibos patres nostri.

Et descendit Iacob in Aegyptum, & defunctus est ipse & patres nostri, Et translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepul-

in sepulcro quod emit Abraham precio argenti à filijs Emor, filij Sichem.

Cum autem appropinquaret tempus promissionis,quam iurauerat Deus Abrahæ,creuit populus & multiplicatus est in Aegypto, donec surrexit alius rex qui non norat Ioseph. Hic fraudes machinatus contra genus nostrum,malè tractauit patres nostros,ut exponerent infantes suos, ne uiuificarentur.Eodem tempore natus est Moses,& erat gratus Deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris. Exposito autem illo, sustulit eum filia Pharaonis,& nutriuit eum sibi in filium. Et eruditus est Moyses in omni sapientia Aegyptiorum,erat autem potens operibus & uerbis.

Hic est Moyses qui dixit filijs Israel, Prophetam suscitabit uobis Dominus Deus uester de fratribus uestris tanq̄ me, ipsum audietis.

Tabernaculum testimonij fuit patribus nostris in deserto, Sicut disposuit loquens ad Moysen,ut faceret illud secundum

cundum formam quam uiderat, quod & ſuſceperunt patres noſtri,& importarunt cum Ioſue in profeſſione gentium,quas expulit Deus ā facie patrum noſtrorum,uſq; ad dies Dauid, qui inuenit gratiam coram Deo, & petijt ut inueniret tabernaculum Deo Iacob. Salomon autem ędificauit illi domum.

Sed altiſſimus non habitat in manu factis templis, ſicut Propheta dicit, Cœlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Qualem domum ędificabitis mihi,dicit Dominus, aut quis locus requietionis meæ eſt ? Nonne manus mea fecit hęc omnia ?

Duri ceruice, & incircumciſi corde & auribus,uos ſemper Spiritui ſancto reſtitiſtis,ſicut patres ueſtri,ita & uos. Quem Prophetarum nō ſunt perſecuti patres ueſtri ? Et occiderunt eos, qui prænunciauerunt de aduentu iuſti, cuius uos nūc proditores & occiſores facti eſtis,qui accepiſtis legem per diſpoſitiones Angelorum & non ſeruaſtis.

Audientes autem hęc,diſſecabantur cordibus

cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus ſuis in eum. Cum autem eſſet plenus Spiritu ſancto, intentis oculis in cœlum,uidit gloriam Dei, & Ieſum ſtantem à dextris Dei. Et ait, Ecce uideo cœlos apertos,& Filium hominis ſtantem ā dextris Dei.Exclamantes autem uoce magna, continuerunt aures ſuas, & eiectum eum extra ciuitatem, lapidabant. Et teſtes depoſuerunt ueſtimenta ad pedes adoleſcentis,qui uocabatur Saulus, & lapidabant Stephanum inuocantem & dicentem, Domine Ieſu ſuſcipe ſpiritum meum. Poſitis autem genibus,clamauit uoce magna, Domine,ne ſtatuas illis peccatum hoc. Et cum hoc dixiſſet, obdormiuit.

Quinq; ſunt loci præcipui.

I. *De confeßione doctrinæ.*
II. *Doctrina Stephani de regno Meßiæ.*
III. *Reuelatio Chriſti regnantis palàm facta Stephano.*
IIII. *De paßione Stephani.*
V. *Exemplum precationis directæ ad Chriſtum.*

In exemplis sanctorum considerandа testimonia doctrinæ.

SEmper duo considerẽtur in historijs Sanctorum: genus doctrinæ quod confitentur: deinde uita & mores, Doctrina & inuocatio Dei discernit pios ab Ethnicis uirtute præditis: & sententijs ac testimonio confitentium doctrinam, eruditur & confirmatur Ecclesia. Præcipuè enim ob hanc causſam ab initio missi sunt Prophetæ & alij doctores, qui uarijs certaminibus & periculis inclaruerunt, ut hoc modo doctrina subinde instauraretur & propagaretur, & posteri nouis testimonijs confirmarentur.

Sic & Apostoli & eorum discipuli missi sunt ad docendum, & ad subeunda certamina propter doctrinam, ut Ecclesia erudiretur, & haberet certa testimonia doctrinæ. Ideo eorum historiæ considerandæ sunt, ut confessio eorum doceat nos, non ut inuocentur Ethnico more.

QVÆ FVIT IGITVR doctrina Stephani?

IVdæi accusant eum quòd contra templum et contra legem blasphemias dixerit. Magna controuersia fuit, & de re omnium maxima, uidelicet de lege Dei, & cultu quem instituerat: hæc Stephanus dicit Deo displicere, & interitura esse. Hæc aduersarij iudicabant esse crimina contra primam tabulam, blasphema, seu hæretica, deinde etiam seditiosa: quia hæc doctrina distractionem faciebat istius politiæ. Semper existunt similes contentiones, quoties Deus emendat

dat Ecclesiam, Hypocritæ clamitant cultum Dei labefactari, sapientes queruntur distrahi imperia.

QVID IGITVR DISCENDVM est ex hac Stephani historia?

Mandatum de confessione doctrinæ anteferendum omnibus scandalis.

PRimùm hoc in genere discatur, quòd necesse sit mandatum de confessione illis querelis anteferre. Graue crimen est, quòd dicunt aduersarij aboleri à nobis cultum Dei, & legibus taxatis confirmari licentiam. Graue est & alterum crimen, quòd dicimur distrahere Respub. mutato genere doctrinæ. His accusationibus homo modestus non potest non moueri, sed tamen anteferendum est mandatum de confessione: Si quis negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre cœlesti.

Stephani doctrina de summa Euangelij.

SEcundò, doctrina ipsa cognoscatur. Stephanus docet ritus tẽpli non esse cultus Dei, et negat Iudæos iustos esse lege, negat peccatum tolli cultibus illis, prædicit & templi destructionẽ, et excidium totius politiæ, ut ostendat regnum Christi esse æternum regnum, et non mundanam politiam. In hac disputatione summa Euangelij comprehenditur: quia negat sacrificijs tolli peccata, ostendit propter Messiam donari remissionem peccatorum, quia negat ritus templi esse cultus Dei, mõstrat alios, scilicet pœnitentiã, fidem, inuocationem, fiduciam Messiæ, qua incoatur in nobis noua lux, noua obedientia, & uita æterna, sicut Christus inquit, Hæc est uita æterna, ut agnoscant te Deum uerum, & quem misisti Iesum esse Christum.

Status concionis Stephani.

Has res, uidelicet pœnitentiam, fidem, inuocationem, nouam obedientiam spiritualem, dixit Stephanus ueros esse cultos, & propter has res missum esse filium Dei, non ut occuparet mundi imperium. Ideoq; testatus est templum & ritus interituros esse, ut extet testimonium iudicij Dei, quòd hi ritus non sint iusticia regni Meßiæ.

Disputatio quale sit regnum Messiæ.

Hanc eandem sententiam in longa concione posteà tractat Stephanus, cuius cõcionis hic est status: Quòd datæ sint promißiones de uenturo Meßia, & fuerit Ecclesia etiam cùm nondum esset templum: nec cultum uerũ esse hos ritus templi, sed credere Dei promißionibus de Meßia, & in hac fide eum inuocare.

Eandem doctrinam complectitur disputatio, quæ affirmat regnum Christi non esse mundanum, quia statim quærendum est, cur passus sit, scilicet ut esset uictima pro peccato. Item, quale sit regnum, quæ sint eius beneficia, uidelicet, remißio peccati, incoatio uitæ æternæ per Spiritum sanctum, & donatio uitæ æternæ. Hæc beneficia incoantur in hac uita per fidem. Et ex hac hypothesi sequebantur illa: ut constaret regnum Meßiæ non esse mundanum, secuturum esse excidium urbis, templi, & totius politiæ Iudaicæ, sicut Daniel prædixerat.

Prædictiones Prophetica de interitu politiæ Mosaicæ.

Hæc disputata sunt à Stephano, qui facilè poterat conuincere Iudæos. Daniel clarè prædixit urbis excidium, mox post aduentum Meßiæ, Hinc perspicuè sequitur, regnum Meßiæ non esse mundanum. Item, ritus

ritus templi non esse ueros cultus: non enim interirent, sed alios cultus describit Ieremias: Ecce dabo legem meam in corda eorum. Item, Omnis qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Item in Psalmo: Tu es sacerdos secundum ordinem Melchizedech, interibit igitur sacerdotium Leui.

DE TERTIO.

Testimonium Christi regnantis Stephano ostensum.

Dictum est de doctrina Stephani: pertinet autem ad doctrinam testimonium Stephani, quòd affirmat se uidere Christum stantem ad dextram Dei. Nam hoc exemplo monemur, quale sit regnum Christi, non ita discesßit, ut negligat Ecclesiam, sed uerè eam respicit, adest ei, propugnat eam, iuuat morientes, sicut ipse dicit, Sine me nihil potestis facere. Item, Pater meus usq; modò operatur, & ego operor. Item, Vbicunq; sunt congregati duo aut tres in nomine meo, in medio eorum sum.

Nec frustrà se hic ostendit Stephano, nec propter ipsum tantùm, sed multò magis propter uniuersam Ecclesiam, sic omnes pij in omnibus periculis, sic in morte respici se et curari statuant, perinde ac si oculis Christum cernerent, ut uidit Stephanus. Ideo hoc exemplum infigamus animis, ut quotidiè nos de regno Christi admoneat, ut cogitemus non ociosum esse, sed uerè opitulari eum, & dare æterna bona.

QVARTO DE PASsione Stephani.

Quare sancti subijciantur cruci

IVdæi expectabant Meßiam daturum imperia & opes: at exemplum Stephani ostendit, in hac uita Ecclesiam subiectam esse cruci, sed accipere iusticiam, Spiritum sanctum, & donari post hanc uitam æterna gloria, Ideo Stephanus interficitur, ut reliqui discerent, regnum Meßiæ non esse mundanum imperium, & suaue ocium. Absurdum autem uidetur rationi humanæ, iustos & populum Dei, tamen oportere subiectos esse ærumnis, & quidem multò durius premi, quàm ullos alios homines: Impij tenent magna imperia, ut nunc Turci & alij tyranni. Interim Ecclesia est miserabilis cœtus, & uerè, ut Psalmus ait, oues destinatæ ad mactationem. Nec leuiter ostendit hæc species iudicia humana. Sed Ecclesia scit causas, cur sit subiecta cruci. Estq; hæc peculiaris & propria sapientia Ecclesiæ, ignota rationi humanæ.

Caussæ afflictionum Ecclesiæ.

Nobis igitur hæ caussæ notæ esse debent, ut Deo obediamus in afflictionibus, & expectemus liberationem integram in uita æterna.

I.

Est autem hæc præcipua caussa, cùm natura hominum sit immersa peccato, Deus subiecit totum genus humanum morti, & multis ærumnis, ut agnoscamus iram Dei aduersus peccatum, & uocemur ad pœnitentiam. Ac præcipuè Ecclesia subijcitur cruci, quia Deus uult ipsam agnoscere iram aduersus peccatum, uult augeri pœnitentiam, cùm reliqua pars hominum nihil curet iram Dei, & furens contemnat peccatum & pœnas.

Præterea

Præterea Sanctorum afflictiones sunt testimonia doctrinæ, tunc apparet eos seriò sentire, quòd profitentur, cùm nullis periculis deterrētur à confessione. II.

Sunt item testimonia futuræ uitæ, cùm uidemus Paulum interfici ab impurißimo tyranno, intelligimus certò restare aliud iudicium, in quo Nero pœnas dabit, quia Paulum non negligi priora testimonia ostendunt, in quibus declarauit Deus sibi illum curæ esse. Sunt & aliæ caussæ, quas aliàs recitaui. III.

Exemplum uerò Stephani de utraq; re nos admoneat, & quòd Ecclesia sit subiecta cruci, & quòd tamen aßit suis in cruce filius Dei, sicut hìc præsens à Stephano cernitur. Est & hoc obseruandum, etsi aliqua membra, ut in acie interficiuntur, tamen non deletur tota Ecclesia funditus, manet semper aliquis cœtus, ut propagetur doctrina, ideo fiunt etiam liberationes corporales, ut Petrus & Paulus educuntur ex carcere, Daniel seruatur inter leones.

Consolationes in afflictionibus et liberationes.

DE QVINTO.

Diligenter obseruanda est precatio Stephani directa ad Christum. Domine Iesu, accipe spiritum meum. Hæc confessio, quòd filius Dei sit natura Deus, & omnipotens, quia eum inuocat, item quia ipsi commendat spiritum, testatur esse omnipotentem, qui spiritum corpori redditurus sit, sicut Ioan: 5. inquit, Sicut Pater uiuificat mortuos, ita & Filius, quos uult, uiuificat.

Oratio directa ad Christum.

Rectè igitur oramus utroq; modo, iuua nos Deus æterne Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum, & conseruator, & exaudi propter Filium: & tu Domine Iesu Christe iuua nos. Et cùm sic dicimus, Deum qui se per Christum patefecit, & in Christo habitat corporaliter, inuocamus, & simul fatemur, huic Filio regnum à Patre esse traditum, sicut ipse inquit, Matth: ult. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, agnoscimus eum esse caput Ecclesiæ, efficax in membris, ut Ephes: 1. dicitur.

DIE IOANNIS *EVANGELISTÆ.*

EVANGELIVM, Iohan. XXI.

DIxit Iesus Petro: Amen amen dico tibi, cum esses iunior cingebas te, & ambulabas quo uolebas, cum autem senueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quo non uis. Hoc autem dicebat significans quali morte esset glorificaturus Deum. Et cum hoc dixisset, dicit ei, Sequere me. Conuersus autem Petrus, uidit discipulum,

lum, quem diligebat Iesus, sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit, Domine, quis est qui tradet te? Hunc cum uidisset Petrus, dicit Iesu, Domine hic autem quid? Dicit ei Iesus, Si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te? Tu me sequere. Exijt ergo sermo iste inter fratres, q̃ ille discipulus non moritur. Et non dixit illi Iesus; quod non moritur, sed, si eum uolo manere donec ueniam, quid ad te?

ter: Hic est discipulus, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, Et scimus, quod uerum est testimonium eius.

Duo sunt præcipui loci.

I. De disciplina & obedientia spirituali in afflictionbus.

II. De sua cuiusq; uocatione.

DE PRIMO.

De disciplina.

CVm inquit in textu, Cùm esses iunior cingebas teipsum, etc. Hæc uerba discernunt disciplinam à spirituali obedientia. Est autem disciplina diligentia humanæ mentis, seu liberi arbitrij, qua uoluntas præstat legis opera, & uitat prohibita. Hanc requirit Deus ab omnibus hominibus. Sicut clarè docent dicta de pœnis, Qui gladium acceperit, gladio peribit. Item, Fornicatores & adulteros iudicabit Deus. Item, Propter hæc uenit ira Dei super inobedientes.

Caussæ propter quas disciplina præstanda est.

Et sæpè dicimus quatuor caussas esse, propter quas disciplinam præstare necesse est. PRIMA est, quia mandata est à Deo. SECVNDA, ut uitentur pœnæ. TERTIA, propter aliorum tranquillitatem. QVARTA, quia est pædagogia in Christum, quia perseuerantes in delictis contra conscientiam, repellunt Spiritum sanctum, nec potest existere fides in mente, quæ ruit contra conscientiam. Ideo ut lucere fides incipiat, desinas agere contra conscientiam.

Porrò

Porrò hæc gubernatio morum, est quædam diligentia liberi arbitrij. Ideo inquit, Cingebas te ipse, id est, regebas tuos mores, tua quadam diligentia, & hanc diligentiam solam existimabas esse cultum, expectabas etiam præmia pro hoc cultu, scilicet tranquillitatem in hac uita, & præmia post hanc uitam.

Obedientia in adflictionibus proprius cultus regni Christi.

Quanquam autem in credente hæc diligentia est cultus, & habet præmia, tamen hic monet Christus, alios esse maiores cultus, scilicet obedientiam in afflictionibus. Refutat enim opinionem Iudaicam de iustitia, & de regno Messiæ. Pharisæi tantùm de iustitia operum concionabantur, de præmijs, de pace, de tranquillitate. Sicut semper humana sapientia solam hanc disciplinam magnifacit, & dirigit eam ad istum finem, uidelicet ad tranquillitatem. Ita & de regno Messiæ cogitabant Apostoli, futuram honestam & tranquillam politiam.

Sed Christus taxat has opiniones, imò, inquit, regnum Messiæ alios cultus, & alias res afferet. Confessio Euangelij irritabit Diabolum & eius organa. Ideo Tyranni in uos grassabuntur, & ducent quò non uoletis. Scitote igitur Ecclesiam subiectam esse cruci, & uos non tantùm priore disciplina, sed etiam hac obedientia in afflictionibus Deo seruituros esse, non somniate uobis ocium in regno Messiæ, sed labores, certamina, supplicia expectate, & uos confirmate, ut in his præstetis obedientiam.

Doctrina pædagogica & ciuilis est, quòd moderatio

ratio morum afferat tranquillitatem: Sed Ecclesia habet superiorem quandam sapientiam, non intellectam mundo, quòd uidelicet totum genus humanum omnibus calamitatibus subiectum sit, propter iram Dei aduersus peccatum. Sed quia Deus uult agnosci peccatum, & iram in Ecclesia, & uult eam uocari ad pœnitentiam, ideo magis Ecclesia subiecta est cruci, quàm cæteri homines. Sicut scriptum est: Iudicium à domo Dei incipit. Sed post mortem abolito peccato, glorificabitur Ecclesia.

Ecclesia subiecta est cruci magis quàm alij homines.

Docet igitur Apostolos hoc loco Christus de rebus maximis, uidelicet, Ecclesiam subiectam esse cruci. Alius ducet te, quò non uis, inquit, & monet, hos esse præcipuos cultus, obedire in his afflictionibus, & addere fidem, inuocationem, spem auxilij & liberationis. Sicut scriptum est, Humiliamini sub potenti manu Dei, id est, quæ & potenter affligit, & potenter liberat. Item, Propter te mactamur tota die. Item, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Item, Sacrificate sacrificium iusticiæ, & sperate in Domino.

Discrimen Philosophiæ & spiritualis doctrinæ de afflictionibus.

Philosophia longè aliter iudicat, quæ cogitat benè moratis debere benè esse, nec uidet, cur boni sint in calamitatibus, Ideoq; existimat à Deo desertos esse, uel disputat homines non esse curæ Deo. Sed Ecclesia nouit doctrinam, de peccato, & de ira Dei, & de filio Dei, & de futura glorificatione. Item, Sola doctrina Ecclesiæ testatur, Deum uerè uelle recipere et liberare.

liberare afflictos. Ideo Psalmus inquit in propriis laudibus Dei: Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum. Psalmo CXLVI.

DE SECVNDO.

Dissimilitudo & discrimina uocationum.

HVmanæ mentes, cùm dissimilia dona, dissimiles euentus, dissimiles afflictiones uident, uariè turbantur. Saul uidens antecellere Dauidem, accenditur inuidia. Nos, quia non possumus imitari egregias uirtutes Pauli, impellimur ad desperationem. Monachus uidens exercitia Antonij, imitatur exemplum, & excogitat nouum cultum. Deniq; uniuersaliter dissimilitudo rerum parit aut inuidiam, aut κακοζηλίαν, aut desperationem, Imò propter dissimiles casus qui bonis accidunt, confirmantur opiniones Epicureæ.

Aduersus hæc praua iudicia omnia, traditur hìc utilis regula, Vna sit & similis fides erga Deum in sanctis. Sed diuersas & dissimiles uocationes esse necesse est. Ideo inquit, Si illum uolo manere, quid ad te? Id est, ne turberis dissimili exemplo alienæ uocationis, Tu me sequere. Vna sit & similis fides erga uocantem, Sed suæ quisq; uocationi obtemperet, in hac seruiat pro mediocritate sui doni. Sicut et Paulus inquit Roma: 12. Nemo aspiret ad ulteriora quàm conuenit, sed sentiat et agat modestè iuxta mensuram sui doni. Si Deus uult Dauidem antecellere, boni consulat id Saul, & agat gratias Deo, quòd et ipsum ornarit, & nunc det magis idoneos ministros, agnoscat successus à Deo esse, nec esse in potestate hominum.

Con-

Concedat igitur Deo, ut distribuat eos suo consilio. Sicut Ioannes inquit, Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum desuper, & agat gratias Deo, quòd pro salute populi excitat plures ministros & oret, ut hæc beneficia cumulet. Quid est indignius, quàm irasci Deo pro beneficio? Optandum erat Sauli, ut multa præsidia regno relinqueret similia Dauidi.

Sic quilibet nostrum uidens alterum excellere Deo gratias agat pro his donis, gratuletur Reipub. & oret Deum, ut hæc beneficia cumulet. Vt in Num: cap. 11. Cùm Iosue hortatus esset Moysen, ne concederet prophetare ijs, qui non erant in numero gubernatorum, respondet Moyses. Quid meo honori metuis? Vtinam omnis populus prophetet, quia dabit Dominus spiritum suum super eos. Et Paulus inquit, Ne extinguatis spiritus, sed probetis. Gratulemur igitur dona Dei nobis, Ecclesiæ & Reipub. non certemus æmulatione, discamus item discernere fidem & uocationes, Fides similis sit omnium, credere quòd propter Filium Dei placeamus. Hac fide Deum inuocemus, siue magnis, siue paruis donis præditi sumus, siue sumus in rebus secundis, siue in aduersis. Cæterùm uocationum magna est differentia, alius aliud officium sustinet, alius aliter affligitur, alius alia dona habet. Dauidem uocat Deus ad regnum, non uocat Ionathan. Ionathan quanquam pium & benè meritum sinit Deus interfici. Roboam quanquam

Eadem fit fides in uarietate uocationum.

quam ignauus & malus, non interficitur. Hæc uarietate uel dissimilitudine non impellamur uel ad æmulationem, uel ad desperationem, uel ad κακοζηλίαν, sed unusquisq; in sua uocatione uel afflictione præstet obedientiam, sicut hic dicitur, Tu me sequere. Et de afflictionibus inquit Christus, Si quis me uult sequi, tollat crucem suam, & sequatur me. Suam, inquit, uidelicet non alienam.

Præceptum de studio agendi opera uocationis.

Ita de officijs multa extant præcepta 1. Corint: 7. Quisq; in uocatione, in qua uocatus est, maneat. 1. Thessal: 4. Adhortamur uos fratres, ut in hac re excellere singulari diligentia conemini, studio tranquillitatis, & agendi res proprias, Ac Paulus insigni uocabulo usus est. Ambitiosè hoc agatis, tanquam eximium decus appetite studium agendi res proprias, Alios ambitio & cupiditas gloriæ impellit, ut multa & aliena suscipiant, & currant extra metas, uos expetite hanc gloriam, quam hæc uirtus parit, uidelicet, sedulitas obeundi proprij muneris. Est enim hæc uirtus media inter ignauiam & πολυπραγμοσύνην. Item Petrus uetat esse ἀλλοτριοεπισκόπους, ingerentes se alienæ administrationi. Ac in gubernatione uidemus quantum mali sit, cùm conturbantur officia, cùm doctores Ecclesiarum uolunt regere negocia politica, & ut Aristophanes de Cleone dixit, alterum pedem habent in curia, alterum in castris. Aut econtra, potentes uolunt dominari Ecclesijs, & religiones ad sua iudicia inflectunt. Sæpè hæc confusio nocuit

Damna & pœnæ πολυπραγμοσύνης.

Ecclesiæ. Hic utrique moneantur dicto Petri, ne sint ἀλλοτριοεπίσκοποι. Item, Christus noluit politica iudicia exercere, cùm diceret: Quis me constituit iudicem inter uos?

Et quanquam pios dicta Apostolica mouere debent, ut propter Deum præstent in uocatione obedientiam, tamen etiam pœnæ & incommoda quæ sequuntur πολυπραγμοσύνην moneant sanos, ut eam fugiant. Quia Deus promisit auxilium ijs, qui in uocatione seruiunt, sicut dictum est, Commenda Domino uiam tuam, & ipse faciet. Econtra ut prohibet irruere in alienas uocationes, prohibet item fiduciam propriæ industriæ & sapientiæ, ita destituit suscipientes, aliena contra mandatum Dei. Nunquam est sapientia felix sine Deo. Ideo dicitur in Salomone, Penes me est consilium et successus. Et suprà dictum est, Non potest homo sibi quicquam sumere, nisi sit ei datum desuper. Docuit autem & Ethnicos experientia confusionem uocationum perniciosam & uitandam esse, Ideo de cura proprij muneris dictum est, Spartam nactus es, hanc orna. Item, Eques equitare didicit, Cantor cantare. Item, aliud est sceptrum, aliud plectrum.

Hæc omnia complectitur doctrina de uocatione, de qua hîc dicitur. Tu me sequere. Præcipuè uerò sciamus hanc concionem oppositam esse humanis iudicijs, quæ propter dissimilia dona, & dissimiles afflictiones, uel de prouidentia Dei, uel de gratia dubitant.

ant. Sciamus non ideo nos reiectos esse, etiamsi donis sumus inferiores, quàm Apostoli & Prophetæ, sed simili fide Deum inuocemus, & eam exerceamus unusquisq; in suo ministerio, & uocatione quantumuis humili.

DE CONVERSIONE D. PAVLI APOSTOLI.

HISTORIA.

Acto. IX.

SAulus autem adhuc ſpirans minas & cædem in diſcipulos Domini, acceſſit ad principem Sacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas Damaſcum uerſus ad Synagogas, ut ſi quos inueniſſet huius uiæ uiros ac mulieres, uinctos duceret in Ieruſalem.

Cum autem iter faceret, factum eſt, ut appropinquaret Damaſco, & ſubito circumfulgurauit eum lux de cœlo, & collapſus in terram, audiuit uocem dicentem ſibi: Saul, Saul, quid me perſequeris? Dixit autem, Quis es Domine, Dominus autem dixit, Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris, Durum eſt tibi contra ſtimulos calcitrare. Et tremens ac pauefactus dixit, Domine, quid me uis facere? Et Dominus ad eum, Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere.

Viri autem qui comitabantur eum, ſteterunt attoniti, audientes quidem uocem, neminem autem uidentes. Surrexit autem Saulus de terra, apertiſq; oculis ſuis, neminem uidebat. Ducentes

tes autem eum manu, introduxerunt Damaſcum. Et erat tribus diebus non uidens, & non manducauit neq; bibit.

Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias. Et dixit ad illum in uiſione Dominus: Anania. Ille autem ait, Ecce ego Domine. Dominus autem ad eum: Surge, uade in uicum, qui uocatur rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem, ecce enim orat, & uidit in uiſione uirum Ananiam nomine introire, & imponere ſibi manũ, ut uiſum recipiat.

Reſpondit autem Ananias: Domine, audiui à multis de uiro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis in Ieruſalem. Et hic habet poteſtatem à principibus ſacerdotum uinciendi omnes, qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus. Vade, quoniam electum uas eſt mihi iſte, ut portet nomen meum coram gentibus & Regibus, & filijs Iſraël. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eũ pro nomine meo pati.

Abijt autem Ananias, et introiuit in domum, & imponens ei manus, dixit, Saul frater, Dominus misit me, qui apparuit tibi in uia, qua ueniebas, ut uideas, & implearis Spiritu sancto. Et confestim deciderunt ab oculis eius, tanquam squamæ, uisumq; recepit. Et surrexit ac baptisatus est, Et cum accepisset cibum, confortatus est.

Fuit autem Saulus cum discipulis qui erant Damasci, per dies aliquot. Et continuò in Synagogis prædicabat Christum, quòd is est filius Dei. Stupebant autem omnes qui audiebant, et dicebant, Nonne hic est qui expugnauit in Ierusalem eos, qui nomen inuocant illud? Et huc ad hoc uenit, ut uinctos illos duceret ad principes sacerdotum. Saulus autem multò magis confortabatur, & confundebat Iudæos, qui habitabant Damasci, affirmans quòd hic est Christus.

Septem sunt loci præcipui.

I. *Qualis dispersio sit Ecclesiæ.*

II. *Quòd*

II. *Quòd Deus conseruet, & subinde remouet ministerium.*

III. *Quòd miserit Apostolos singulari modo, sine politica gloria, qualem habuerant Prophetæ.*

IIII. *Quòd uirtutes singulorum diligenter considerandæ sunt, Primùm, ut Deo gratias agamus quòd instaurat ministerium, ne totum humanum genus pereat. Deinde, ut ministerium ipsum rectius intelligamus. Item, ut aliquo modo diligentiam imitemur. Postremò, ut oremus Deum, ut nos faciat ministros utiles, nec sinat nos tantùm esse inania onera terræ, aut pestes generis humani. Ingens enim donum Dei est, ita gubernare, ut res utiles geras, ut politia Themistoclis fuit utilis patriæ, Politia Periclis, etiamsi erat splendida, tamen non fuit patriæ salutaris.*

V. *Proprium munus Pauli fuit, quòd illustrauit discrimen Legis & Euangelij, refutauit opinionem infixam animis omnium hominum, qua imaginamur nos Lege & nostris uirtutibus mereri remißionem peccatorum, & iustos esse. Hic contra monstrat filium Dei, & contendit, propter hunc Mediatorem gratis fide consequi remißionem*

nem credentes, & pronunciari iustos, & sic incoari in nobis uitam æternam.

Et ut hanc gratuitam condonationem prædicaret orbi, singulari modo uocatus est, ut cùm fuisset hostis, suo testimonio ostenderet, gratis recipi credentes, et non afferentes merita. Illustrat & alias partes doctrinæ, discrimen spiritualis & politicæ iusticiæ, discrimen Ecclesiæ & imperiorum. Munit & pacem, docens, politias esse res à Deo ordinatas.

VI. Docuit circiter annos XXXVI. tot .n. sunt anni à XXXIIII. Christi anno ad ultimum Neronis. Etsi autem & peregrinationes ærumnosæ, & pericula eius in actis describuntur, tamen nemo existimet uerbis describi posse ullius gubernatoris miserias præcipuas: Excruciantur animi assiduis curis & angoribus, quos perferre nemo unquam potuisset, nisi Deus adderet uires, & regeret impetus & occasiones negociorum.

VII. Studiosi etiam eruditionem Pauli considerent. Nam uerba & ratio disputandi manifestè ostendunt fuisse studiosum & excultum doctrina: & homo politicus facilè animaduertet in ijs præceptis, quæ tradit de gubernatione, contineri res non uulgares, sed ea quæ præcipuè prouidenda sunt sapienti & sagaci gubernatori, & significari neruos boni status. Item, semina uariarum inclinationum.

DE PRIMO.

Ecclesia dispersa in mundo.

DAniel totum tempus ab exilio Babylonico uocat dispersionem populi Dei, significans post id tempus, etsi usq; ad Christum mansura erat politia Iudaica, tamen & ipsam miserè quassandam esse, & postea non fore certam sedem Ecclesiæ, aut unum aliquod regnum usq; ad finem huius mundi, ut homines quærunt animis & oculis certam sedem & certum regnum, in quo conseruetur Ecclesia. Sed dispersionem uocat, ac significat magnas fore regnorum mutationes, sub quibus reliquiæ quantulæcunq; erunt, sicut Apostolorum & Martyrum tempore oculi testantur, Ecclesiam fuisse dißipatos cœtus, & sine certo imperio. Postea hæretici & sequentia regna fecerunt nouas dispersiones, ut uidemus Ecclesiam sub Turcis & alijs regibus tristi seruitute premi.

Discamus igitur nosse Ecclesiam, & somnia de imperijs deponamus. Sperabant & Apostoli auream ætatem, et politias pulcrè constitutas, quæ uidentur futura perpetua & certa domicilia Euangelij. Hoc somnium cõmune est omnium hominum, sed aliter de Ecclesia uaticinatur Scriptura, & experientia consentit cum scriptura. Confirmemus igitur animos, & sciamus nos nobiscũ circumferre Ecclesiam, ubicunq;

terrarum sumus, si didicerimus & retinebimus Euangelium, sicut inquit Christus, Si uerba mea manserint in uobis, quicquid petetis, fiet uobis, &c. Et sciamus tales aliquas reliquias semper à Deo seruari, deniq; parati simus ad exilia & alias ærumnas.

Illud autem hìc deplorandum est, maximam generis humani partem tantùm ad exitium nasci, ut in Psalmo tristissima uoce dicitur: Nunquid uanè constituisti omnes filios hominum? Hac consideratione nos ad timorem Dei, & ad studium Euangelij excitemus.

Psalmo LXXXVIII

DE SECVNDO.

Paulus citat ex Psalmo dictum illud: Ascendit dedit dona hominibus. Et ex hoc testimonio docet diuinitus mitti doctores & gubernatores Ecclesiæ. Lux Euangelij facilè & sæpè in mundo obscuratur, ideo subinde missi sunt instauratores ueræ doctrinæ, ut post interfectum Abel, excitatus est Seth, post Ioseph Moyses, post longum interuallum Samuel, deinde Helias, Elisæus, postea Ieremias, Daniel, Baptista, Christus, Apostoli, & deinceps in Ecclesia subinde aliquos Deus excitauit, qui doctrinam repurgarent, ut Athanasium, Augustinum, & aliquos similes. Hæc consideremus, & Deo gratias agamus pro his muneribus, et discamus regi et seruari Ecclesiã diuinitus.

Diuina instauratio Euangelij.

DE TERTIO.

Homines politici, cùm historias ueteres considerant, mirantur quidẽ Prophetas, quia uident eos

eos rexisse imperia, ut Samuelem, Heliam, Elisæum, Esaiam, Ieremiam, Danielem, & alios. Sed Apostolos cogitant fuisse ignauos, errones, nec intelligunt principale munus. Sed nos sciamus principale officium Prophetarum fuisse, renouare & illustrare promissionem de Messia, docere de remissione peccatorum propter Messiam, & de uera inuocatione Dei, sicut in actis clarè dicitur, Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes, qui credunt in eum. Hæc uox est ipsum Euangelium de uita æterna.

Discrimen inter uocationem Propheticam et Apostolicam.

Quia uerò Deus ante natũ Christũ uoluit esse certam politiam, in qua nasceretur Christus, et extarent certa testimonia de uerbo eius. Ideo Prophetæ nõ solo ministerio Euangelij, sed etiam politico fungebantur, uel erant duces ipsi, uel ducum gubernatores, ut Elisæus, Esaias. Hæc gloria magis incurrit in oculos, quàm ministerium de rebus æternis, cùm tamen hæc politica bona sint peritura. Sed illa gloriosa facta erant testimonia, quæ ostendebant, isti populo uerè adesse Deum, & uerè ei traditum esse uerbum Dei.

Quare Prophetæ etiam politiam gubernarint.

Sciamus ergo Apostolos singulari consilio missos esse sine politico munere, quia circa finem mundi ueniunt post exhibitum Christum, annunciantes breui futuram esse resurrectionem mortuorum, et colligunt undiq; Ecclesiam ex imperijs, non constituunt noua imperia, siue Romani, siue Parthi, siue Gotthi regnẽt, nihil ad Apostolos, sed ipsi ex omnibus colligunt Ecclesiam,

Apostoli sine politico munere missi.

Ecclesiam, Sic nos iam ueram doctrinam spargamus, quocunq; ruant imperia, nec erit labor irritus.

Et fortassis ideo Deus excitauit lucem Euangelij, ut homines retineant certiorem doctrinam, si paulò pòst concussio regnorum magis dispergat Ecclesias, sicut nunc fit in Pannonijs. Quanquam autem non sunt certa imperia post Apostolos, quæ foueant Ecclesiam, tamen Deus aliqua domicilia curat, alibi magis, alibi minus tranquilla, sicut Christo dedit præsepe, & Paulo interdum aliquem præsidem.

DE QVARTO.

Exempla doctrinæ et uitæ spiritualis.

DVæ res in singulis Prophetis et Apostolis considerandæ sunt: Doctrina, & priuatæ uirtutes. Cùm enim doctrinam consideramus, & discernimus ab humana sapientia, melius intelligere res magnas discimus, quas Deus in Euangelio monstrat et exhibet. Deinde uirtutum consideratio prodest. Quanquam enim gradus Apostolicos non assequimur, tamen quoniam initia omnium communia esse debent, hæc exempla nobis ad imitandum diuinitus proposita sunt. Etiamsi languidior est tua fides aut obedientia, quàm Dauidis & Pauli, tamen initia fidei & obedientiæ in omnibus nobis esse debent, & exempla Dauidis & Pauli monent, ut agamus pœnitentiam, credamus nos recipi in gratiam, sicut illi crediderunt, inuocemus, simus obedientes, diligentes in uocatione, frenemus etiam corpus, sicut Paulus inquit, Castigo corpus meum, Deniq; multa utilia exempla

empla à multis sumere possumus, Sed tamen uidendum est, quæ exempla conueniant nostræ uocationi. Item, quæ ad regulam conueniant.

Gratiæ agendæ pro datis doctoribus, & orandum ut seruetur Ecclesia.

Sed in hoc loco non de sola imitatione dicendum est, maius quiddam accedat, agamus gratias Deo, quòd miserit doctores, quòd per eos fuit efficax, quòd addidit sua testimonia, quòd tradidit nobis uerbum, per quod impertit uitam æternam. Et oremus ut seruet Ecclesiam. Item, ut nos ipsos faciat organa utilia, nec abijciat inter uasa iræ.

Felices et infelices gubernatores.

Ioannes inquit, Non potest sibi homo sumere quicquam, nisi sit ei datum desuper, ideo non omnis sapientum industria est felix. Themistoclis consilia fuerunt felicia, Periclis & Demosthenis imitatio non fuit felix. Samuel, Dauid, Iosaphat, Ezechias fuerunt felices: Achas, Achab infelices, pernicioſi sibi, alijs & reipub. Tales uocat Paulus ad omne opus bonum reprobos, id est, infelices, qui non faciunt alijs salutaria, Græci uocant ἀλάσορας, & describuntur in Psalmo, Induit maledictionem sicut uestimentum. Augustini politia fuit felix, Samosateni & Arrij infelix.

Hæc discrimina monent nos, quantum in uita sit periculi, quanta ira Dei aduersus maledictos, quanta hominum imbecillitas. Ideo uerè oremus, ut Deus faciat nos utilia & salutaria organa, sicut in Psalmo 1. sanctis promittit: Et folium eius non defluet, & omnia quæ faciet, prosperabuntur.

DE QVINTO.

Diligen-

Discrimen doctrinæ Apostolicæ & Philosophicæ.

Diligenter discernenda sunt genera doctrinarum. Homines prophani cogitant nihil interesse inter Apostolos et Theognidem, id est, putant eos circumferre præcepta de moribus. Hæc cœcitas tuxanda est in Ecclesia, & monstrandum discrimen legis & Euangelij, Legis noticia insita est sanis, sicut numerorum noticia. Sed Euangelium, id est, promissio reconciliationis gratuitæ propter Filium, reuelata est uoce Dei, & tradita patribus, & propagata uoce Prophetarum, Christi & Apostolorum.

De hac arcana sapientia inquit Ioannes: Filius qui est in sinu Patris, ipse enarrauit nobis. Vnde scires te recipi à Deo, & gratis recipi propter Filium, & uerè exaudiri, iuuari & donari uita æterna, nisi Deus patefecisset hanc arcanam suam uoluntatem, quam nulla creatura cernere aut deprehendere potuisset, eo non monstrante. Nec inuocatio sine cognitione huius discriminis fieri potest, semper enim obstrepit iudicium legis rationi insitum, quæ cogitat Deum non exaudire indignos. At Euangelium iubet accedere ad Deum, iubet credere quòd propter Filium certò recipiamur, & exaudiamur. Hæc doctrina usu discenda eis, & cùm eam exercemus, iuuamur à Spiritu sancto. Nam ratio ægrè assentitur, & hanc uoluntatem Dei difficulter amplectitur.

Discrimen Legis & Euangelij pe-

Maximè autem hic locus à Paulo illustratus est, qui diligenter discernit legem ab Euangelio, & diserte facit mentionem exclusiuæ, Gratis, & contendit fide,

de, id est, fiducia misericordiæ propter Mediatorem accipi reconciliationem, non propter proprias uirtutes, & prohibet dubitationem: De his maximis rebus longè aliæ sunt imaginationes rationis, quas secuti Origenes & Monachi, magnas tenebras offuderunt Euangelio, quæ fugiendæ sunt, & retinenda simplex & uera sententia Pauli, quæ est perpetua uox ueræ Ecclesiæ Dei. Considerandus enim est consensus Propheticarum concionum, & Pauli.

culiariter à Paulo traditum.

ALIA BREVIS EXplicatio Historiæ de conuersione Pauli.

Præcipuus locus est in hac historia, quòd hoc exemplo Christus testatur se gratis donare remissionem peccatorum credentibus. Quia Paulus non affert merita, sed horribilia peccata. Item exemplum hoc opponendum est magnitudini peccatorum, sicut plerunq; diabolus aliquo præcipuo peccato, oppugnat conscientias, & singulari uulnere labefacit fidem. Aduersus has tentationes opponatur hæc sententia, Gratia exuberat supra peccatum. Et adiungantur exempla Dauidis, Pauli & Manassæ. Sic proponit exemplum suæ conuersionis Paulus ipse ad Timotheum, inquiens: Christus uenit in hunc mundum peccatores saluos facere, quorum primus ego sum.

Exemplum gratuitæ remissionis peccatorum.

Deinde loci insunt multi,

I. Quan-

I. Quantum scelus sit sæuitia aduersus sanctos, quia Christus inquit seſe peti.

Pauli pœnitentia.

II. Exemplum pœnitentiæ, Hìc enim primùm describitur contritio, Paulus agnoscit peccatum, obtemperat, & uersatur in ingenti luctu & terroribus, sed tamen fides luctatur cum his terroribus, quia describitur orans, accedit igitur fides, quia Paulus baptizatur, & absoluitur per Ananiam. Sequuntur & fructus pœnitentiæ, confeßio & afflictiones.

III. In hac pœnitentia didicit, iusticiam Legis non esse iusticiam coram Deo, agnouit suas tenebras, se prius non rectè sensisse de lege, de Meßia, de Prophetarum promißionibus, &c.

Efficacia legis in Paulo.

Et huc pertinent uerba ad Rom: 7. Ego aliquando sine lege uixi, scilicet, securus, tumens persuasione iusticiæ, Postea me lex occidit, id est, perterrefacto monstrauit tenebras meas, errores, multiplicia peccata, & immundiciem naturæ, superbiam, contemtum Dei, diffidentiam, fiduciam nostrorum consiliorum, &c. In his pauoribus agnouit quid Lex uelit, quid sit peccatum, quid mors, & intellexit Meßiam nos ab illis ueris & æternis malis liberare. Hoc significant squamæ decidentes ab oculis. Et tales pauores sunt uera contritio, de qua in doctrina de pœnitentia dicendum est. Sicut in Psalmo sæpè describitur contritio: A facie peccatorum meorum non est pax ossibus meis, &c.

Oremus igitur Deum, ut nos quoque uerè ad se conuertat.

conuertat. Sicut Ieremias inquit, Postquam ostendisti mihi, percußi femur meum. Nam in securis & ociosis non est pœnitentia, iuxta illud: Vbi habitabit Dominus? nisi in spiritu contrito, & tremente sermones meos, &c.

IIII. Cursus Pauli & aliorum Apostolorum, testatur, Ecclesiam diuinitus defendi & conseruari. Tantisper prædicat Paulus, & impediri eius cursus non potest, donec uoluit eum Dominus in isto stadio uersari, uidelicet annos ferè 36. Ita Prophetæ inter maxima pericula, tamen suos cursus perficiebant, ut Esaias annos ferè 80. Elisæus circiter 70. Ieremias 40. Ioannes Apostolus circiter centum annos.

Diuina defensio ministerij.

DIE PVRIFICATIONIS MARIÆ.

EVANGELIVM, Lucæ II.

POstquam impleti sunt dies purgationis eorum, secundũ legem Moysi, tulerunt illum in Ierusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, quod omne masculinum adaperiens uuluam, sanctum Domino uocabitur. Et ut darent hostiam,

secundum quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarum.

Et ecce, homo erat in Ierusalem,cui nomen Simeon, Et homo iste iustus et pius, expectans consolationem Israël, & Spiritus sanctus erat in eo, Et responsum acceperat ā Spiritu sancto, se non uisurum mortem, nisi prius uideret Christum Domini, Et uenit in spiritu in templum,

Et

Et cum inducerent puerum Iesum parentes, ut facerent secundum consuetudinem Legis pro eo,& ipse accepit eum in ulnas suas,& benedixit Deum,& dixit.

Nunc dimittis seruum tuum Domine,secundum uerbum tuum in pace. Quia uiderunt oculi mei salutare tuum,quod parasti ante faciem omnium populorum, Lumen ad reuelationem gentium,& gloriam plebis tuę Israël.

Et erant pater & mater eius mirantes super his,quæ dicebantur de illo.Et benedixit illis Simeon,& dixit ad Mariam matrem eius: Ecce positus est hic in ruinam & resurrectionem multorum in Israël,& in signum cui contradicetur,Quin & tuam ipsius animam pertransibit gladius, ut reuelentur ex multis cordibus cogitationes.

Sex sunt loci præcipui.

1. *Quid lex de immundis & de purificatione Leuitici* XII. *significet.*

II. Cur Maria, cùm non teneretur ea lege, tamen ei obtemperauerit.
III. Quid lex de primogenitis significet.
IIII. Testimonia de nato Messia Simeonis & Annæ.
V. Doctrina in dictis Simeonis de regno Christi.
VI. Doctrina de Cruce.

DE PRIMO.

Significatio legis de immundicia & purificatione puerperarum.

TOta hæc lex Moysi est pædagogia seu disciplina, non quidem tollens peccatum, sed de multis magnis rebus admonens populum, scilicet de peccato, & de futura liberatione. Ita hæc lex de immundis, quæ tamen conceptũ ex uirili semine pepererant, significabat propagari cum hac generatione peccatum, & naturam humanam ream esse. Admonebat igitur ceremonia pios, ut cogitarent de peccato propagato, & de causis humanarum calamitatum, & de ira Dei: deinde ut ad hanc tristem meditationem conferrent promissiones de futura liberatione, de electione huius populi, & inuocarent Deum fide, seu fiducia promissionum, &c.

Moralis caussa legis de puerperis.

Ad hos usus hæc symbola præcipuè instituta erãt, postea accedebant & aliæ rationes huius moris. Lex seruit utilitati corporis, & coërcet errantes libidines. Magnum miraculum est ipse partus, mirabili Dei ordinatione, coxæ quæ alioqui non mouentur suo loco, tamen in partu aperiuntur, & accedit ingens dolor,

lor, Deniq; sequitur partum magna corporis debilitas, quæ ipsa nos de primo lapsu admonet. Vt igitur parcatur corpori puerperæ, Deus aliquos dies ordinauit, quibus uult illam seruire suæ ualetudini, & uult Deus suo uerbo regi opus generationis, nec temerè uagari. Vult igitur interim à puerpera uirum abstinere, & sancit capitalem pœnam de hac re. Hæc moralia etiam hoc loco obseruanda sunt, quia moralia ad omnes homines pertinent, Deus nunc quoq; uult puerperas curare suam ualetudinem, ideo etsi certus numerus dierum, & sacrificia illa ad nos non pertinent, tamen genus ad nos pertinet.

Quòd uerò afferebant agnum, aut turtures, hic ritus non tollebat peccata, sed erat testimonium obseruati illius puerperij, & occasio docendi populi, cùm ueniebant ad templum, & hostiæ offerebantur, quia talibus officijs sacerdotes alendi erant. Cæterùm tectè significabatur uentura hostia.

DE SECVNDO.

MAria non tenebatur hac lege de immundis, quia lex disertè dicit de ea, quæ peperit conptum ex uirili semine. Hæc additio superuacanea fuisset, nisi tectè significaret quandam parituram esse sine uirili semine. Non igitur uult Deus accusare matrem Filij sui. Cur igitur obseruauit Maria ritum? Respondeo. Quatuor sunt caussæ, cur Christus circumcisionem & cæteros ritus omnes seruauit. Prima. Quia subiecit se Legi, ut subiret pœnam, quam

Caussæ cur Christus se subiecerit legi.

I.

II. minatur Lex pro peccatis generis humani. Secunda, ut constaret hunc Meßiam esse ex semine Abrahæ, oportebat eum in hoc populo uersari, & seruare ritus eosdem, præsertim cùm oportuerit exhiberi eum

III. isto populo. Tertia, quia oportuit Meßiam esse socium Ecclesiæ Dei, & non abesse à reliquo corpore Ecclesiæ, ut clara testimonia in Ecclesia de eo ederentur. Quarta, ut testimonia de eo illustria sparge-

IIII. rentur per ipsum ministerium, ut per Zachariam, Simeonem, Elisabeth, Annam & alios.

Maria præstat ceremonias legis propter conseruationem ministerij.

Parentes ergo cùm has caussas scirent, legi obtemperant, & monent nos, ut conseruationem ministerij adiuuemus, et declaremus nos esse membra ueræ Ecclesiæ. Et quòd Maria & Ioseph rectè fecerit ipse Deus testatur, qui hic insigni miraculo monet Simeonem & Annam, ut uaticinentur. Dicitur enim diserte, uenit motu Spiritus in templum. Discamus autem Deum adesse huic studio conseruandi communis ministerij, quia ipse est efficax per ministerium, Sicut dicit, Qui uos audit, me audit.

DE TERTIO.

Significatio legis de primogenitis Deo tradendis.

TER in Moyse est repetita lex de primogenitis masculis: Exod. 13. item 34. et Num. 8. et est adiuncta ἀντίθεσις, quia percussi primogenita Ægypti, posco uestra primogenita. Generaliter autem significatum est, hunc populum electum esse à Deo, ut in eo sit Ecclesia, Sicut autem subditus certo munere testatur se suo domino addictum esse: Ita uult Deus se agnosci

agnosci esse Dominum huius populi. Turcicus tyrannus ex singulis pagis & oppidis sumit decimũ quenque puerum, & deligit suo arbitrio. Hoc magno munere populus fatetur hunc esse dominum: sed hæc est misera seruitus ad exitium instituta, quod exempli caussa recito. Voluit Deus & sibi tradi primitias nascentium, ut agnosceret populus, sic uerè proprium esse Dei populum. Econtra uerò Ægyptiorum, & aliarum gentium primogenita reiecta esse.

Tantum Deus hos recipit, qui eius uerbum retinent.

Quid hæc tota imago significat? Hoc uidelicet omnes gentes reiectas esse, quæ non colunt Deum iuxta hoc uerbum traditum huic populo, hos uerè esse populum Dei, qui eum colunt iuxta uerbum, quo se patefecit in hoc populo. Et ut Turcica illa seruitus exitiosa est, ita hæc salutaris est.

Cultus sine uerbo reiecti.

Ac opponitur ritus opinionibus impijs, quæ aut omnes religiones pariter fingunt fabulosas esse, aut omnes pariter probãdas. Sed hic reijcit Deus primogenita Ægyptiorum, id est, reijcit cæteras gentes, cæteros cultus, & religiones, & claro signo testatur, se uerè esse Dominum huius populi, & curare hunc populum, qui amplectitur uerbum ab ipso traditum.

Traditio primogenitorum symbolum datæ promissionis.

Et hic ipse ritus referendus est ad promißionem additam circumcisioni, in qua clarè dicitur, Ego ero Deus eorum, id est, hos qui me inuocant propter semen promissum, recipiam, exaudiam, saluabo &c. Huius promißionis σύμβολα & repetitiones erant multæ aliæ ceremoniæ, sicut hæc ipsa seruitus, seu tra-

ditio primogenitorum. Hæc uerè,ut in foro,testimonium erat mutuum,quo ostendebatur Deum esse dominum huius populi,& hunc populum esse proprium Dei,sicut traditio puerorum apud Turcas dominium signficat.

Primogenita Deo debita propter conseruationem doctrinæ

Secundò, ut autem Dominij ratio primùm hæc complectitur,Dominum recipere hunc populum,exaudire,saluare,Ita è regione seruitus significat debita officia. Discenda & retinenda est doctrina Dei,& ei obediendum,instituendi liberi ad doctrinam, corpora & facultates seruiant in bello, & alibi ad conseruationem doctrinæ. Hanc esse legis sententiam Deus ipse testatur,quia inquit, debentur mihi omnia primogenita,delegi mihi pro illis tribum Leui.Requirit ergo præcipuè officia conseruandæ doctrinæ. Hæc in summa lex de primogenitis significat, uidelicet, populum peculiarem delectum, ut saluetur,& uerè celebret Deum.

Lex de primogenitis propter Christum.

Sed hìc addendum est,in hoc populo esse quendam primogenitum omnibus antecellentem,propter quem principaliter Deo dicata sunt primogenita,uidelicet, Meßiam,qui est primus hæres,propter quem cæteri recipiuntur. Hãc doctrinam de Meßia optimè intelligebat Maria in oblatione primogeniti, ideoq; principaliter uenit in templum,ut ipsa testaretur hunc esse primogenitum illum præcipuum,propter quem omnes significationes institutæ fuerunt. Sicut etiam Spiritus sanctus ipse testatur, hunc esse illum primogenitum,

primogenitum,sicut eum prædicant, Simeon, Anna, & alij.

In Christo sumus & nos dicati Deo.

Iam hìc discamus, nos insertos oleæ populi Dei, & factos cohæredes Christi,& proprium populum Dei,modò ut inuocemus eum iuxta hoc uerbum,in quo se patefecit: debere item nos certa officia, discere doctrinam,obedire ei, corpora & res offerre ad doctrinæ conseruationem.

DE QVARTO.

Testes de nato Messia

VT sæpè aliàs dictũ est,testimonia obseruentur de nato Meßia, ut fides nostra confirmetur, quia Deus uult Ecclesiam habere certa testimonia. Antea fuerunt testes Zacharias,Elisabeth,Angeli, Ioseph,Pastores,Magi,Nũc Simeon & Anna accedunt, ut latè spargatur articulus, quòd natus sit Meßias.

DE QVINTO.

Canticum Simeonis de regno Christi.

DOctrina traditur in dictis Simeonis de regno Christi: uocat Christũ salutare suum,uocat lumen ad reuelationem gentiũ,id est,lumẽ lucens gentibus,seu præbens lucem gentibus, ut uideant Deum.

Intelligit autem salutare,non de imperio mundano,sed de uera salute,qua Deus abolito peccato, & abolita morte,restituit uera bona, & sic de gentibus loquitur,Gentes habituras lumen Euangelij, in quo Deum agnoscent,& uerè inuocabunt.

DE SEXTO.

Hic positus est in contradictionem, &c

ADditur & doctrina de cruce, ex qua perspicuum est senem intelligere,Christi regnum non

fore politicum, quia dicit, Multos ei contradicturos esse, & alludit ad dicta Prophetarum de passione Christi. Postea addit, matrem in magno dolore futuram esse, scilicet, quia uidebit Filium crucifigi.

Afflictiones Ecclesiæ propter Christum.

Cæterùm mater ubiq; repræsentat Ecclesiam, cuius afflictiones hìc pinguntur, cùm ait, Animam tuam penetrabit gladius, dum reuelantur cogitationes cordium, id est, dum se profert, & ostendit impietas antea tecta specie sapientiæ, & iusticiæ. Sicut acerrimè oderunt Euangelium homines fascinati admiratione suæ sapientiæ, & iusticiæ, ut dictum est, Perdam sapientiam sapientum.

EIVSDEM HISTORIÆ breuis enarratio.

I. De obedientia præstanda ministerio.
II. Testimonia de nato Christo.
III. Canticum Simeonis.
IIII. De persecutione.

DE PRIMO.

Lex de immundicia puerperæ.

DVæ leges hìc considerandæ sunt, quæ grauissimam doctrinã cõtinent: Prior de immundicia puerperæ, Posterior de primogenitis cõsecratis Deo. Prior lex disertè loquitur de nato ex uirili semine, Leuit: 12. et significat nasci homines cũ immundicie, & iubet matrem offerre pro peccato, ut purgetur.

Hæc lex admonebat hunc populum de immundicie humanæ naturæ, & de peccato originis. Et, quia disertè loquitur de nato ex uirili semine, nihil pertinebat ad Christum, aut matrem, & tamen Maria obtemperat legi. Quare? Vt exemplo suo conseruet ministerium publicum, & ostendat se, & hunc natum, esse membra huius Ecclesiæ. Hinc discamus conseruationem ministerij sanctis curæ esse, & adiuuandam esse omnium exemplis, & obedientia.

Cur Maria obtemperet Legi.

De primogenitis.
I.
II.
III.
IIII.

Altera lex de primogenitis, postulat omnia primogenita mascula Deo consecrari, & redimi. Hæc lex multa significabat. Primùm nasci homines præcipuè, ut Deo seruiant: Item deberi Deo præcipuam partem uitæ, laborum & fructuum. Continebat & tectam promißionem quia Deus postulabat primogenita, testabatur sibi curæ fore hunc populum, & placere: Deniq; arcana significatio erat de Christo, uenturum primogenitum, qui esset propriè consecratus Deo, scilicet Meßias.

Ceremonia oblati Christi infantis testimonium impletæ promissionis.

Quanquam igitur prior lex de immundis, nihil prorsus ad Mariam pertinebat, tamen hanc legem de primogenitis intelligebat, testem esse de Christo, & significare hũc primogenitũ. Ideo etsi sine ceremonia erat consecratus Deo, tamen affert eum ad Ecclesiam ut significet iam uerè impletam esse legẽ de primogenito consecrato. Et hanc ipsam ceremoniam uult testem esse exhibiti et consecrati Christi. Ideoq; accedit testimonium Spiritus sancti, qui per Simeonem & Annam concionatur hũc infantem esse Meßiam consecratum

secratum Deo: Magna igitur gloria sequitur, postquam ministerio præstitit Maria usitatum officium:

Quare discamus & nos uenerari, & tueri ministerium Ecclesiæ, & meminerimus iam exhibitum esse illum primogenitum, qui uerè consecratus est Deo, & per quem cæteri consecrantur, &c.

DE SECVNDO.

Testimonia exhibiti Christi.

SÆpè dictum est omnia testimonia colligenda esse, quia Deus patefieri et inclarescere hanc natiuitatem uoluit, ut Ecclesia esset certa. Etsi .n. Ecclesiæ facta non sic incurrunt in omnium oculos, ut Imperatorum, Alexandri, & similium prælia: tamen uult Deus esse certa testimonia de Christo, et de uerbo suo in Ecclesia. Ita hîc sunt testes, Maria, Ioseph, Zacharias, Elisabeth, Pastores, Magi, Simeon, Anna.

Simeon & Anna reliquiæ prioris ecclesiæ.

Nec leuis fuit autoritas horũ testium. Nam haud dubiè Simeon & Anna fuerunt reliquiæ sanctorum, qui Maccabæorum prælijs interfuerant: quia à Iuda Maccabæo ad natiuitatem Christi sunt anni 161. Et Simeon & Anna egressi centesimum annum uiderant sanctos senes prioris seculi. Ita mansit penes aliquos paucos uera fides perpetua serie in hoc populo.

Porrò hæc testimonia fidem nostram confirment, et simul hîc speciem Ecclesiæ consideremus, quæ erat cœtus exiguus, spretus & oppressus tyrannide Herodis et Pontificum, & tamen hic exiguus cœtus fulgebat in hoc populo, nec erat prorsus ignotus.

DE TERTIO.

Canti-

CAnticum est testimonium de Meßia, & gratiarum actio. Item Prophetia de uocatione gentium, et doctrina de beneficijs Christi. Conspecto Christo senex ait se discessurum in pace, quia agnoscit ingentem Dei misericordiam datam esse, cogitat futuram instaurationem Ecclesiæ, Scit per hunc Meßiam abolendum esse peccatum & mortem, incoandam uitam æternam, agnoscit sibi remissa esse peccata, agnoscit se habiturum uitam æternam: ita multiplici consolatione exhilaratur. Hæc & nos cogitemus agnito Christo. Canticum Simeonis.

Lumen ad reuelationem gentium, id est, erit lumen illustrans, illuminans gentes, uel lucens gentibus, quo agnito cernent Deum & ingentem misericordiam Dei uolentis recipere, & saluare gentes: uel Lumen, id est, consolator, patefaciendus gentibus, qui eos liberat à peccatis, & æterna morte. Vocatio gentium.

DE QVARTO.

SEquitur alia descriptio Ecclesiæ, præmonet Simeon non mansuram politiam populi, & principes aduersaturos esse Christo, hinc secutura erat magna distractio. Hæc semper fiunt in Ecclesia, motis certaminibus de Euangelio, & cùm sapientes abhorreant à discordijs, multi hac specie moti, sunt iniquiores Euangelio: Sed tamen manet aliquis pius cœtus, ideo dicitur, erit in resurrectionem multis. Sed hi ipsi sustinent tristißimas persecutiones, Ideo hîc dicitur de Maria: Gladius penetrabit animam tuam. Vaticinatur Simeonis uaticinium de Christi & Ecclesiæ afflictione.

cinatur Christum passurum esse, & simul significat perpetuò in hac uita Ecclesiam habituram afflictiones, quia Maria est imago totius Ecclesiæ.

HISTORIA DE ZACHÆO COHÆRENS CVM EVANGELIO DOMINICA QVINQVAGESIMA. LVCÆ XIX.

ET ingressus transibat per Hiericho, & ecce uir nomine Zachæus, & hic prin-

princeps erat publicanorum, & ipse erat diues, & quærebat uidere Iesum, quis esset, & non poterat præ turba, quia statura paruus erat, Et præcurrens ante, ascendit in sycomorum, ut uideret eum, quia illac erat transiturus. Et cum uenisset ad locum, suspiciens Iesus uidit illum, & dixit ad eum, Zachæe, festinans descende, hodie enim in domo tua oportet me manere. Et festinans descendit, & excepit illum gaudens. Et qui uidebant omnes murmurabant dicentes, quod ad uirum peccatorem ingressus diuertisset.

Stans autem Zachæus dixit ad Dominum, Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus, et si quo aliquem defraudaui, reddo quadruplũ. Ait autem Iesus ad eum, Hodie salus huic domui facta est, eõ quod & ipsa est filia Abrahæ, Venit enim filius hominis quærere & saluum facere, quod perierat.

EXemplum est gratuitæ uocationis, pœnitentiæ & absolutionis, Et adiecta est concio de remissione peccatorum.

I. Locus

I. LOCVS de uocatione.

Gratuita remissio peccatorum.

Matth: 9. dicitur. Non ueni uocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Hæc est doctrina Euangelij propria, quòd propter Christum donetur remissio peccatorum credenti, gratis, non propter nostra merita, & quòd hac fide uelit Deus inuocari, Sicut ait Paulus, Per hunc habemus accessum ad Patrem. Hanc consolationem in Euangelio propositam discamus & amplectamur. Et cogitemus diligenter causas, quare necesse sit in Ecclesia retineri hanc doctrinam de gratuita remissione, seu de exclusiua, Gratis. Sunt autem quatuor causæ.

Causæ cur tenenda sit exclusiua gratis.

PRIMA, ut tribuatur debitus honos filio Dei, uidelicet, quòd propter ipsum detur remissio peccatorum, non propter nostra ulla merita.

SECVNDA causa, ut conscientia habeat firmam consolationem, ac certò statuere possis, quòd habeas remissionem peccatorum, & Deus iam sit tibi propicius, ac uerè uelit accipere tuas preces, & dare uitam æternam credenti. De hac causa loquitur Paulus Roman: 4. Ideo ex fide gratis, ut sit firma promissio.

TERTIA causa est, ut possimus Deum uerè inuocare, quia cor dubitans fugit Deum, irascitur Deo, sicut Saul, Achas & similes, non igitur inuocat. Scriptum est autem, per hunc habemus accessum fide. Quare ut ueri cultus Deo tribui possint, necesse est tenere doctrinam, quòd placeamus & exaudiamur propter filium Dei, gratis, non propter nostram dignitatem. Ideo dicitur, Quicquid petieritis patrem in nomine meo dabit uobis, &c.

QVARTA causa est, ut discrimen legis & promissionis Euangelicæ perspicuè conspiciatur. Quia lex etiam dicit, Deum misericordem esse, sed ait iustis & dignis esse misericordem. Euangelium uerò clamitat omnes iniustos & indignos esse, et promittit omnibus remissionem peccatorum gratis, propter filium Dei, & præcipit hanc fide accipi, ut Ioan: 3. & Rom. 3. clarè scriptum est.

Christus quærit perditos.

Hæc est summa doctrinæ, quæ & in hac historia traditur, cùm ait Christus, Venit Filius hominis quærere, & saluare quod perierat. Sciamus et nos quæri, sicut admirabili bonitate rursus tenebras Ecclesiæ discussit, & restituit lucem Euangelij, sciamus nobis offerri beneficia Christi, remissionem peccatorum, gratiam, & uitam æternam, & summum Dei cultum esse, agnoscere Filium Dei, petere & fide accipere hæc beneficia, Sicut Pater æternus inquit, HVNC audite, & 1. Ioan: 5. Qui non credit Deo, mendacem facit eum, qui non credit in testimonium, quod testificatus est Deus de Filio suo, & hoc est testimonium, quòd uitam æternam dedit nobis Deus, & hæc uita in Filio eius est, & qui habet Filium, habet uitam, qui non habet Filium, uitam non habet.

Hæc conspiciuntur in hoc exemplo. Zachæus erat homo iniustus, uectigalia supra leges exigens, & habens

Exemplum Zachæi uocati.

bens iniusta aucupia quæstus,ut plerunq; fit in præfecturis. Talem uirum uocat Christus ad gratiam, ut testetur se uocare peccatores. Sed hic addendum est. Hic publicanus non habebat meritorum prærogatiuam,sed hoc aderat,Christum audiebat, erat in hoc populo,ubi sonabat Euangelium,quia non fit uocatio sine Euangelio. Idq; significatur per hunc stantem in arbore sycomoro. Significatur primùm uocatos esse eos,qui stabant in populo Israël,iuxta illud: Ex Sion egredietur Lex. Hæc doctrina uerè est Euangelium Dei perpetuum,quæ in isto populo Prophetis commendata est de uenturo Messia.

Typus Zachæi stantis in sycomoro.

Nam sycomorus est typus populi Israël. Similis est enim arbor illa fico & moro,& est admodum fœcunda & lactea, & gignit fructus copiosos, qui tamen non matureſcunt, nisi scalpantur & ungantur oleo,ut scribit Theophrastus. Vides ipsissimam imaginem populi legis,qui est fœcundus, potens,habet regnũ. Deinde etiam est lacteus,habet etiam promissiones & cultum,& gignit copiosos fructus. Magni labores,egregia opera fuerunt Moysi, Iosue, Gedeonis,Saulis, Dauidis, & multorum aliorum. Sed hi fructus non matureſcebant sine sectione & oleo, id est,sine crebris castigationibus,& sine diuina consolatione. Secabantur Israëlitæ, quoties uexabantur ab hostibus Palæstinis,Assyrijs,Chaldæis. Sed Deus infundebat oleum,restituebat & sanabat eos, missis bonis ducibus,ut Samuele,Dauide,Iosaphat,Elia,Daniele,

Sycomorus imago populi Iudaici.

Stans

Stans igitur in sycomoro,significat stantem in populo legis,ubi sonat doctrina,ubi Prophetæ tradiderant promissiones, ubi Christus ipse concionaturus erat,Ita & nos in sycomoro stamus, cùm illud idem Euangelium audimus, traditum per Prophetas & Apostolos,& maximè cùm sumus in eo cœtu, ubi sonat uerè uox Euangelij. Nam sine Euangelio non fit uocatio ad salutem.

DE SECVNDO LOCO.

Exemplum pœnitentiæ.

EXemplum pœnitentiæ ponitur. Zachæus fatetur peccata,& promittit emendationem, & absoluitur hac uoce Christi. Hodie salus facta est huic domui,quia ipse filius est Abrahæ, & habiturus benedictionem,& promissionem uitæ æternæ factam Abrahæ. Et in ipsa absolutione adijcitur integra concio Euangelij: Venit Filius hominis quærere, & saluare quod perierat.

DIE ANNVNCIATIONIS MARIÆ, DE CONCEPTO CHRISTO.

EVANGELIVM, Lucæ I.

IN mense sexto missus est Angelus Gabriel à Deo,in ciuitatem Galileæ, cui nomen Nazareth,ad uirginem de-

ſponſatam uiro,cui nomen erat Ioſeph, de domo Dauid, & nomen uirginis Maria, Et ingreſſus Angelus ad eam, dixit: Aue gratioſa,Dominus tecum, Benedicta tu in mulieribus.

Illa uerò cum uidiſſet, turbata eſt in ſermone eius,& cogitabat, qualis eſſet iſta ſalutatio. Et ait Angelus ei: Ne timeas Maria, inueniſti enim gratiam apud Deum,Ecce concipies in utero, & paries

& paries Filium,& uocabis nomen eius Ieſum, Hic erit magnus,& filius altiſſimi uocabitur. Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris ſui, & regnabit ſuper domum Iacob in æternum,& regni eius non erit finis.

Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam uirum non cognoſco? Et reſpondens Angelus,dixit ei, Spiritus ſanctus ſuperueniet in te,& uirtus altiſſimi obumbrabit te.Ideoq; et quod naſcetur ſanctum, uocabitur filius Dei. Et ecce Eliſabeth cognata tua,& ipſa concepit filium in ſenectute ſua, Et hic menſis eſt ſextus illi, quæ uocatur ſterilis, quia non erit impoſſibile apud Deũ omne uerbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini,fiat mihi ſecundum uerbum tuum. Et diſceſſit ab illa Angelus.

Quinq; ſunt loci præcipui.

I. *De ſtatu regni Iudaici eo tempore, & de forma Eccleſiæ.*
II. *Mariæ conſternatio.*
III. *Angeli narratio de regno æterno.*

IIII. Testimonium, quòd Christus sine uirili semine conceptus sit.

V. De his uerbis: Obumbrabit te Spiritus sanctus.

DE PRIMO.

Forma Ecclesiæ Iudaicæ sub tempus uenturi Christi.

PLurimum conducit formam Ecclesiæ omnibus temporibus considerari, ne propter multitudinem, imperia, potentiam impiorum, à uera Ecclesia aberremus. Herodes iam annos 36. tenuerat nomen regium in hoc populo, Sed quia peregrinus erat, Principes & Pontifices ei parere recusabant, quia sciebant stirpi Iuda regnum promissum esse. Et cùm malè accommodarent promissiones, sperabant Deum affuturum esse ipsis expellentibus Herodem. Hac spe assiduos tumultus mouebant, & mouebant infeliciter, nec uincebat tantùm Herodes trucidatis multis millibus, sed etiam præcipuum collegium seu concilium, quòd uocabant Sanhedrin, funditus deleuit, quod fuit summum in isto populo, ad doctrinæ & religionis conseruationem institutum. Hæc ita fiebant, quia prædictum erat, tunc uenturũ esse Christum, cùm stirps Iuda esset oppressa seruitute.

Et meminerimus hanc seruitutem, et has miserias fuisse pœnas. Nam prius fratres filij Hircani, deindè nepotes de regno certauerunt parricidijs. Erant et in honore Saducæi & Pharisæi qui oppresserant ueram doctrinam. Ideo hæ pœnæ secutæ sunt, sicut uuno

mundus tristissima seruitute sub Turcis & alijs premitur, propter idola, libidines, & alia flagitia.

In calamitatibus seruatæ reliquiæ Ecclesiæ.

Considereres autem tunc inter tantas dissipationes regni & doctrinæ, tamen seruatas esse reliquias ueræ Ecclesiæ, Zachariam, Elisabeth, Ioseph, Mariam, Simeonem, Annam, & alios multos, qui adhuc puram doctrinam Prophetarum retinuerunt, & in his miserijs, dum peterent ex lectione Prophetarum consolationem multa didicerunt, & multa eos quotidiana precatio docuit.

Vt autem Maria credat Angelo, additur miraculum de grauida anu, ideo fit mentio numeri mensium à conceptu Elisabeth, Hoc tempus expectatum est, ut iam certò constaret anum illam esse grauidam, Allegat igitur Angelus hoc testimonium, Credas, inquit, uoci meæ, quia Deus proponit tibi testimonium meæ legationis, quòd hæc anus sit grauida facta.

DE SECVNDO.

OMnia opera Dei in hominib. ita fiũt, ut initiò expauescant animi, iuxta illud: Vbi habitabit Dominus? in spiritu contrito et humiliato, et tremente sermones meos, quia Deus uult primùm agnoscere nos nostram infirmitatem, uult nos perterrefieri, ut postea consoletur, sicut scriptum est: Deducit ad inferos, et postea reducit. Item, Humilibus dat gratiam. Præterea natura hominis sine confirmatione diuina ne potest quidẽ sustinere Deũ, siue per se loquentem, siue per Angelos, siue per homines, Quandocũq; cor

Maria confternata confirmatur uoce Angeli.

feritur uerbo dei, expauescit, sicut clamat populus ad montẽ Sina: Non loquatur nobis Dominus, ne moriamur. Sed in his ipsis terroribus, illi qui credũt, rursus erigũntur uoce Euangelij, sicut hic Maria audit hanc uocẽ: Ne timeas, inuenisti enim gratiam apud Deum.

Terrores præcedunt consolationem.

Exẽpla sunt passim obuia in scripturis, quæ ostendũt hunc esse ordinem, quoties Deus loquitur, ut præcedant terrores, sequatur consolatio, Hic ordo etiã in conuersione cernitur. Dauid, Paulus, arguuntur, et expauescũt, postea erigũtur. Et in concionib. huius festi Bernardus de hac re disserit, et memorabilem sententiam tradit de fide: Non solũ hoc credas, remitti peccata, sed gratis remitti, et tibi remitti credas propter Christũ. Hac fide Apostolus ait, iustificari hominem.

Bernardi sententia de fide.

DE TERTIO.

Angeli concio de promissionib.

ANgelus affirmat Mariam grauidam fore, et pariturum Filium promissum per Patres et Prophetas, & longa narratione recitat ipsa uerba promissionum. Cogita autem, quantã consolationem piæ menti hæc tanta res attulerit, præsertim intuenti miserrimam dissipationem Ecclesiæ eius temporis, quæ admodum erat attenuata. Recitat autẽ Angelus uerba promissionis, & clarè inquit, hunc natum regnaturum esse sine fine. Tale non potest esse imperium in hac mortali natura. Nec dubium est hæc pluribus explicata esse, sicut statim pòst Angelus ad Ioseph inquit: Liberabit populum à peccatis. Quid hoc est? non solùm remittet in hac uita, sed uerè abolebit, data noua uita in resurrectione. Et

Et huc referendæ sunt sententiæ Prophetarum, quæ de abolendo peccato, & de abolenda morte, de donanda noua & perpetua uita, & iusticia loquuntur. Vt: O mors, ero mors tua. Item, Feriam nouum pactum, dabo legem meam in corda eorum. Erit igitur tale regnum, in quo Christus uiuens uita æterna regnabit inter donatos uita æterna.

DE QVARTO.

Christus conceptus de S. sancto

HIc locus testimonium est articuli, quòd Christus conceptus sit efficacia Spiritus sancti, sine uirili semine, ut Matth: 1. clarè dicitur, Quod in ea natum est, est à Spiritu sancto. Id testimonium transferatur ad hunc locum Lucæ. Confirmatur autem Maria exemplo, iam est grauida anus Elisabeth, id exemplum cùm sit supra naturam, credas etiam meæ uoci, rem supra naturæ ordinem promittenti. Pertinet huc testimonium Esaiæ: Ecce uirgo erit grauida, & pariet Filium, et uocabitur nomen eius Emanuel, Quia enim commixtione seminum propagatur immunda natura, & infecta morbo originis, ideo Deus uoluit nasci Christum sine ulla commixtione, & tamen ut esset semen Abrahæ et Dauidis, sumta est massa sanctificata per Spiritum sanctum ex uirgine, ut ad Galat: dicitur, natum ex muliere.

Mirabiliter exibitæ pro missiones.

Monet & hoc exemplum mirabiliter exhiberi promissiones diuinas, ac longè aliter, quàm expectat humana ratio. Hæc piè meditanda sunt, & semper simul caussæ huius admirandi consilij complectendæ

sunt,cur filius Dei fuerit mittendus, cur tam miras res fieri Deus uoluerit. Hæc omnia quia sunt extra conspectum humanæ rationis,prophani homines deridebunt, sed nos sciamus uerè esse Deum, & patefactum esse in uerbo,quòd ab initio dedit patribus, quo testatur iram aduersus peccatum non esse rem leuem,& ita fuisse placandam Filio Mediatore.

DE QVINTO.

De obumbratione.

Figura sumta est ex historia, quæ narrat, populum in deserto nube tectum fuisse, quæ interdiu umbram præbuerit,nocte uerò lucem. Et ut tunc fuit miranda consolatio,& testimonium præsentiæ Dei. Ita semper pij sciant sic se regi nocte, id est,in tenebris,periculis & morte,ministrari lucem,consilium, consolationem & uitam. Rursus in æstu umbram, id est,in pœna sustentationem, ne imbecillis natura terroribus diuinis consumatur, sicut de iudicio & ira Dei Psalm: 89. inquit, Posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo. In ira tua deficimus. Item, Deute: 4. Deus tuus ignis consumens est. Deniq; nemo hominum sustinere iudicium uel opus Dei potest, nisi fiat obumbratio,id est,nisi misericordia Dei foueat & uiuificet hominem. Ideo & hîc fit mentio obumbrationis.

Obumbratio qua fouetur Ecclesia.

Et sicut hîc de Maria dicitur,ita uniuersaliter sciamus obumbratione foueri Ecclesiam,sicut et Esa: 4. dicitur: Et creabit Dominus super omnem locum montis Zion,& ubi inuocatur,nubem per diem, & flam-

mam lucentem in nocte, & aduersus fulgorem tegmentum,& obumbraculum diei ab æstu.

Obumbratio misericordiæ.

Si hæc promissio conferatur ad externam speciem Ecclesiæ,nihil simile uidebitur. Nulla enim habet humana præsidia,premitur ingentibus ærumnis, & crudelissimè laceratur à tyrannis. Sciamus autem promissionem reuera intelligi de obumbratione in iudicio Dei,qua scimus nos per misericordiam uerè recipi,& fieri hæredes uitæ æternæ,& foueri,ne ira æterna consumamur. Postea sciamus de corporali defensione,seruari cœtum aliquem, etiamsi membra lacerantur & exercentur afflictionibus, Sicut in Amos dicitur:Ecce oculi Domini super regnum peccans,ut conterat illud à facie terræ. Iacob autem non conteram,sed concutiam ut triticum in cribro, & non cadet granum super terram.

EVANGELIVM IN DIE PHILIPPI ET IACOBI.

Ioan: XIIII.

ET dixit Iesus discipulis suis: Non turbetur cor uestrum, Creditis in Deum,& in me credite, In domo patris mei multæ mansiones sunt.Sin autem

tem minus, dixissem uobis, uado ad parandum uobis locum. Et cum abiero parare uobis locum, iterum ueniam, & accipiam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Et quo ego uado, scitis, & uiam scitis.

Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quo uadis, & quomodo possumus uiam scire? Dicit ei Iesus, Ego sum uia, & ueritas, & uita. Nemo uenit ad Patrem,

trem, nisi per me. Si cognouissetis me, & Patrem meũ utiq; cognouissetis. Et modo cognoscitis eum, et eum uidistis.

Dicit ei Philippus: Domine ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei Iesus: Tanto tempore uobiscum sum, & non cognouisti me? Philippe, qui uidet me, uidet Patrem, & quomodo tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis, quòd ego in Patre, & Pater in me est? Verba quæ ego loquor uobis, â me ipso non loquor, Pater autem in me manens ipse facit opera. Credite mihi, quòd ego in Patre, & Pater in me est, Si autem non, propter opera ipsa credite mihi.

Amen amen dico uobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora his faciet, quia ego ad Patrem meum uado. Et quodcunq; petieritis in nomine meo, hoc faciam, ut glorificetur Pater in Filio. Si quid petieritis in nomine meo, ego faciam.

Tres sunt præcipui loci.

I. Quomodo agnoscendus sit, & adorandus Deus.
II. De filio Mediatore, & Spiritu sancto.
III. De efficacia inuocationis.

DE PRIMO.

PRæcipuum & omnium operum hominis maximum est agnitio & celebratio Dei, ad quã conditi sumus. Et indita fuit humanæ menti lux aliqua de Deo, sed hæc ualde obscurata est, quare multæ tristissimæ dubitationes secutæ sunt. Etsi enim mẽs humana in omnibus sanis statuit esse Deum, causſam & opificem boni in natura, tamẽ dubitat uniuersaliter, an uelit nos indignos exaudire, iuuare, saluare. Ideo Deus inde usq; ab initio per certum uerbũ et testimonium se patefecit, per quod agnosci se, & uoluntatem suam erga nos uoluit, & ibi rectè se coli affirmat, ubi sic agnoscitur & inuocatur, iuxta suum uerbum, fide.

Deus non agnoscitur nisi per uerbum patefactum.

Sed mens humana facilè abijcit uerbum, uel propter crucem, uel propter insidias diaboli. Postea uerò errans in tenebris, aut prorsus fit Epicurea, sicut nũc usitatum est, aut fingit sibi ipsa Deos & cultus, sicut Ethnici fecerunt, & Mahometus. Et hi cultus omnes conficti humano cõsilio sunt inanes. Quia manet dubitatio, ubi ignoratur Euangelium, an Deus exaudiat.

Ideo discamus hanc doctrinam, quæ in hoc Euangelio traditur: quòd oporteat uiuum & æternum Deum sic agnoscere & inuocare, sicut se ipse patefecit

cit suo uerbo, & suis testimonijs: uidelicet Patrem Domini nostri Iesu Christi, per quem placatus est, & promisit se propicium fore, & sanctificaturum Spiritu sancto. Hæc inuocatio dupliciter prodest: Discernit inuocationem ueram ab Ethnica, Iudaica, & Mahometica, & dirigitur uerè ad Deum, non aberrat à Deo. Deinde & Mediatoris mentione corrigit dubitationem, affirmat nos exaudiri à Deo.

Philippus à cogitationibus humanis retrahitur ad uerbum.

Sic alligat Christus interrogantem Philippum ad conspectum Mediatoris, quasi dicat: Scio uagari humanam mentem, & uariè quærere Deum: sed tu omitte humanas cogitationes, & definias uerè esse Deum, qui hunc Christum crucifigendum, & resuscitandum misit, & se per eum patefecit mundo, & per eum promisit salutem, & uelle se inuocari, & coli fiducia huius Mediatoris, iuxta uerbum ipsi traditum. Sic alligauerat initiò patres ad promissionem: In semine tuo benedicentur omnes gentes.

Humana curiositas intelligendi Deum extra uerbum.

Sed difficilè est menti acquiescere in uerbo Dei, et requirimus sensibilẽ noticiam. Ideo inquit Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis. Quasi dicat: Verbũ non satisfacit mentibus nostris, conspectus satisfaceret, in quo cerneremus initia & exitus, causſas & euentus, de quibus angimur. Sapienter & humano more cogitat. Imò & Moyses incitatus mirabili desiderio, petit illustriorem cognitionem, Exod. 33. inquiens: Ostende mihi faciem tuam, cui cium respondet Deus, significat, quomodo uelit agnoscí

Reuelatio Dei Moysi facta.

sci in Ecclesia, usq; ad resuscitationem mortuorum. Non poteris, inquit, uidere faciem meam, sed stabis in foramine petræ, id est, insistens Christo, seu Euangelio in Ecclesia, & transibo, id est, toto tempore mundi colligam mihi quasi transiens in mundo aliquam Ecclesiam, & hanc protegam dextra mea, & uidebis posteriora, id est, meam præsentiam ex euentibus & liberationibus cognoscetis, sed post hunc transitum alia gloria restat.

Porrò ut illic Moyses collocatur in saxum, ita Christus hìc clarè nos docet, ut sese intueamur, & statuamus hunc esse Deum æternum, qui se in hoc filio Christo patefecit, & uult inuocari fiducia huius Mediatoris: Qui uidet me, uidet Patrem, id est, si uis quærere Patrem, sic tantùm agnosces, si defiges mentem in me Filium reuelatum, & statues hunc solum esse æternum Patrem, conditorem rerum, qui me misit, & hanc esse uoluntatem eius solam, quam ego annuncio, de remissione peccatorum, de uita æterna. Qui aliter quærunt Deum, sine me, & sine uerbo meo, aberrant, sicut aliàs inquit: Qui non honorificat Filium, non honorificat Patrem.

Qui uidet me, uidet Patrem.

DE SECVNDO.

Testimonium de tribus personis.

HÆC ipsa concio exponit doctrinam de tribus personis diuinitatis, de æterno Patre, Filio mediatore, & Spiritu sancto. Discernit Patrem & sese, & tamen facit æqualem potentiam. Ego sum in Patre, & Pater in me est, Ipse facit opera, id est, simul operamur,

operamur, Pater & Filius, sicut Ioan: 5. dicitur, Pater meus usq; modò operatur, & ego operor. Et Ioan: 1. Omnia per ipsum facta sunt. Additur & hìc de Spiritu sancto. Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit uobis, ut maneat uobiscum perpetuò, spiritum ueritatis.

Tres igitur personæ hìc nominantur, quæ simul sunt efficaces æquali potentia, Pater æternus, qui genuit Filium, & Filius genitus, qui est imago Patris, & Spiritus sanctus, qui est agitator & uiuificator in cordibus piorum.

Forma Christianæ inuocationis.

Sit igitur hæc forma inuocationis. Omnipotens æterne Deus, Pater Domini nostri Iesu Christi, conditor omnium rerum & conseruator, cum Filio tuo & Spiritu sancto, sapiens, bone, misericors, iudex & fortis, miserere mei propter Iesum Christum Filium tuum, quem uoluisti pro nobis esse uictimam, mirando & inenarrabili consilio, sanctifica et rege cor meum Spiritu sancto tuo, iuxta promissionem, Et dabit uobis alium paracletum spiritum ueritatis. Hæc inuocatio discernit Ecclesiam à Turcis, Ethnicis & Iudæis.

DE TERTIO.

Efficacia inuocationis.

DE efficacia inuocationis dicit. Quicquid petieritis in nomine meo, ego faciam. Et infrà cap. 16. Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Necesse est autem obseruare, quòd iubet petere suo nomine, uidelicet, propter duo, ut dirigatur oratio ad uerum Deum. Deinde, ut teneatur cer-

titudo, quòd exaudiamur, & cur exaudiamur. Sciendum est enim exaudiri Ecclesiam propter Filium mediatorem. Ergo fiducia Filij iubemur petere, non fiducia nostræ dignitatis, aut cum dubitatione, ut gentes Iudæi, & omnes ignorantes Euangelium petunt cum dubitatione. Estq; sententia, IN nomine meo, id est, propter me mediatorem, uel fiducia mediatoris.

Quoties ergo incoabis tuam precationem, cogita hanc promissionem: Quicquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit uobis. Alibi inquit: Ego faciam, ut ostendat seipsum exaudire, & simul operari cum Patre. Discamus autem in Ecclesia ueram inuocationem peculiare & proprium opus esse solius Ecclesiæ Dei. Ideo sciendum est, quomodo faciendum sit, ut rectè ad Deum dirigatur, & sit efficax. Ad hoc necesse est afferre in inuocatione fidem, quæ uerè statuat, nos recipi propter Christum, & inuocationem non esse irritam, sed sine ulla dubitatione accipere gratiam, quia nominatim hæc promissa est. In corporalibus uerò, mitigationem aut liberationem, iuxta Dei consilium, quia debemus obedientiam in cruce, & Deus has liberationes in hac uita uult esse dissimiles.

Miracula Ecclesiæ.

CVR autem dicit? Maiora his faciet: Respondeo. Quotidiè arcana opera magna, magnæ liberationes fiunt in Ecclesia, quæ non incurrunt in oculos nostros, sed cernentur cum Ecclesia glorificabitur. Nisi enim grassantem diabolum Filius Dei mirabiliter reprimeret, Ecclesiam funditus uastaret. Vincit igitur filius Dei in his, qui uerè Deum inuocant. Rursus autem uincit diabolus in impijs, aut abijcientibus fidem.

DE S. IOANNE BAPTISTA.

EVANGELIVM,
Matth: III.

IN diebus illis ueniebat Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ,

 & dicens:

& dicens: Pœnitentiam agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Hic est enim, de quo dictum est per Esaiam Prophetam dicentem: Vox clamantis in deserto, Parate uiam Domino, rectas facite semitas eius.

Ipse autem Ioannes habebat uestimentũ de pilis camelorum, et zonam pelliceã circa lumbos suos. Esca autem eius erat locustę, & mel syluestre. Tunc exibat ad eum Ierosolyma & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua.

Videns autem multos Pharisæorũ & Saducæorum uenientes ad baptismum suum, dixit eis: Progenies uiperarum, quis ostendit uobis fugere â uentura ira? Facite ergo fructus dignos pœnitentiæ? Et ne uelitis dicere intra uos ipsos, Patrem habemus Abraham. Dico enim uobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Iam autem & securis ad radicem arborum posita est.

Omnis

Omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidítur, & in ignem mittitur.

Ego quidem baptizo uos aqua in pœnitentiam, qui autem post me uenturus est, fortior me est, cuius non sum dignus calciamenta portare, Ipse uos baptizabit Spiritu sancto & igne, Cuius uentilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igne inextinguibili.

Septem sunt loci præcipui.

I. *Cur festus dies Baptistæ celebretur.*

II. *De specie Ecclesiæ, & quomodo Deus eam subinde renouet, ne humanum genus totum pereat.*

III. *De peculiari uocatione & officio Baptistæ.*

IIII. *De tota eius doctrina: Docuit non solùm legem, sed etiam Euangelium de Christo, Concionatus est de pœnitentia, de fide in Christum, & remissione peccatorum. Addit & concionem de bonis operibus, de uitæ generibus, de discrimine moralium operum, & ceremoniarum: denique*

fuit repurgator doctrinæ, & incoator Baptismi, & recipit gentes.

V. Ioannes est testis doctrinæ de Trinitate, Item, de duabus naturis in Christo: Deniq; Ioannis historia complectitur omnes articulos fidei.

VI. Cur dicat, Ego baptizo uos aqua, sed qui post me ueniet, baptizabit uos Spiritu sancto & igni.

VII. De uictu eius, de tempore prædicationis, & de nece eius.

DE PRIMO.

Quare necesse sit esse publicos conuentus Ecclesiæ.

ETsi Ecclesia Dei est exigua pars hominum, oppressa in mundo & misera: imperia uerò eminent & conspiciuntur, et existimantur esse præcipua & florentissima pars generis humani, & ita conuertunt in se hominum oculos, ut existiment homines aut summa imperia Deo placere, aut negligi totum genus humanum, tamen Deus uult etiam suam Ecclesiam in mundo audiri, uult lucere noticiam de Deo. Ideo præcepit ut sint publici cœtus, ut sit publica prædicatio & confessio doctrinæ, & ut per tales congressus, & panægyres tradatur doctrina publica uoce posteris, nec sint secreta conuenticula, in quibus latebræ præbeant occasionem corrumpendæ doctrinæ, & alijs malis rebus. Deniq; cùm natura humana præcipuè condita sit ad celebrandum Deum, iustissimum est esse publicos cœtus, in quibus doceantur homines de Deo, & una

& una omnium uoce inuocetur Deus. Quare & Christus magno testimonio ornauit hos congressus: Vbicunque sunt duo aut tres congregati in nomine meo, ibi ero in medio eorum.

Hæc est prima causa, cur festi dies diuinitus instituti sint. Porrò illas Ethnicas opiniones abijciamus, ocium diei, et pompas esse cultum Dei. Sed alios fines quæremus, scilicet, ut publicè doceantur homines, & fiat publica confessio doctrinæ, & inuocatio. Abijciamus et hunc errorem simpliciter Ethnicum, de inuocatione mortuorum. Non celebratur festum Baptistæ, ut ipse inuocetur, sed ut publicè discamus, quid sit Ecclesia, quomodo Deus subinde miserit instauratores, quomodo regatur Ecclesia, & ut Deo pro his beneficijs gratias agamus, Item, ut discamus quæ fuerit sanctorum doctrina. Item, ut confirmemur ipsorum testimonijs & exemplis.

DE SECVNDO.

ETsi offenditur humana mens, cùm audit Ecclesiam Dei semper ualdè exiguum cœtum esse, si conferatur ad reliquam multitudinem, & multa contrà disputantur, tamen sciamus uerè rem sic se habere, & causam esse exiguitatis ipsam hominum maliciam, qui uerbum à Deo certis testimonijs traditum, uel negligunt, uel petulanter abijciunt.

Impiæ sectæ in populo Iudaico.

Et considera exemplum in ipso populo Iudæorũ, in quo erat uera Ecclesia Dei, tamẽ maior multitudo fuit impiorum. Rex Herodes erat impius, et deleue-

rat præcipuum consiliũ populi,qui uocabantur Sanhedrim,doctores erant distracti in tres sectas. Erant Saducæi arrogantißimo titulo,quasi dicas iusticiarij, qui prorsus reijciebant Prophetas, et ex professo defendebant Epicureas opiniones: negabant animas esse immortales,negabant et resurrectionem mortuorum. Quis autem non miretur,in populo Dei defensos esse tales furores,& quidem prætextu doctrinæ Moysi?

Saducæi.

Alij autem erant Pharisæi,id est, interpretes, qui tamen retinebãt Prophetas, defendebãt animæ immortalitatem et resurrectionẽ, sed addebãt multas humanas traditiones, fascinati hac opinione, disciplinam externam esse iusticiam coram Deo,et mereri remissionem peccatorũ. Tantum igitur legem docebant de externa disciplina,nec norant doctrinam de fide, de passione Meßiæ, de remißione peccatorum, sed fingebant Meßiam propagaturum esse legem Moysi in totum mundum,& occupaturum imperia. Sic sentiebat maxima eorum multitudo, sed consentaneum est inter hos fuisse aliquos saniores,qui quæsiuerũt doctrinam de Meßia,commonefacti à ueris reliquijs Ecclesiæ,à Simeone,Zacharia,Ioanne Baptista & alijs.

Pharisæi.

Tertia secta fuit Essæi,id est,operarij,qui cõferebant res suas in commune,& studebant uincere cæteros ieiunijs & eleemosynis. Sed hæc secta fuit exigua,& habuit errores similes Pharisaicis,de iusticia operum,& de regno mundano Meßiæ.

Essæi.

Quanquam autẽ magna multitudo erat prophana,& magna erat opinionum confusio, & Herodes grassabatur cædibus assiduis,et Põtifices erant ἄθεοι, tamen Deus seruauit Ecclesiæ reliquias, Zachariam, Simeonem,Ioseph,Elisabeth,Annam,Mariam,et multos tales. Hi testimonium dabant ueræ doctrinæ,& reprehendebant publicos errores. Sed postea excitatus est Ioannes,qui clariore reprehensione damnauit errores, & mirabili opere Dei collegit nouam Ecclesiam.

Ecclesia seruata inter impios.

Ita Deus subinde repurgauit Ecclesiã. Cùm in Israël idola colerẽtur,excitati sunt Prophetæ,ut falsos cultus damnarent,et ueram doctrinam propagarent, Horũ auditores erant Ecclesia,Reges impij, et multitudo dedita idolis non erant Ecclesia,et mira Dei bonitate continua succeßio fuit Prophetarũ. Elias præfuit circiter uiginti annos, hũc mox secutus Eliseus, præfuit circiter annos septuaginta. Hunc uidere potuit Esaias adolescens,qui præfuit circiter octoginta annos,hunc senem uidit Ieremias, qui præfuit annos quadraginta. Secutus est statim Daniel,qui annos septuaginta præfuit,Deinde fuerunt,Zacharias, Malachias,Esdras,Nehemias,usq; ad Alexandri Magni tempora: Postea ab Antiocho Epiphane plurimi senes interfecti sunt,sed tamen reliquias aliquas Deus seruauit.

Diuinæ instaurationes Ecclesiæ.

Agnoscamus ergo bonitatem Dei, & gratias agamus,quòd subinde excitauit doctores, & exhibuit testimonia doctrinæ. Sic post Apostolos subinde excitati sunt

ti sunt aliqui pij Doctores, qui publicos errores taxauerunt, ut Methodius refutauit Origenis errores, Malchion Samosatenum, Athanasius Arrium, Augustinus Manichæos & Pelagium: & à multis errores Papæ taxati sunt, ut à Vuesselo & alijs. Sed longè fuit illustrior gloria populi Israël, quàm huius vltimæ ætatis mundi. Considerandus est autem hìc totus cursus Ecclesiæ, ut discamus qualis sit Ecclesia, & quas partes amplecti debeamus. Fortassis nunc, quia fit maior dispersio per Turcas, accendit Deus lucem Euangelij, hanc ipsam ob caussam, ut in hac dispersione pij certam doctrinam & consolationem habeant, & quocunq; dispergentur, sua uoce propagare possint, etiamsi non habebunt ordinarios Episcopos aut Doctores, ut antea.

DE TERTIO.

Duplex est uocatio, Alia ordinaria, ut cùm Ecclesia eligit ministros, ita in lege erat ordinaria uocatio sacerdotũ, quia Deus certæ tribui mandauerat hoc officium. Et quanquã multi hac ordinaria uocatione abutũtur, tamen uocationis autoritas non est uniuersaliter reijcienda. Quia uerò sæpè Doctores in uocatione ordinaria non rectè docẽt, ideo Deus addidit extraordinariam uocationem: excitauit magnos uiros ad publicos errores emendandos, et ad colligendam Ecclesiam, ut Eliã, Elisæum, Sic Ioannem, singulari modo uocauit, & ut Eliam debebant audire Pontifices, quanquam essent in loco ordinariæ uocationis,

Extraordinariæ uocationes.

tionis, ita Ioannem debebant audire Pontifices, quia Deus ei certa testimonia præbuerat, Angelus patri apparuerat, & eius uocationem prædixerat.

Qui non considerant, quanta res sit talis uocatio, & qualis sit Ecclesiæ gubernatio, hi non intelligunt talium uirorũ officium, ut Eliæ, Elisæi, Ioannis, Pauli. Imò sapientes politici oderunt eos tanquam homines morosos & seditiosos. Alij inepti putant fuisse homines simplices, qui, ut Monachi, propter superstitionem quæsiuerunt latebras. Sed nequaquam de eis ita sentiendum est, sciamus hos esse summos duces, per quos Deus fuit efficax, & restituit & auxit Ecclesiam, & per quos oppressit falsam doctrinam, & renouauit ueram, deniq; quorum ministerium salutare fuit multis uocatis ad uitam æternam.

DE QVARTO.

Doctrina Baptistæ.

Indocti somniant Ioannem tantùm tradidisse aliqua præcepta de bonis moribus, sicut tradidit Phocylides aut Theognis, Sed ut sæpè monemus, discernenda est doctrina Ecclesiæ à Philosophia, & Pharisaica doctrina. Philosophi docent particulam legis de bonis moribus. Idem & Pharisæi docent, & addunt multas ceremonias. Sed Ecclesia concionatur de pœnitentia, & de remissione peccatorum, de iudicio Dei, de reconciliatione, & uita æterna. Cùm de pœnitentia dicit, enarrat legem, & testatur lege Dei non tantùm præcipi externam disciplinam, sed omnes accusari, dicit legem esse uocem Dei monstrantem

Pœnitentiæ conciones.

tem & condemnantem peccatum in tota natura humana. Ideo omnibus dicit: Agite pœnitentiam, & addit prophetiam de fine, & interitu huius populi, quem talis uir prospiciens, ingenti dolore luxit. Videbat iam regnare peregrinos, & sciebat breui secutura esse excidia omnium urbium, & deplorabat non solum neces tot millium uirorum, mulierum, puerorum, sed etiam æternum exitium. Hæc cogitatio quantum dolorem attulerit tali uiro, nemo uerbis explicare potest. Et quanquam hæc prædictio derideba-
tur ab impijs, tamen pios mouebat. Estq; inculcata his uerbis: Purgabit aream suam, colliget triticum, & paleas comburet igni inextinguibili.

Conciones Ioannis de remissione peccatorum

Addidit & doctrinam de remissione peccatorum, Non enim fingendum est, Ioannem prædicasse legem tantum, aut pœnitentiam sine remissione peccatorum. Ethnica imaginatio est, cogitare doctrinam pœnitentiæ, sine Euangelio de remissione peccatorum, Quia pœnitentia sine consolatione irascitur Deo, & fugit Deum. Ideo Lucas diserte inquit: Prædicabat Baptismum pœnitentiæ ad remissionem peccatorum, & Ioannes clarissimè sonuit Euangelium, & quidem ipsum Christum monstrauit, & addidit has conciones proprias Euangelij: Hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Item: Qui credit in Filium, habet uitam æternam. Item, Ex plenitudine eius omnes accepimus, gratiam pro gratia. Item, Lex per Moysen data est, Gratia & ueritas per Iesum Christum

stum facta est, id est, reconciliatio nobis propter eum & per eum donatur, & ueritas, id est, uera & æterna iusticia & uita per eum restituitur. Lex continebat umbras significantes futura & æterna bona. Item, iusticia legis, id est, disciplina est quædam umbra euanescens. Sed hic Filius res æternas incoat in nobis, & postea perficiet. Etsi autem hæ sententiæ sunt breues, tamen summam Euangelij comprehendunt, ut mediocris lector intelligere possit. Nec dubium est has sententias copiosè ab ipso enarratas esse.

Quoties igitur de Ioanne loquimur, adhibenda est hæc diligentia, ut quærantur conciones eius quæ propriè continent Euangelium, & fidei doctrinam. Nec putemus eum tantum quædam morũ præcepta tradidisse, de quibus postea dicetur. Fuit enim aliud eius præcipuum officium. Voluit enim Deus publicum esse testem, qui monstraret Christum, et simul renouaret doctrinam. Ad hæc munera Ioannes præcipuè uocatus est, ideo monstrauit præsentem Christum, dixit de pœnitentia, de iudicio Dei, de remissione peccatorum, de fide in Christũ, & de uita æterna. Simul etiã taxauit errores Pharisæorum, de suis sacrificijs et traditionibus. Hi putabant se lege iustos esse, putabant se mereri remissionem peccatorum sua disciplina. Hæc refutat, imò, inquit, Hic agnus tollit peccata mundi.) Gratiam accipitis, id est, reconciliationẽ, non propter uestram iusticiam, sed pro gratia, id est, quia ipse dilectus est. Item, Ex plenitudine eius accipitis, id est, ipse uos nouæ luce,

Proprium munus Baptistæ.

ua luce,iusticia et uita donabit. Refutat et errores de imperio mundi,cùm testatur hunc Christũ fore agnũ, id est,uictimam,Item cùm prædicit gentis interitum.

Doctrina Baptistæ de bonis operibus.

Postquam hanc partem doctrinæ de fide diligenter consideraueris,quærenda erit etiam altera pars, uidelicet doctrina de bonis operibus.Hanc quoq; tradit,inquiens,Facite dignos fructus pœnitentiæ,& interrogatus non monstrat opera ceremoniarum, ut Pharisæi,sed moralia opera, sicut semper Prophetæ damnarunt superstitionem communem hominum,qua ceremoniæ anteferuntur moralibus operibus, ut Esaiæ 1. 58. Psal: 50. & alibi sæpè monemur. Idem locus etiam utilem doctrinam continet,de approbatione uitæ politicæ & militiæ, & quidem leges tradit memorabiles, quæ frenant cupiditates gubernatorum, & discernunt facultates inferiorum à rebus superiorum: Non putate, inquit, licere uobis ex ciuium bonis rapere quantum libet, sed estote contenti stipendijs uestris,Item, non plus exigite,quàm constitutum est,&c. Idem locus testatur receptas esse gentes, Ita incoat Ioannes hanc Ecclesiam colligendam ex gentibus & Iudæis,habuit igitur maius officium cæteris Prophetis. Fuit monstrator præsentis Christi,habuit mandatum incoandæ nouæ Ecclesiæ, baptizandi & recipiendi gentes.

DE QVINTO.

IDeo reuelationes aliquæ summorum Doctorum scriptæ sunt,ut erudiant & confirment reliquam Ecclesiam.

Ecclesiam. Quare in historijs Patrum,Prophetarum & Apostolorum confirmationes illæ diligenter quærantur. Est autem Ioanni clarissimum testimonium exhibitum de tribus personis diuinitatis in baptismo Christi. Patris uox auditur, & nominatim discernuntur ea uoce Pater & Filius: Hic est Filius meus dilectus,quo delector. Filius stans in flumine cernitur oculis. Conspicitur & species columbæ, in qua erat Spiritus sanctus. Nam & Pater dixerat Ioanni, in in hac specie esse Spiritum sanctum.

Reuelatio trium personarum dĩ uinitatis.

Ergo & intellexit Ioannes articulum de Trinitate, & Ecclesiæ tradidit. Nam hanc reuelationem ideo patefecit alijs,ut eos de natura Dei, de æterno Patre,Filio,& Spiritu sancto doceret,& discrimina officiorum ostenderet.Docet & de duabus naturis in Christo,cùm ait, Filium ante se fuisse, & nunc missum esse, ut fiat uictima. De Spiritu sancto scit eum agitatorem esse,qui datur propter Filiũ,et nouos motus Deo placentes in credentibus,nouam lucem et uitã accendit.Ideo dicit,Baptizabit uos Spiritu sancto.

Baptista docuit omnes articulos fidei.

Iam si ordine recenseas totum symbolum, uides Ioannem de omnibus articulis concionatum esse. Ita discamus totum Ioannem intueri, id est, uniuersum doctrinæ corpus complecti. Præcipuè uerò in nostra inuocatione mens cogitet reuelationem Ioanni factam,ut discernamus inuocationem nostram à Iudaica & Turcica,inuocemus Deum æternum, qui se patefecit per Filium,et de eo dixit, HIC est Filius meus dile-

us dile-

us dilectus,petamus nos exaudiri & recipi propter Filium, & regi Spiritu ſancto.

DE SEXTO.

Diſcrimen baptiſmi Ioannis & Chriſti.

QVòd inquit, Ego baptizo uos aqua, ſed qui poſt me ueniet, baptizabit uos Spiritu ſancto,& igni,neceſſarium diſcrimen eſt. Sed ualdè prodeſt ſciri,non externum baptiſmum diſcerni,ſed perſonas. Longè differt Chriſti perſona à miniſtris. Id ſæpè inculcat Ioannes,ut diſcamus Chriſtum non tantùm eſſe doctorem,ut imaginantur omnes ignari Euangelij,ſed ſciamus ſaluatorem eſſe. Cùm audis prædicantem Ioannem,aut Paulum,fides intucatur Chriſtum,non iſtos doctores, & ſciat propter Chriſtum dari remiſſionem peccatorum, & à Chriſto petat Spiritum ſanctum & uitam æternam, non à Ioanne uel Paulo.

Ideo Ioannes ſignificantiſſimè dixit,ego ſum,quaſi dicat,ſum tantùm miniſter ſonans Euangelium, per quod alius eſt efficax,ſcilicet,Chriſtus. Ita dicit ſe baptizare aqua,id eſt,adhibere externum miniſterium, ſed alium eſſe efficacem,ſcilicet Chriſtum, qui baptizat Spiritu ſancto,hoc eſt, dat Spiritum ſanctum, & uitam æternam credentibus & inuocantibus. Econtra uerò baptizabit igni omnes impios,id eſt, æterna ira & cruciatibus obruet eos ſicut poſtea inquit,paleas comburet igni inextinguibili Veros & horrendos terrores uocat ignem, ut ſæpè ſcriptura loquitur.

tur. Hos deguſtant pij in pœnitentia, ſed liberantur. Impij uerò opprimuntur æterno pauore & dolore.

DE SEPTIMO.

POſtquam de miniſterio & de doctrina Baptiſtæ dictum eſt,deinde de eius priuatis uirtutibus dicatur. Sed quoties exempla proponuntur,ſciamus diſcrimina eſſe uocationum,& gradus uirtutum, imitetur unusquisq; ea quæ ſuæ uocationi competunt,& imitetur pro ſua mediocritate: Nec exiſtimet ſe illorum excellentium uirorum gradus aſſequi,Sed ipſam mediocritatem magnum decus eſſe in his, quæ competunt noſtræ uocationi. Sicut Paulus inquit, Hoc requiritur,ut fideles ſimus.

Victus Ioannis pro ſua uocatione.

Quòd uerò Ioannes uiuit in deſerto,hoc illius uocationi conueniebat,tuæ non conuenit. Quia cùm natus eſſet in tribu ſacerdotali, debebat ſacrificare in templo. Cùm igitur Deus incoaret per eum aliud miniſterium,uoluit eum diſcedere à templo. Ideo uerſatur in deſerto, ac intelligebant ſacerdotes rem nouam agi,& contrariam legi. Hæ cauſſæ factorum in exemplis conſiderentur, & ſciamus non omnia conuenire omnibus.

Victus Ioannis.

Quia autem erat in deſerto,res ita ferebat,ut uictus eſſet ſordidior, etſi de locuſtis ego arbitror,ut contra legem fecit Ioannes, quòd diſceſſit à templo, ita contra legem de cibo feciſſe, ut oſtenderet finem eſſe politiæ Iudaicæ, & Euangelium ad gentes quoq; pertinere,& tolli diſcrimina ciborum. Locuſtæ enim

usitatè cancros significant, quibus non licebat uesci populo legis. Consentaneum est autem Ioannem usum esse rebus obuijs ad Iordanem, ubi piscatores ei cancros dabant, quos alioqui non uendebant. Moueor & significatione locustæ. Naturale dissidium est locustæ cum serpentibus, & dicitur in pugna arte prehendere collum serpentis. Sic Ioanni dissidium fuit cum Pharisæis, & horum colla, id est, doctrinam strangulauit. Si quis autem mauult locustam intelligi insectum non repugno.

De morte Ioannis.

Maximè uerò mors talis uiri consideranda est, nec tantùm inde sumantur hæc nota præcepta, quòd oporteat uera docere, & potius oppetere mortem, quàm abijcere confessionem ueræ sententiæ, iuxta illud: Qui non confitebitur me coram hominibus, non confitebor eum coram Patre meo cœlesti. Sed multò magis hoc considerandum est: quare non semper Deus defendat suos aduersus Tyrannos. Hæc species ualdè offendit humana iudicia. Sed hîc discamus propriam Ecclesiæ sapientiam esse, intelligere quòd sit subiecta cruci, & cur sit subiecta cruci.

Quare Deus suos obiiciat tyrannis.

Sed de his ducibus in ministerio uerbi, est singulare quiddam. Præcipua causa est, quòd Deus per hos ostendere uult testimonium de futuro iudicio. Constat ex prioribus testimonijs, Deo uerè placere Esaiam, Hieremiam, Ioannem, Paulum, & similes. Nec approbauit eos tantùm ut sint miseri, ac redigantur in nihilum. Nec ideo reijcit impios, ut sint florentes. Imò erit

erit aliquando discrimen. Ergo cùm suos interfici sinit, testatur instare aliud iudicium, in quo patefaciet iram suam aduersus impios, & ornabit gloria suos, sicut dictum fuit ad Cain, Si benè feceris, recipies: sin autem malè feceris, peccatum tuum quiescet, donec reuelabitur. Testatur enim Deus uerè se recipere iustos, & irasci peccato, sed differre iudicium, & hæc mora confirmat securitatem in impijs, ideo dicit: quiescet peccatum, sed tamen postea patefiet ira aduersus peccatum. Huius uenturi iudicij illustria testimonia sunt neces eorum, quos Deus sibi placere certis testimonijs ostendit. Habes præcipuam causam.

Postea sunt et aliæ causæ. Deus uult eos ostẽdere, quòd seriò et ex animo sentiant uerã esse doctrinam. Nam si professio doctrinæ nihil afferret periculi, non posset sciri an seriò sic sentiant. Nunc cùm uitæ anteferunt, ostendunt se seriò sic sentire, ostendunt et hoc, professionem magis necessariam esse, quàm uitam.

Tertia causa est, uult etiam conspici, quòd Deo nõ seruiant seruiliter, non captantes huius uitæ tranquillitatem, sed quòd uero amore noticiam Dei anteferant omnibus rebus.

Quarta causa est, ut fiant similes imaginis filij Dei.

Quinta causa est, quòd uniuersaliter sanctorum mors testatur, reliquum esse peccatum in natura hominis, propter quod omnes omnibus calamitatibus subiecti sumus, quas tamen Deus infirmis mitigat, si-

cut in Psalmo dicitur: Si iniquitates obseruaueris Domine, quis sustinebit? id est, si effunderes iram tuam aduersus molem peccatorum nostrorũ, & omnia pro merito punire uelles, omnes subitò interirent, & ruerent in æternas pœnas, sed parcis propter Mediatorem Filium.

Doctrina ex nece sanctorum.

Omnino insignis schola est consideratio necis sanctorum, & de summis rebus nos admonet, de futuro iudicio, de peccato communi naturæ humanæ, de mirabili consilio Dei, quo Ecclesiam uult esse subiectam cruci, Quid est dissimilius, quàm Nero & Paulus? & tamen Paulus toties antea seruatus, laceratur ab illa fœdissima bestia. Quid est dissimilius Herode & Baptista? quem natum singulari Dei opere, & uocatum ad summum ministerium, & ornatum singulari luce Euangelij, interficit tyrannus tam citò: Ioannes enim non toto biennio concionatus est in deserto, Quia circiter secundum Pascha, post incoatam prædicationem interfectus est, ut indicat series historiæ Euangelicæ.

EVANGELIVM DIE VISITATIONIS MARIÆ.

Lucæ I.

IN diebus illis, exurgens Maria abijt in montana cum festinatione, in ciuitatem

tatem luda, & intrauit in domum Zachariæ, et salutauit Elisabeth. Et factum est, ut audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, salijt infans in utero eius, Et repleta est Spiritu sancto Elisabeth, Et exclamauit uoce magna & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Et unde hoc mihi, ut ueniat mater Domini ad me? Ecce enim ut facta est uox salutationis tuæ in auribus meis, salijt præ exulta-

tione infans in utero meo. Et beata quæ credidit, quoniam perficientur ea, quæ dicta sunt ei à Domino.

Et ait Maria: Magnificat anima mea Dominum. Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit ad humilitatem ancillæ suæ, ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens est, & sanctum nomen eius. Et misericordia eius in progenie & progeniem, timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sedibus, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Suscepit Israël puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus, & reuersa est in domum suam.

Pulcerrima est historia, & plena spiritualis & Christianæ doctrinæ. Habet autem tres præcipuos locos.

I. Testi-

I. *Testimonium de Messia.*
II. *Imago Ecclesiæ, & ueræ Synodi.*
III. *Canticum Mariæ.*

DE PRIMO.

MAgnum discrimen est inter Ecclesiam, & inter imperia mundi, Ecclesia est exiguus cœtus eorum, qui retinent puram doctrinam Euangelij, & credunt in Christum, dissipatus, contemtus & spretus in mundo, qui miratur potentiam, gloriam, uictorias & triumphos magnorum imperiorum. Et tamen hic paruus cœtus Ecclesiæ, uerè gerit res maximas. Etsi igitur Christi actiones non conspiciuntur in mundo, ut Alexandri aut Cæsaris res gestæ, tamen non est prorsus ignotus, & habet sua testimonia, Quia oportet esse aliquam Ecclesiam, in qua Deus uult se & Filium suum cognosci, & uult aliquem cœtum saluum fieri, in quo ipse celebretur in uita æterna, ideo exhibuit multa testimonia, quæ fidem nostram confirment, de omnibus articulis, quòd hic sit Christus exhibitus iuxta promissiones. Ita hic statim à concepto Christo recitantur testimonia. Conueniunt testes, Maria, Elisabeth anus grauida singulari miraculo Dei, infans exultans in utero, Zacharias cui hactenus muto subitò redditur loquela, & alij in hac familia. Nam Maria proficiscitur ad cognatam, non propter priuatam amicitiam, sed propter hoc illustre testimonium, & propter confirmationem suæ fidei, & aliorum sanctorum. Testimonia de Christo.

DE SECVNDO.

Imago ueræ Ecclesiæ in hoc conuentu.

Considerandа est imago Ecclesiæ, & petenda consolatio ex hoc loco, ut non deficiamus à ueritate, decepti specie & titulo Ecclesiæ. Vocant se Ecclesiam Pontifices, Episcopi, Reges, & his addicti: sicut olim Caiphas, Annas, Pharisæi, Saducæi, Sed non sunt Ecclesia. Interim est alia parua Ecclesia uera, sicut Paulus inquit, Non omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël. Vt igitur tunc erant Ecclesia Zacharias, Elisabeth, Maria, & pauci alij, ita nunc est exiguus numerus credentium in Christum, & rectè colentium Deum, Et hunc cœtum persequuntur Pontifices & Episcopi, sicut tunc erant hostes sanctorum, Caiphas & similes. Dicitur enim & Zacharias interfectus esse, propterea quòd affirmauit Messiam uenisse, sicut scribit Epiphanius.

Prima Synodus nouæ Ecclesiæ.

Est & hic congressus Mariæ, Elisabeth, Zachariæ, imago uerè piæ & Christianæ Synodi. Nam hoc primùm fuit concilium nouæ Ecclesiæ. Puella Maria uenit per XX. milliaria, tantùm enim ferè fuit iter à Nazareth Ierosolymam usq;, ibi narrat cognatæ Elisabeth & familiæ de suo conceptu, & testimonio Angeli, Elisabeth uicißim illi testimonium perhibet, et accedit Zacharias senex, cuius pietas publicè nota est, et ex muto subitò loquens, et sua uoce confirmat hæc testimonia. Ita in hoc conuentu concluditur de summo & grauißimo articulo, de concepto & exhibito Messia, & uera est ac rata definitio sanctißimæ Synodi,

Synodi, etiamsi non accedit decretum aut approbatio Pontificum & Pharisæorum. His testimonijs adduntur & Cantica, seu gratiarum actio, ut extet confessio etiam ad posteritatem, & prædicetur hoc ingens Dei beneficium, quòd misertus populi sui, miserit Filium. Hoc uult Maria agnosci, & palàm celebrari. Non uult occultari, aut obrui ueritatem, sed extare noticiam ueræ doctrinæ, ut agnoscatur & glorificetur Deus, ut rectè colatur & inuocetur. Talia concilia approbat Deus, quæ quærunt ueritatem, et iuxta uerbum Dei testimonium perhibent de Christo, non quæ præstigijs sophismatum & fucosis articulis obruunt ueritatem.

Testimonia Synodi de Messia exhibito.

DE TERTIO.

De Cantico Mariæ.

IN hoc Cantico Maria gerit personam totius Ecclesiæ. Est enim confessio de Messia, & gratiarum actio, & descriptio uictoriæ Ecclesiæ, contra mundum, tyrannos, & omnia membra diaboli. Quare & nos sciamus à nobis postulari, ut uerè unà canamus & sequamur hanc præcentricem, quæ ut in choro incoatrix est huius carminis, ac ingenti animo edit confessionem.

TRIA ergo comprehendit.

I. Gratiarum actionem. Magnificat anima mea Dominum. Id est, ex tota anima, toto corde glorifico Deum. Non dubito uitam in discrimen offerre, pro-

Confessio anteferenda omnibus rebus.

pter confeßionem. Sic debemus & nos affecti esse, ut confeßionem anteferamus omnibus rebus, uitæ, facultatibus, liberis. Qui sic affectus est, uerè canit hunc hymnum, Magnificat anima mea Dominum. Quando trahebantur ad mortem, Ioannes Baptista, Paulus, & similes, tunc uerè dicebant: Magnificat anima mea Dominum. Sic sunt Christiani fortißimi milites, cogitant, Magnificat anima mea Regem, pro quo pugno, uitam meam, & omnia conijcio in discrimen, ut dimicem pro Rege, ut sit magnus & uictor.

SECVNDA PARS

Cantici.

Dei beneficia in Ecclesia.

Respexit humilitatem ancillæ suæ. Fecit mihi magna qui potens est, &c. Hæc est narratio beneficiorum, quæ in Ecclesia Deus efficit. Cùm Ecclesia sit spreta, humilis, parua, Deus tamen dat eis uictorias, conseruat eam contra tyrannos, & sapientiam mundi. Hæc est summa huius partis. Loquitur Maria de se, sed non tantùm de se sola, sed de toto corpore Ecclesiæ. Respexit Deus humilitatem, id est, miseriam ancillæ suæ. Quamuis simus abiecti, quamuis simus imbecilles, sine præsidijs, sine defensione humana, tamen respicit nos Deus, exaudit, iuuat contra tyrannos & sapientes mundi. Hîc discamus, quòd in sola Ecclesia sic agnoscatur Deus, quòd sit Deus remittens peccata, & miseros credentes exaudiens. Humana ratio & omnes religiones, præter Euangelicam, aliter sentiunt de Deo. Habent talem opinionem, quòd Deus non curet, non respiciat afflictos. Et est singularis & arcana sapientia, & solorum credentium in Christum, erigere se fide, & credere remißionem peccatorum, & petere & expectare auxilium, &c.

Tunc hæc fiunt, Fecit potentiam brachio suo, etc. seruat Ecclesiam inter pericula, sicut seruauit electos cùm ducerentur in captiuitatem Babylonicam. Dißpergit superbos confidentes sua sapientia, sicut confudit magos Pharaonis, sic nunc confundit sapientia sua confidentes Papistas, & alios. O magnum peccatum, quod non intelligunt sapientes: quòd uolunt Ecclesiam suis consilijs regere & mutare. De his est dictum, Perdam sapientiam sapientum. Deponit potentes de sede, sicut Romanos perdidit persequentes Christum. Exaltat humiles. Esurientes implet bonis, consolatur, seruat Ecclesiam.

TERTIA PARS.

Confeßio doctrinæ.

Summum beneficium Dei quod dederit Filium.

TErtia pars est propria illius concilij confeßio, quòd Meßia dato, recordatus est Deus promißionum. Hæc est summa cantici. Ita et nos agamus gratias, & cùm recitamus hoc canticum, intueamur animo totam Ecclesiam, cogitemus qualia sint certamina in Ecclesia propter confeßionem, quàm mirabilibus operibus DEVS defendat ECCLEsiam. Cogitemus requiri à nobis confeßionem, cogitemus hunc

hunc esse summum cultum, quem hæc puella, id est, tota uera Ecclesia, præstat, prædicare Deum quòd dederit Messiam, quòd elegerit Ecclesiam perpetuò uicturam, quòd eam defendat & seruet, non humanis uiribus aut consilijs. Hæc discenda sunt in lectione huius historiæ, qualis sit uera Ecclesia, & qui sint ueri cultus, & repetenda sunt animo, testimonia de Christo, ut nostram fidem confirmemus, & nos ad inuocandum excitemus.

Spiritus S. efficax in Ioanne infante.

Reliquum est exemplum de infante Ioanne, qui in utero sensit adesse Dominum & Messiam. Quanquam autem hoc de Ioanne peculiare est, tamen est testimonium, quòd Spiritus sanctus etiam in paruulis sit efficax, & quòd habeant motus quosdam, quanquam nobis incognitos, tamen Deo placentes. Ideo cùm audis, Talium est regnum cœlorum, cogites in infantibus Spiritum sanctum certos motus efficere, quales sunt sanctorum, qui sunt membra regni cœlorum, id est, Ecclesiæ ueræ. Et hi motus pij excitantur uerbo, ut hìc dicitur, Postquã sonuit uox tua, &c.

EVANGELIVM
DIE MARIÆ MAG.
DALENÆ.
Lucæ VII.

ROgabat Iesum quidam de Pharisæis, ut manducaret cum ipso, & ingressus

ingressus in domum Pharisæi, discubuit. Et ecce mulier in ciuitate quæ erat peccatrix, ut agnouit quòd accubuisset in domo Pharisæi, attulit alabastrum unguenti, & stans retro secus pedes eius flens, lacrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui extergebat, & osculabatur pedes eius, & unguento ungebat.

Videns autem Pharisæus qui uocauerat

uerat eum,ait intra se,dicens, Hic si esset Propheta,sciret utiq;, quæ & qualis est mulier quæ tangit eum,quia peccatrix est.Et respondens Iesus,dixit ad illum,Simon,habeo tibi aliquid dicere. At ille ait, Magister,dic: Duo debitores erant cuidam fœneratori, unus debebat denarios quingentos, alter autem quinquaginta. Non habentibus autem illis unde redderent, donauit utriq;. Quis ergo eorum,dic,eum plus diliget? Respondens autem Simon,dixit, Existimo, quòd is, cui plus donauit. At ipse dixit ei, Rectè iudicasti.

Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni, Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti, hæc autem lacrymis rigauit pedes meos, & capillis capitis sui extersit,Osculum mihi non dedisti,hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos. Oleo caput meum non unxisti,hæc autem unguento unxit pedes meos. Propter quod dico tibi. Remittuntur ei peccata multa, quoniam

quoniam dilexit multum. Cui autem minus dimittitur,minus diligit.

Dixit autem illi, Remittuntur tibi peccata.Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se. Quis est hic, qui etiam peccata remittit? Dixit autem ad mulierem, Fides tua saluam te fecit,Vade in pace.

Tres habet præcipuos locos.

I. *Tota historia est exẽplũ doctrinæ de pœnitẽtia,quæ est propria Euangelij doctrina.*

II. *Simul etiam proponitur collatio piorum ad Hypocritas.*

III. *Deniq; tota historia est mirifica imago Ecclesiæ.*

DE PRIMO.

Semper dicimus in cõuersione oportere existere contritionem,hoc est,pauores ortos ex agnitione iræ Dei aduersus peccatum, sicut in Adam, Dauide,Ezechia,Petro,Paulo,& alijs multis cernitur,& Ioël inquit, Scindite corda uestra in planctum. Et Esa. 66. Ad quem respiciam? nisi ad humilem & contritum spiritu, & trementem sermones meos. Et 2.Cor.7.Tristicia secundum Deum,efficit pœnitentiam ad salutem. Item Rom. 7. Peccatum per legem occidit

occidit me, ut fieret excellenter peccatum, id est, ut conspiceretur reatus & ira Dei. Cùm enim humana securitas non uideat, quanta res sit peccatum, Deus uerbo suo corda iudicat, & ostendit iram suam, hic agnoscimus Deum uerè irasci, & expauescimus. Sic peccatum fit excellenter reum, &c.

Horribiles pœnæ peccati humani generis.

Quanta uerò res sit offendere Deum, æstimetur ex primo peccato: quàm horribilis pœna secuta est primam inobedientiam hominum, uidelicet, perpetua miseria posteritatis uniuersæ: quanta pœna secuta est lapsum Dauidis: Sed humana mens ut immensam iusticiam & iram Dei non comprehendit, Ita nec magnitudinem peccati comprehendere potest, sed aliquantulum aspicimus, cùm corda uerè expauescunt, ut inquit Ieremias: Postquam ostendisti mihi, percussi femur meum. Ideo etiam hæc ingens moles calamitatum imposita est generi humano, ut nos de pœnitentia admoneat, Sicut Paulus inquit, Corripimur à Domino, ne cum hoc mundo damnemur. Existat igitur in nobis contritio, et agnitio iræ Dei, sicut in hac muliere conspicitur, quæ flens astat ad pedes Christi.

DE SECVNDO.

De fide remissionis peccatorum.

SED non satis est existere pauores, nec fugiamus Deum, ut Cain, Saul, Iudas: Sed sciamus donatum nobis esse propiciatorem, ad quem Deus uult nos confugere, & quidem sciamus omnium mandatorum præcipuum esse, hunc Filium Dei agnoscere, honore afficere, & per eum uelle ad Patrem redire, sicut

sicut scriptum est, Osculamini Filium. Beati omnes qui confidunt in eo.

Promissiones iureiurando iancitæ.

Sciamus item sæpè iureiurando à Deo confirmatas esse promissiones, de remissione peccatorum, & liberatione à peccato & morte æterna. Verè igitur uult Deus nos saluos fieri, ut, Viuo ego, nolo mortem peccatoris, sed ut conuertatur & uiuat. Item, Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, &c. Et Psalm. 88. inquit Augustinus: In æternum regnabit Christus in sanctis suis, hoc dixit Deus, hæc promisit, si parum est, hoc iurauit, quia ergo non secundum merita nostra, sed secundum misericordiam firma est promissio, credamus & inuocemus, &c.

Venit ergo ad hunc Dominum mulier, & quærit consolationem. Audit igitur uocem de remissione peccatorum, Fides tua saluam te fecit, uade in pace. Hæc uerba concionantur de altera parte conuersionis, scilicet de fide, Christus expressè nominat fidem, dicit eam fide recipi in gratiam, & saluari.

Ita duæ partes pœnitentiæ hic clarè proponuntur. Contritio quia iudicatur peccatum: sed hic pauor opprimeret mentem æterna morte, nisi accederet consolatio. Accedit ergo altera pars, scilicet fides, quæ est fiducia erigens animum, quòd Deus per misericordiam propter Mediatorem recipiat credentem, uerè ignoscat, exaudiat, faciat hæredem uitæ æternæ. Hac fiducia concipit cor nouam lucem &

Fides mulieris in contritione.

uitam,ut dicitur,Iustus fide sua uiuet. Item,Vt promissionem Spiritus accipiamus per fidem.

DE TERTIO.

De dicto, Remittuntur ei peccata, quia dilexit.

SED cur antea dixit? Remittuntur ei multa,quia dilexit multum,& cui multum remittitur, multum diligit: Hîc uidetur dilectio dici causſa remissionis. Facilima & simplicissima responsio est: Christus testatur conuersam esse, & certè conuersio necessaria est,& tribuit huic miseræ mulieri iam illam eximiam laudem,quam sibi falsò arrogabat populus legis,quasi dicat Christus: Hæc mulier implet legem, & est membrum populi Dei. Tu nec imples legem, nec es membrum populi Dei.Cõstat autem,et semper hæc dicimus,conuersionem necessariam esse,seu incoatam obedientiam,& tamen cùm dicat: Fides tua saluam te fecit,testatur etiam Christus, remissionem accipi fide,non propter obedientiam aut dilectionem.

Mulieri conuersæ ad Christum tribuitur laus impletæ legis.

Alia responsio est expeditior. Duplex est absolutio. Alia conscientiæ,quæ fit fide. Alia publica coram Ecclesia, quæ fit propter opera. Sed de his solutionibus postea. Prius ipsa concio Christi consideretur, quæ est dulcissima consolatio pijs, adiungenda huic sententiæ. Gratia exuberat supra peccatum, & opponi debet tentationi qua cor magnitudine certi alicuius peccati angitur: ut Petrus angitur conspectu negationis,aut Dauid conspectu adulterij,cædis. Hic opponenda est uox, Gratia exuberat supra peccatum,& hîc: Cui multum remittitur,multum diligit, quasi

quasi dicat,quò magis agnoscis remissionem, eò magis agnoscis magnitudinem beneficij Dei erga te. Maior ergo flamma fidei & dilectionis oritur, & uicissim magis diligit Deus magis diligentem. pra peccatum.

Sic consolatur Deus ualdè lugentem, & utrunq; complectitur,testatur Deum uerè obliuisci peccata nostra,& non μνησικακεῖν,& tribuit mulieri laudem ueræ obedientiæ,ut possit retinere fidem, & sciat se deinceps placere Deo, etiamsi antea horribiliter offendit. Diligenter igitur obseruanda est hæc Christi consolatio,et opponenda magnitudini lapsus, ne postea existimemus,nos minus diligi,minus recipi, &c. Et referatur ad hoc dictum, Gratia exuberat supra peccatum.Econtra taxatur superbia Pharisæi, hunc significat Christus ignarum esse remissionis peccatorum,ideoq; sine dilectione esse.

II. Publica absolutio coram Ecclesia.

Sed redeo ad solutiones,Expeditissima est,dicere, duplicem esse remissionem,Alteram coram Deo,hanc fieri fide.Alteram coram Ecclesia,hanc fieri propter bona opera, Et huic solutioni patrocinatur,quòd ad mulierem dicitur,Fides tua saluam te facit. Sed Pharisæo accusanti mulierem & damnanti, allegantur opera & dilectio,ut apud hunc quoq; absoluat.

Si quis autem flagitat aliam responsionem, uera est & infallibilis sententia,fidem non posse niti pariter promissione, & conditione nostræ dignitatis, si cogitandum erit,tunc habebis remissionem, cùm satis habebis meritorum,ut clarè ostendit narratio in tex-

tu,non uult nos eam transferre in nostra opera, nec potest uagari fides, & relicto propiciatore quærere propriam dignitatem.

Dilexit intelligendum de tota conuersione, & tamen fide accipi remissionem.

Cur igitur alibi dicitur, Remittuntur ei multa, quia dilexit multum ? Respondeo, Synecdochen esse usitatam,ac si dicat,quia conuersa est. Verissimum est enim,conuersionem necessariam esse,& tamen interim fide accipitur remissio,et non propter nostram dignitatem. Hæ synecdochæ sunt usitatissimæ. Esaiæ 1. Desinite malefacere. Item, Conuertimini ad me, & conuertar ad uos. Item, Redime peccata tua iusticia,& erit sanatio delictis tuis.Hæc dicta & similia continent synecdochen, in qua plures partes conuersionis comprehenduntur, quæ quomodo sint discernendæ,ex alijs locis discendum est. Certum est enim remissionem dari propter propiciatorem, non propter nostram dignitatem, & tamen uerum est, sequi oportere dilectionem, id est, obedientiam nouam, quam hîc magnis laudibus ornat, ut testetur eam placere Deo.

ALLEGORIA.

Discrimen ueræ Ecclesiæ & Hypocritarum.

DVo sunt cœtus in Ecclesia: unus est Hypocritarum,qui securi tument persuasione iusticiæ, ij nec peccatum norunt, nec remissionem peccatorum,nec fidem: & interim quia fortassis mediocriter præstant disciplinam,admirantur sese, & gloriantur se iustos esse, ad horum mensam assidet Christus,id est,hi sunt Pontifices, gubernatores, habent titulum Ecclesiæ, quare sub eis sonat alicubi uox Euangelij. Est et alius cœtus,scilicet audiens Euangelium,agnoscens peccatum,uerè lugẽs errata sua, uera fide quærens Christum.Huic cœtui agenti pœnitentiam & credenti,tribuit Christus testimonium, quòd sit uera Ecclesia,tribuit idem laudem ueræ obedientiæ, quòd impleat legem,quòd diligat. Hanc laudem arrogant sibi falsò Hypocritæ, ideo Christus transfert eam in hunc cœtum,quem hypocritæ despiciunt, propterea quia minus est speciosa uita huius cœtus.

Lauare pedes Christi.

Præcipuum autem officium,quòd Christus tantopere prædicat, hoc est, quòd mulier lauit & unxit pedes. Significant autem pedes præcipuè ministerium Euangelij: hoc curat, & omni officio tueri & conseruare studet uera Ecclesia, fouet pios doctores omnibus officijs. Econtra Pharisæi, Pontifices negligunt ministerium Euangelij, quærunt imperia, condunt leges utiles tuendis opibus, dignitatibus, interficiunt pios doctores.

EVANGELIVM DIE MICHAELIS.

Matth: XVIII.

De Angelis.

IN illa hora accesserunt discipuli ad Iesum dicentes: Quis ergo maior est

in regno cœlorum? Et aduocans Ieſus paruulum, ſtatuit eum in medio eorum, & dixit, Amen dico uobis, niſi cõuerſi fueritis, & efficiamini ſicut paruuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunq; ergo humiliauerit ſeipſum ſicut paruulus iſte, hic maior eſt in regno cœlorum. Et qui ſuſceperit unum paruulũ talem in nomine meo, me ſuſcipit. Qui autem ſcandalizauerit unum de puſillis iſtis, qui in me credunt,

dunt, expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris.

Væ mundo ã ſcandalis, Neceſſe eſt enim ut ueniant ſcandala, ueruntamen uæ homini per quem ſcandalum uenit. Si autem manus tua uel pes tuus ſcandalizat te, abſcinde eum, & proĳce abs te, Bonum eſt tibi ad uitam ingredi claudum uel debilem, quãm duas manus uel duos pedes habentem, mitti in ignem æternum. Et ſi oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proĳce abs te, Bonum eſt tibi cum uno oculo in uitam intrare, quãm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis unum ex his puſillis, dico enim uobis, quòd Angeli eorum in cœlis, ſemper uident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt.

Septem ſunt loci præcipui.

I. *Error ſeu peccatum Apoſtolorum contendentium de primatu.*

II. *Reprehenſio certaminum de regno, quæ oriuntur uel ex falſa perſuaſione de regno*

Christi, uel ex ambitione. Et ex his certaminibus oriuntur neglectio doctrinæ, schismata, hæreses, odia, bella, & uastitates Ecclesiarum. Ideo Christus tantopere incandescit in hoc loco, intuens uenturas in Ecclesia ingentes & horribiles discordias, quæ dissipaturæ sunt Ecclesias, & futuræ uastitates.

III. Quam igitur uult esse formam regiminis? nulla ne erit superior potestas gubernans? Responsio. Christus uult regi Ecclesias Euangelio suo, & non autoritate humana, non gradibus Episcoporum.

IIII. Etsi est æqualitas arithmetica, gubernatorum in Ecclesia, Quia Christus non uult quenquam excellere potestate, tamen est inæqualitas donorum, Ita fit geometrica proportio, cùm uidelicet excellentes donis, diligenter consulunt inferioribus, & antecellunt eos autoritate. Et econtra, inferiores obtemperant & cedunt excellentioribus, propter uerbum Dei.

V. Admonitio de cauendis scandalis doctrinæ & morum.

VI. De custodia Angelorum.

VII. De infantibus in Ecclesia insigne testimonium, quòd Deo placeant.

DE

DE PRIMO.

Errores et peccata in sanctis.

Discamus in sanctis etiam esse errores & peccata, sicut hic Apostoli adhuc imaginantur regnum Christi fore mundanam politiam, in qua, ut in regno sint futuri gradus dissimili potestate. Plus mali fuit si etiam ambitione, inuidia, æmulatione Apostoli certauerunt, & alius alteri se suo iudicio prætulit, sicuti in Luca significatur, cap. 22.

DE SECVNDO.

Pernicioſa opinio de regno in Ecclesia.

Vidit haud dubiè Christus, quantùm mali paritura essent hæ opiniones de constituendo regno in Ecclesia, inde enim multa sequuntur, Episcopi armati potestate, condunt leges, instituunt cultus, ceremonias, ut Missam & similes. Hæc postea putatur iusticia Euangelij, ita opprimitur ueritas. Præterea cùm accedit ambitio, quanti motus oriuntur? ut Arrius præferri sibi doluit Alexandrũ in electione Episcopi. Et omnes ætates uiderunt similia exempla. Item, Romæ quanta fuerunt certamina de electione ante mille annos? Vnde uox illa orta est, Plures Romuli more, quàm Petri peruenire ad Episcopatũ. Sed multò plus mali peperit ambitio ingeniorũ de laude doctrinæ contendentium, unde sunt ortæ hæreses, schismata, & multæ aliæ pernicioſæ mutationes. Sicut ex Arriana dissensione ortus est Mahomet, inde secuta est uastitas Ecclesiarum. Hæc omnia intuens Christus, hic tam duriter concionatur de scandalis, et

nos admonet, ut uerbo regi uelimus, ut caueamus ambitiosa certamina de doctrina, & de ministerio.

DE TERTIO.

Ecclesiæ regimen in ministerio Euangelij.

QVam constituit hic formam regiminis? Principalis responsio est in hoc dicto, Si quis puerum recipit in nomine meo, me recipit. Hic ostendit se alligare Ecclesiam, non ad ullius hominis personam sed ad uerbum suum. Ideo inquit, siue puer, siue alius uerbum meum attulerit, audite. Verbo regi uos uolo, non gradibus personarum. Hoc uult, cùm ait, Si quis puerum receperit in nomine meo, id est, uerbum meum afferentem: et postulat ut ipsi Apostoli sint humiles more infantum, nihil adhuc de regno disputantium. Est enim facilis & illustris applicatio seu collatio. Nam fortiora naturaliter sibi sumunt imperium in inferiora. Ideo infantia sentiens imbecillitatem, non dum sumit sibi imperium in alios, etsi fortassis alia natura magis, alia minus obtemperat, tamen omnes infantes metuunt grandiores.

Ecclesiæ potestas seu regimen non est imperium.

Est igitur perspicua collatio, et detrahit potestatem gubernatoribus Ecclesiæ. Vt infantes non sumunt sibi imperium in alios, sed accipiunt dictata à fortioribus, Sic uult Christus Episcopos sine imperio circumferre dictata in Euangelio tradita. Videmus igitur displicere Christo hanc tetram dominationem in Ecclesia constitutam, quæ quidem etiam iniustas leges impios cultus, tyrannicis imperijs retinet, & defendit, Et accedunt multa alia ingentia peccata.

Peculiaris

Christus solo uerbo regi uult Ecclesiam.

Peculiaris doctrina est Christianorum, de uoluntate Dei statuere ex ipsius uerbo, non ex opinionibus nostris aut euentibus. Ideo ut uerbi autoritas amplificetur et magnifiat, Christus abducit homines à conspectu personarum, & monstrat uerum ac solum gubernatorem, scilicet, ipsam uocem Euangelij, sicut alibi sæpè dicitur, Lucerna pedibus meis uerbum tuum, Item, Hunc audite, Si quis sermonem meum seruabit, mortem non uidebit. Sed humana ratio leuiter curat uerbum Dei & de Ecclesia cogitat sicut de humana politia, & in omnibus tentationibus prona est ad amplectenda ea, quæ ratio ostendit. Ideo Christus hìc reuocat nos ad uerbum, et uult nos meminisse, uerbum esse rectorem, non personas, non humanam rationem.

DE QVARTO.

De cauendis scandalis.

SCandalum, est falsa doctrina, seu prauum exemplum, quòd alijs nocet, uel quia inuitat ad imitandum, uel quia accersit pœnas publicas, uel quia alienat animos à societate rerum bonarum, uel quia præbet occasionem malis, de Deo & de rebus diuinis malè loquendi.

Gradus scandalorum. I. Doctrinæ. II. Exempli.

GRADVS quinq; facimus.

Primus, est falsa doctrina. Hoc genus scandali nocentißimum est.

Secundus prauum exemplũ, quod imitatione nocet, ut inuocatio Sanctorũ, Item multa alia manifesta delicta, quæ inuitant alios ad peccandũ, aut exemplo licenti-

licentiam augent, ut helluationes, scortationes, &c.

III. Peccata accersentia publicas pœnas.

Tertius gradus est, non tantùm manifestorum scelerum, sed etiam arcanorum, quæ accersunt pœnas publicas, bella, seditiones, & alia mala, quæ secum multiplicia peccata trahunt. Est autem miserrimum sustinere conscientiam, quòd propter nostram culpam infinita multitudo pereat. Vt enim propter Adæ & Euæ delictum totum genus humanum perijt: ut propter Dauidis adulterium, propter idololatriam Achas, Manasse, secutæ sunt ingentes publicæ pœnæ, ita semper in mundo uagantur publicæ pœnæ, ortæ ab aliquibus singulorum peccatis.

IIII. Dedecora alienantia animos aliorum

Quartus gradus est, Prauum exemplum, quod alienat animos à societate rerum bonarum, ut dedecora docentium, aut principum alienant animos ab Euangelio. Ducum turpitudines, ut Antonij, Saulis, languefaciunt animos exercituum, quia iudicant Deum puniturum esse scelera ducum. Huc etiam pertinet in medijs factis petulantia & pertinacia. Petulanter utens libertate apud pios nondum institutos alienat eos. Rursus pertinaciter retinens superstitiones, confirmat errores, & sauciat aliorum piorum, qui libertate utuntur, infirmas mentes, & contristat Spiritum sanctum.

V. Præbentia causam male loqueudi de religione.

Quintus gradus est, qui etiam spargitur in omnes, propterea quòd mali de Deo, & de rebus diuinis sumunt occasionem probabilem ex prauis exemplis malè loquendi, ut Semeias propter Dauidis delictum, tam

tam habet speciosum argumentum, quo persuadeat Dauidem non esse Regem diuinitus uocatum, nec Prophetam. Nam Propheta non uidetur ita ruere. Ita Ezechiel dicit: Propter uos contumelia afficitur Deus inter gentes. Et de filijs Eli dicitur I. Reg. 2. Erat peccatum puerorum grande coram Domino, quia detrahebant homines sacrificio Domini. Has sententias meminerimus, ut cogitemus in singulis prauis factis accedere hoc peccatum, quòd læditur gloria nominis Dei. Præterea meminerimus has seueriſsimas minas, Væ illi per quem uenit scandalum, Hæc dicta testantur grauiſsimè puniri scandala præsentibus & æternis pœnis.

QVINTVS LOCVS.

De custodia Angelorum.

Angeli addicti custodes pijs.

EXtat hic perspicuum testimonium, additos esse custodes Angelos pijs. Hic colligantur similia testimonia. ut, Comes Elisæi uidet se stipatum esse magno exercitu Angelorum, & consideretur hic Antitheſis malorum & bonorum angelorum. Malis duo uicia præcipua tribuuntur, quòd sint mendaces, blasphemi aduersus Deum, & homicidæ, ut in Paradiso utrunq; ostendit diabolus. Excutit enim Euæ mandatum Dei offusa alia opinione, Eritis sicut dij, & traxit totum genus humanum in æternam mortem. Idem adhuc conatur, impellit leuia ingenia ad Epicureas opiniones, aut alias falsas opiniones amplectendas & serendas, Conatur in æternam mortem pertrahere, quot-

Antitheſis de malis angelis.

quotquot potest, causſa est necis corporalis, & pluri-marum calamitatum hominibus, ut per eas pertra-hat languefactos animos ad desperationem, & æter-nam mortem, impellit impios ad omnis generis flagi-tia, libidines, & cædes iniustas, sicut historia totius mundi omnium temporum ostendit, quæ commemo-rat horribilia flagitia, iniusta bella. Aduersus hæc *tanta mala dux est nobis liberator filius* Dei Emanu-el, *qui destruit opera* Diaboli, *& mittit pijs bonos* Angelos, *ad impediendos multos conatus malorum.*

DE SEXTO.

Testimoni-um de par uulis inser-tis Eccle-siæ.

Diligenter hic obseruandum est testimonium, quòd infantes inserti Ecclesiæ *placeant* Deo, *& sint hæredes uitæ æternæ. De talibus enim clarè dicitur,* Non est uoluntas Patris, *ut pereat unus de paruulis istis.*

EVANGELIVM
IN DIE OMNIVM
SANCTORVM.

Matth: V.

VIdēs Iesus turbas, ascendit in mon-tem, & cum sedisset, accesserunt ad eum discipuli eius, & aperiens os su-um, docebat eos dicens; Beati paupe-res

res spiritu, quoniam ipsorū est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi hæreditabunt terram. Beati qui lu-gent, quoniam ipsi consolabuntur. Be-ati qui esuriunt & sitiunt iusticiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati mi-sericordes, quoniam ipsi misericordi-am consequentur. Beati mundo cor-de, quoniam ipsi Deū uidebunt. Beati pacifici, quoniā ipsi filij Dei uocabun-tur. Beati qui persecutionem patiun-

tur

tur propter iusticiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati estis, cum exprobrauerint uobis homines, & persecuti uos fuerint, & dixerint omne malum uerbum aduersus uos mentientes, propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces uestra copiosa est in cœlis. Sic enim persecuti sunt Prophetas, qui fuerunt ante uos.

Tres sunt præcipui loci.

I. Doctrina generalis est, contra opiniones de scandalo crucis.

II. Et sunt adiectæ promissiones bonorum operum, interpretantes legem.

III. Et simul traditur doctrina de fide exercenda in his operibus.

DE PRIMO.

De promissionibus legalibus, additis bonis operibus.

DVplices sunt promissiones. Aliæ legales, quæ habent conditionem operum, & sunt additæ bonis operibus, seu meritis, ut: Qui dederit uni ex minimis potum aquæ, non perdet mercedem suam. Et hîc, Beati mites, Beati pauperes spiritu, etc. Sed cùm legi nemo satisfaciat, hic quærendum est, quomodo bona opera placeant Deo, & quomodo hæ promissiones fiant ratæ. Ideo respondemus, sicut aliàs sæpè dictum est, Lex sine Christo non prodest, sic autem ualet Lex,

Quomodo incoata obedientia placeat.

let Lex, & sic ualent legales promissiones, cùm prius apprehensa est promissio gratiæ donatæ propter Christum. Itaq; cùm fide iusti sumus, deinde placet Deo incoata obedientia, & meretur præmia, ac promissiones tunc ratæ sunt, quia illa obedientia ducitur esse quædam legis impletio.

Est igitur alia promissio propria Euangelij, gratuita, uidelicet reconciliationis, & iusticiæ imputandæ propter Christum. Hæc promissio semper prælucere debet omnibus operibus & promissionibus, quia per Filium habemus accessum ad Patrem. Hæc ideo præfati sumus, ut sciatur quomodo hæ promissiones legales ualeant & ratæ sint, iuxta illud, Per fidem stabilimus legem.

Conciliatio dictorum de operibus cum dictis de fide.

Hinc explicari etiam obiectio potest. Cùm hîc dicat homines beatos esse mansuetudine. Cur alibi dicitis, sola fide iustificari homines? Respondeo. Hæc non pugnant. Oportet primùm homines fieri iustos seu acceptos Deo, fide, gratis propter Christum, postea sunt etiam beati, id est, habentes dona & præmia à Deo, propter cæteras uirtutes. Hæc sine sophistica hoc modo explicata facilè intelligi possunt. Discamus igitur tradi hîc promissiones legales seu bonorum operum, quæ sic accipiendæ sunt, ut semper præluceat promissio Euangelica gratiæ Christi.

DE SECVNDO.

PRomissiones hoc loco propositæ dissentiunt à iudicio rationis, & sunt expositio legis Mosaicæ,

Interpretatio Euangelica dictorum legis.

Lex dicit bonis benè fore. At hìc dicit Christus, iustos futuros in paupertate, luctu, persecutione. Sed respondet Christus, differri præmia præcipua, etsi in hac uita etiam conseruari Ecclesiam oportet mirabilibus beneficijs Dei.

Iustis benè sit,
Abel est iustus,
Ergo Abelo benè sit.

Respondeo primùm ad minorem. Abel est iustus imputatione, & habet incoatam obedientiam, Sed quia in eo adhuc hæret peccatum, manet mors, & hæc natura uiciosa est subiecta cruci. Ideo differuntur præmia ad consummatam iusticiam. Deinde respondeas ad maiorem, Iustis benè sit, iuxta consilium Dei, et post hanc uitam. Nam Deus ut seruet Ecclesiam, etiam in hac uita impertit ingentia dona, sed inter mirabilia certamina, sicut seruauit Ecclesiam in diluuio, in Ægypto, in captiuitate Babylonica, & martyrum temporibus. Teneamus igitur hanc interpretationem legis, quã hìc Christus tradit, cùm præmia pollicetur, & testatur partim in hac uita dari, partim post hanc uitam.

DE TERTIO.

De exercenda fide in promissionibus.

Sed hoc præcipuè discendum est in his cõcionibus quomodo fides in his promißionibus, exercenda sit. Iactamus fidem, & maximè fugimus exercitia fidei, Christus prædicit Ecclesiã fore in ærumnis, quia in his uult exerceri fidem. Quomodo? Octo modis.

Primò,

Primò, Agnoscendo gratiam promissam propter Christum.

Secundò, Inuocando Deum.

Tertiò, Impellendo ad bona opera, ut retineatur beneficium Dei.

Quartò, Ad petendum & expectandum auxilium aduersus diabolum, aduersus hostes, aduersus imbecillitatem propriam.

Quintò, Ad expectandam compensationem seu præmia.

Sextò, Ad petendum auxilium in tolerantia.

Septimò, Ad ostendendam gratitudinem, et exempla, ut propagetur doctrina, & ornetur gloria Dei.

Octauò, Vt his exercitijs agitata & excitata fides crescat, & crescant cætera dona.

Exemplum, Paulus in afflictionibus primùm cogitabat, an placeret Deo, quia afflictiones et aduersi casus uidentur esse signa iræ Dei. Excitat igitur fidem, & sentit se propter Christum placere, & confugit ad Deum. Secundò inuocat. Tertiò, agnoscens misericordiam Dei erga se, studet retinere beneficium, & cauet, ne amittat iusticiam. Quartò, fide petit & expectat liberationem in afflictionibus, & auxilium aduersus diabolum. Quintò, expectat præmia, & intuens fide in finem promissum, perfert præsentes ærumnas. Sextò, fide petit auxilium & robur spiritus, ut possit præstare patientiam, etiamsi mors oppetenda sit. Septimò, statuit hæc officia necessaria

esse ad ostendendam gratitudinem, ad propagationem Euangelij, agnoscit Deum, mirabili consilio, sic uelle abolere peccatum in carne nostra, & Ecclesiam mirabili modo glorificare. Octauò, dat operam ut crescat fides, & cætera dona.

Sic diues credens inuocat Deum, studet retinere iusticiam, Deo obtemperat in officio liberalitatis, expectat uicissim auxilium à Deo in suis ærumnis, & expectat compensationem seu conseruationem facultatum, ostendit gratitudinem seu exempla, cupit augeri dona, augeri fidem. Sed quia pauci credunt, pauci expectant conseruationem facultatum, ideo animi sunt angustiores & illiberales.

Hæc generalia semper de promissionibus legalibus tenenda sunt, ut meminerimus & in his promissionibus præmiorum, exercendam esse fidem.

Beati pauperes spiritu.

I. Paupertas spiritu.

Non uult deseri facultates sine uocatione, non approbat Monachatum, iuxta illud, Frustra colunt me mandatis hominum, sed concionatur Christus de uera inopia piorum & fugientium impios quæstus, siue inopia sit fortuita, siue acciderit propter professionem Euangelij. Hos inopes omnes consolatur, & testatur inopiam non esse signum iræ Dei, & maledictionem, imò pollicetur præmia. Estq; opposita sententia legi, & imperijs mundi. Lex docet detrimenta facultatum esse pœnas peccatorum, & maledictionem.

nem. Hìc Christus docet pios, aliud esse iudicium de cruce secundum Euangelium. Nam afflictiones pijs non sunt signa iræ, sed fiunt exercitia fidei, sicut ubiq; clamitat Euangelium, Ecclesiam subiectam esse cruci, in durissimis afflictionibus summa lumina Ecclesiæ fuerunt, Christus, Ioannes Baptista, Ieremias, Abel, &c. Item, Imperia mundi dicuntur florere, cùm habent opes, sic de Ecclesia & Pontifices sentiunt. At Christus hìc testatur Ecclesiam potius florere in paupertate, ne desperemus propter inopiam.

Addit autem, Pauperes spiritu, id est, spirituali obedientia, patienter ferentes paupertatem, seu parati ad eam ferendam, si fuerint excussi ex facultatibus, sicut Abraham aliàs habebat facultates, aliàs uagabatur inops sine certis sedibus.

Beati lugentes.

II. Et hìc loquitur de ueris doloribus piorum, siue propter professionem accidant, siue à pœnis, aut morsibus diaboli oriantur, Vt cùm Dauid pulsus in exilium agnouit culpam, & sensit se puniri. In talibus ærumnis clamitat conscientia, nos à Deo proiectos uel desertos esse. Sed uox Euangelij diuersum docet, Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Item, Multæ tribulationes iustorum. & hìc promittitur consolatio, cùm in hac uita, tum post hanc uitam, sicut docet totus Psalmus 4. Scitote quoniam mirificat Dominus sanctum suum, & exaudit me cùm clamo ad eum.

Promissio data lugentibus.

Item 33. Pauper clamauit,& Dominus exaudiuit eum.

Beati mites.

III. Diuina defensio piorum non quærentium uindictam.

Consolatur oppressos, qui non habent uindicem et defensorem,et docet priuatam uindictam Deo commendandam *esse, sicut Ioseph, Israëlitæ in Ægypto, Dauid sub Saule,pij sub Antiocho, Ecclesia sub Diocletiano,erant sine defensione. Clarius autem intelligitur hic locus,considerata Antithesi. Tyranni existimant imperia retineri, et augeri acerbitate uindictæ, Econtra Euangelium docet, ut in caussa iusta simus constantes, nec tamẽ quæramus priuatam uindictam, sed exitus* Deo *commendemus. Et cùm ex officio exercenda est uindicta,mitigemus eam: Sicut exempla Dauid,totam hanc doctrinam pingunt,Nunquam uoluit Saulem interficere,Deinde regnans, necessariam uindictam tamen sæpè temperauit misericordia, pepercit Semei.Huc pertinent multa in Psalmis,ut Psal: 36. Sæuientes exterminabuntur, sustinentes autem Dominum hæreditabunt terram. Pharao deletus est, uicit Israël. Apostoli interfecti sunt, mansit tamen Ecclesia deletis tyrannis. Promittit igitur hic uersiculus oppressis,& uindice carentibus,ac non cupidis priuatæ uindictæ,conseruationem etiam in terra.*

Exempla politica.

Quanquam autem hæc propriè scribuntur propter Ecclesiam,tamen ut res sit magis perspicua, etiam politica exempla consideremus. In politica iu-

sticia

sticia,clementia principibus,& mansuetudo priuatis utilis est.Econtra,sæuitia multis exitio fuit, non solùm monstrosis tyrannis, qui etiam aliis sceleribus polluti erant,ut Phalaridi,Dionysio, Neroni, sed etiam alioqui mediocribus,ut Pertinaci,Aureliano. Et sæpè uidemus priuatas offensiones magnas, patientia sanari.

Hanc lenitatem maximè flagitat Christus, quia in Ecclesia incidunt periculosæ offensiones, Ideo toties dicit: Remittite,& remittetur uobis. Et Christus lauãs pedes Apostolis,uult nos sanare offensiones omni genere officij,ideo dicit.Exemplũ dedi uobis. Et Petrus inquit,Dilectio tegit peccata, Hæ sententiæ omnes huc transferantur,Et quia in periculis famæ,aut rerũ,si desit uindex,timemus nos,& nostra peritura esse: ideo hìc promittitur conseruatio,cùm ait,Possidebunt terram.Sicut Israël in Ægypto conseruabatur, etiamsi mandatum erat ut infantes interficerentur.

Beati qui sitiunt & esuriunt iusticiam.

Sitire iusticiam,est uero dolore & zelo affici,ut propagetur gloria Dei, ut iusta sit gubernatio, & scandala,& mala exempla tollantur. Est autem hæc particula quasi declaratio quædam superioris.Antea dixit salutarem esse clementiam, nunc addit hanc clementiam non debere esse dissolutionem seu ignauiam. Accedat zelus,sit uigilans,intentus, acer, unusquisq; in suo officio.Estq; oppositæ sententia Epicureis, qui

IIII. Sitite iusticiam.

nihil curant qualiacunque uicia, seu religionum, seu alia, Vt nunc rident nos Epicurei, cùm de idololatria aut de libidinibus querimur.

Promissio de fructu.

Hanc ignauiam detestatur Christus, & præcipit zelum, ac addit promißionem. Nam impij dicunt pios frustra moliri emendationem. Christus contra promittit labores non fore inanes, Saturabuntur, inquit. Item: hi sitientes intelligantur non Cynici, aliena uicia tantùm reprehendentes, ad sua conniuentes, sed sese quoq; emendantes, iuxta illud: Iustus primùm accusator est sui, postea occurrit alteri.

Beati misericordes.

V. Promittitur merces beneficis, qui defendunt aut adiuuant afflictos, ut qui tegunt eos, qui propter professionem Euangelij affliguntur, iuxta Psalmum: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem, &c.

VI. Beati mundo corde, id est, casto, sicut ad Hebræos dicitur: Sectamini sanctificationem, id est, castitatem, sine qua nemo Deum uidebit. Et usitata pœna est libidinum cœcitas, ut Roman: 1. & Ephes. 4. dicitur.

VII. Beati pacifici, id est, rectè dijudicantes dogmata, rectè sanantes iniustas discordias Ecclesiæ, uel regnorum, cedentes alijs bona conscientia, propter pacem.

VIII. Continetur autem hic maxima pars Decalogi. Nam ad primum præceptum pertinent hæ uirtutes, Veritas & fortitudo in confessione, de qua dicit, Beati qui persecutionem patiuntur. Item, Fides expectãs has

has promißiones & retinens ueritatem, propter has promißiones. Item, Patientia in qualibuscunq; ærumnis. Nam hæ uirtutes sunt cultus, de quibus concionatur primum præceptum.

Ad secundam tabulam pertinent mansuetudo in mitiganda uindicta, beneficentia, castitas, caritas uel æquitas in facienda pace. Ad primum præceptum pertinet sitire iusticiam, id est, zelus, &c.

De dicto: Non ueni soluere legem.

Lex æterna uoluntas Dei.

LEX moralis est æterna & immutabilis sententia in mente diuina, quæ est regula iusticiæ, præcipiens quales omnes creaturas intelligentes esse oporteat, & quæ facere & omittere debeant, & iram Dei ac pœnas præsentes & æternas denuncians ijs, qui non præstant perfectam obedientiam.

Etsi autem Deus est agens liberrimum, tamen ut hæc propositio æterna & immota est, Deus est sapiens, iustus, bonus, ita hæ propositiones sunt æternæ & immotæ, Deus uult iusta, Deo debetur obedientia. Nec imaginemur legem Dei moralem quiddam mutabile esse, quod abrogari ac deleri possit, sicut tabula affixa parieti amoueri potest, aut sicut lex Spartana de nummo æneo mutari potuit. Manet in Deo noticia, quæ est regula iustè faciendi. Manet uoluntas uerè, non simulatè uolens iusta, & uerè non simulatè reijciens iniusta, sicut Psalm: inquit, Non Deus uolens impietatem tu es. Et harum noticiarum diuinarum

similes impressæ sunt humanæ menti, quæ semper manent & iudicant facta. Quare abrogatio legis non fingatur talis, quasi nunc Deus non irascatur ruenti contra legem moralem, sicut non irascitur edenti carnem suillam.

Propter quid remittatur peccatum.

Sed dicat aliquis, Si lex moralis est æterna et immota sententia, sequetur, non esse remissionem peccatorum? Respondeo: Cùm omnis lex obliget ad obedientiam, uel ad pœnam, nec nos lapsi nisi persoluta pœna restitui poteramus. Est autem pœna deriuata in filium Dei, nec recipit Deus lapsos nisi propter filium, nec approbat peccatum, etiamsi credentes recipit, sed iram suam aduersus peccatum ingentem declarauit in passione filij. Cùm igitur de remissione peccatorum cogitamus, fide intueamur filium pro nobis crucifixum, ut persolueret pœnam, & agnoscamus Deum uerè & horribiliter irasci peccato, nos autem propter Filium recipere.

Ideo dicit Christus se implere legem. Et Paulus inquit, Finis legis est Christus, id est, lex testificatur de Christo, ut uictimæ omnes significantes Christum, admonent uenturum fuisse dominum, qui solus impleret legem, implet autem tripliciter. Primùm sustinendo pœnam pro nobis, cùm ipse fuerit sine peccato, & habuerit integram obedientiam, & tamen pro nobis factus sit uictima.

Quomodo Christus impleat legem.

Secundò effectiuè implet, quia ipse instaurat humanam naturam, & dat Spiritum sanctum & uitam æternam,

æternam, ut rursus in homine existat uera obedientia, quæ hic incoatur, & perficitur in resurrectione, & erit æterna. Sicut dicitur, Dabo legem meam in corda eorum, ubi disertè dictum est, meam, ut sciamus nouam & æternam uitam, uerè esse sapientiam, iusticiam, obedientiam, congruentem ad ipsam legem sonantem in monte Sina.

Cùm igitur dicitur, Christum implere legem etiam hic gradus complectendus est, quòd uidelicet efficiat dato Spiritu sancto, ut in nobis uera, integra, & æterna obedientia restituatur. Et quia dicit, legem meam, satis intelligi potest, legem moralem esse æternam sententiam in mente diuina, quia uult eam restituere in hominum cordibus. Non est igitur abolita, sicut abijcitur Calendarium præteriti anni, ut aliqui insulsè loquuntur.

Tertiò implet legem Christus docendo, id est, testatur se eam non abolere ne fiat, sed proponere eam, ut peccata arguat, & doceat quæ opera Deus postulat. Vult enim Deus nos uerbo suo regi, nec uult nos nostris imaginationibus excogitare opera & cultus, sicut Ethnici excogitarunt, finxerunt idola sine fine, permiserunt sibi libidines, & interim cumularunt sacrificia, & aliqua opera ciuilia exercuerunt, quibus arbitrabantur se iustos esse, & placere Deo, sicut iam sacrificuli sua opera laudant, Missas, obseruationes rituum, obedientiam, quam proprijs legibus præstant, & negligunt leges diuinas de uera doctrina, uero cultu,

ro cultu,& caſtitate. Reuocat autem nos Chriſtus ad legem Dei,& hanc uult eſſe doctrinam pœnitentiæ, & regulam bonorum operum.

IN PENTECOSTE
DE EVANGELIO.

Ioan: XIIII.

SI dilígitis me,mandata mea ſeruate, Et ego rogabo Patrem,et alium paracletum

racletum dabit uobis,ut maneat uobiſcum in æternum, Spiritum ueritatis, quem mundus non poteſt accipere, quia non uidet eum, nec ſcit eum. Vos autem cognoſcitis eum, quia apud uos manebit,& in uobis erit. Non relinquam uos orphanos,ueniam ad uos.

DEploranda eſt negligentia noſtra,quæ immenſum & inenarrabile beneficium Dei, quòd propter Filium dat Spiritum ſanctum,per quem uincitur peccatum & mors,non ſatis conſideramus, nec tanti facimus,quantum eſt: imò nec excitamus nos, ut credamus dari,ac petamus tantum munus. Hanc noſtram infirmitatem primùm agnoſcamus, accuſemus & deploremus. Sicut Lucæ II. caſtigat Chriſtus hanc ſegniciem,ubi fit mentio de uidua, quæ aſſiduitate perficit,ut iudex tandem faciat officium. Vbi addit Chriſtus: Petite,& accipietis,Si homines poſſunt dare bona hominibus,quantò magis Pater cœleſtis dabit Spiritum ſanctum petentibus? Hanc caſtigationem ignauiæ noſtræ,& adhortationem Chriſti, diligenter nobis proponamus, & nos excitemus his ingentibus promiſſionibus,& diſcamus magniſacere munus. Humana infirmitas.

Sed ita eſt,mundus non nouit Spiritum ſanctum ſicut hîc in textu dicitur,quia non nouit Chriſtum.

O triſtem

Mundus non nouit Spiritum sanctum.

O tristem uocem, Mundus non nouit Spiritum sanctum, quia non nouit Christum. Imò mundus aut deridet, aut persequitur Spiritum sanctum & Christum. Plurimi quærunt opes, uoluptates, nec experiuntur Spiritus sancti auxilia. Papistæ uolunt tueri suam autoritatem, idolatricos cultus, pompas operum. Non intelligunt ueram iusticiam, & ueram inuocationem, imò persequuntur. Ideo nec Spiritum sanctum, nec Christum norunt. Sed textus addit.

Vos autem agnoscitis Spiritum sanctum.

Hic demus operam, ut & nos simus ex hoc numero agnoscentium. Consideremus igitur uerba textus.

Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit uobis, &c.

Ne simus prolixi, quia nemo de his rebus satis dicere potest, Sed pij audita uel lecta aliqua tali parte Euangelij, tota die meditari & circumferre animo debent. Hoc est celebrare festum diem, & hac meditatione proficiunt pij auditores. Sed ne simus prolixi, duo hæc obseruanda sunt.

Primùm ipsa promissio, quòd Christus promittit e daturum Spiritum sanctum.

Secundò, quid agat Spiritus sanctus, quòd hic additur, quia uocat παράκλητον. Hæc est dulcissima appellatio Spiritus sancti, uocatur παράκλητος, quod significat aduocatum in iudicio. Sed hæc appellatio

Paracletus quid.

latio multa officia complectitur. Nam aduocatus est, qui patrocinium in iudicio suscipit, præsertim eius, cuius caussa periclitatur, & alioqui destitutus est defensione, hunc monet, regit consilio, hortatur & confirmat, dicit pro eo, & quantùm potest tuetur, ut liberet periculo.

Spiritus sanctus paracletus.

Ita cùm Christus hãc suauissimam appellationem tribuit Spiritui sancto, testatur similia eius esse officia, uidelicet, ideo mittitur ab æterno Patre & filio, Domino nostro Iesu Christo, ut absit nobis miseris, reis æternæ iræ, & iudicij diuini, horum est patronus, suscipit defensionem, suggerit nobis salutaria, monstrat consilium, quomodo liberemur, quia & accendit lucem in cordibus, ut intelligant Euangelium de remissione peccatorum, confugiant ad Christum, & credant sibi propter eum ignosci. Deinde est hortator, & mouet corda, ut assentiamur, & confirmat assensionem, erigit perterrefactos, iubet confidere de salute, loquitur etiam pro nobis, scilicet mouens & impellens corda, ut ausint inuocare & certò expectare opem, sicut dicitur Roman: 8. Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, quo clamamus abba pater, &c. Item, ipse Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Deniq; etiam in confessione palàm est noster orator, adiuuat & confirmat dicentes. Sicut dicitur: Dabo uobis os & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes aduersarij uestri.

Quid

Quid potest dici dulcius? ô felices, quibus promissum est, & datur tantum beneficium. Hæc breuiter de appellatione, sed consideremus etiam hæc duo, & quòd promissus sit Spiritus sanctus omnibus amplectentibus Euangelium, & quod sit eius officium.

DE PRIMO.

S. sanctus omnibus promissus.

De primo diligenter inculcemus nobis promissionem, & sciant singuli eam ad seipsos pertinere. Multi sic cogitant, Video quosdam fuisse magnos uiros, ut Moysen, Heliam, &c. qui mirabilia fecerunt, Hos credo fuisse donatos Spiritu sancto. Sed nos imbecilles tantùm regimur humana ratione, non audemus petere aut expectare Spiritum sanctum.

Hæc est impia et execranda imaginatio, sunt igitur opponendæ promissiones, quæ testantur omnes uocari: Venite ad me omnes. Omnibus uult Christus impertire hoc beneficium. Et quanquam non sumus pares Moysi aut Heliæ, quia Deus uult esse membra Ecclesiæ dissimilia, tamen omnibus inuocantibus Christum in fide, datur Spiritus sanctus, sicut Paulus inquit, ut promissionem spiritus accipiamus per fidem.

Quomodo accipiatur S. sanctus.

Et scito sic accipi Spiritum sanctum, per auditũ Euangelij & fidem, non sicut Anabaptistæ cogitant, aut Monachi, qui omnes sunt Enthusiastæ. Anabaptistæ secedunt in angulos, fingunt sibi speculationes, nolunt hac uita ciuili uiuere, His modis putant se accipere Spiritum sanctum, sicut & Monachi, & idololatræ Papistæ iactitant se consequi Spiritum sanctum per suas

suas ludicras ceremonias, Missas, & opera traditionum.

Sed nos discamus dari Spiritum sanctum per uerbum Dei, quandocunq; nos eius cogitatione consolamur, audientes, uel legentes, uel cogitantes uerbum Dei, & inuocamus Deum ac credimus nobis ignosci propter Christum, & nos iuuari. Hæc fiunt in uera pœnitentia, & quotidiana inuocatione omnium qui agunt pœnitentiam, & non perseuerant in delictis contra conscientiam.

Dixi de prima parte, scilicet de promißione. Nũc dicam de secunda, quid agat Spiritus sanctus. Hîc Christus facit Antithesin.

Non relinquam uos orphanos.

Ecclesia cœtus orphanorum in mundo.

Breuis est oratio, sed est uera imago Ecclesiæ corã mundo. Et sicut nos ipsi plerunq; iudicamus, quando sentimus onus ærumnarum nostrarum. Vide an non sumus orphani? Mundus nos persequitur, sumus cœtus exiguus, dißipatus, malè cohærens. Non habemus humanũ principem, regem, pontificem. Ridiculũ est Papæ et regibus, quando nos uocamus Ecclesiam. Deinde singuli suas miserias considerent. Nonne sumus orphani, sine defensore, sine certis auxilijs? Et præsertim tunc intelligeremus nos esse orphanos, si potentiam Diaboli aliquo modo cerneremus.

Ergo aduersus tantos hostes promittit Christus Spiritum sanctum, ait: Non relinquam uos orpha-

t nos,

nos,sed ego sumPontifex uester,Rogabo Patrem.Crede,non frustra orat Filius, impetrat nobis à Patre auxilium. Quod? Spiritum Paracletum,qui in nobis lucet, dat consilium, erigit animum, incoat uitam æternam in nobis,sicut hic dicitur: Vt maneat uobiscum semper.

Vt autem de his beneficijs cogitare posßimus, & nos ipsos excitare, Proponamus nobis dulcißimum dictum ex Zacharia,ubi scriptum est.

Dictum zachariæ xij.

EFFVNDAM super domum Dauid Spiritum gratiæ & precum.

Hæc uox omnia complectitur, & docet quæ sint bona opera, qui sint summi & ueri cultus Ecclesiæ. Omnes gentes etiam barbaræ,habent cultus Dei externos,honesta opera. Sed hi nondum sunt cultus, quibus propriè colitur & apprehenbitur Deus, Sola Ecclesia habet ueros cultus,quos præstat, cùm accipit Spiritum gratiæ & precum.

Veri cultus Dei.

Spiritus gratiæ.

Quid significant hæc uerba? Spiritus gratiæ significat Spiritu sancto nos iuuari, ut statuamus nos esse in gratia Dei, certò placere Deo, nobis peccata esse remissa propter Christum. Hæc fides in omni afflictione agnoscit Deum adesse opitulatorem, esse propitium,non esse deserturum orphanos. Hac fide Spiritus sanctus est παράκλητος,consolator & uiuificator.

Spiritus precum.

Sequitur altera particula,Spiritum precum.Cùm simus orphani in mundo,opus est nobis defensore & auxilia-

auxiliatore Deo. Ideo excitantur corda Spiritu sancto, ut inuocent Deum, sicut & Paulus inquit: Spiritus adiuuat nos,ut clamemus,Abba Pater. Ideo Ecclesia est onerata ingentibus periculis & ærumnis, ut hanc inuocationem exerceamus, fide clamemus ad Deum,expectemus auxilium. Nec putes hæc tantùm magnifica uerba esse, pij credentes experiuntur uerè adesse Deum opitulatorem & auxiliatorem, Et res magnæ & magna miracula sic fiunt in mundo. Sic seruatur tua familia contra diabolum. Sic seruantur regna,ut Ezechias & Esaias precibus pellebant Assyrios.Alia miracula,ut Moysi,magis cernuntur oculis,quia Deus uult extare illustria quædam testimonia. Sed tamen Ecclesia semper habet sua miracula, quæ fiunt inuocatione,ut Moyses, ut Elias in sua inuocatione gubernabantur Spiritu sancto,& res magnas & illustres gerebant.

Miracula in Ecclesia per inuocationem.

Ita petamus nos gubernari Spiritu sancto,et sciamus ueram esse Christi uocem: Dabit uobis Spiritum paracletum.Sciamus dari nobis Spiritum sanctum, exaudiri nostras preces,iuuari nos in omnibus periculis publicis & priuatis, res magnas effici contra diabolum,etiamsi mundus non cernit. Quia bellum inter Christum & diabolum mirabili modo geritur, per uasa infirma in Ecclesia,quæ Christus tamen efficit potentia diuina per Spiritum sanctum.

Memento ergo hanc uocem: Effundam spiritum gratiæ & precum.Excites te fide, ut credas te pro-

pter Christum esse in gratia, Petito Spiritum sanctum auxiliatorem, inuoca Deum in omnibus negocijs, ut experiaris adesse hunc opitulatorem.

Petendus Spiritus ueritatis.

Nunc etiam oremus pro Ecclesia, ut retineamus Spiritum ueritatis, quia diabolus callidissimè struit insidias ueritati. Conatur noua sophistica obruere Euangelium, & mundus delectatur his mendacijs & præstigijs, quia nec Spiritum sanctum nouit, neque Christum. Sed pij qui norunt Christum, & petunt Spiritum ueritatis, toto pectore aduersentur talibus impostoris. Deus tamen seruabit Ecclesiam, depellet Turcas, propter Ecclesiam, non propter impios & idololatras. Hæc breuiter hoc die monenda sunt, ut hæc monita Christi accipiant pij, & unà inuocemus Deum propter Filium, & petamus Spiritum sanctum, sicut promisit: Pater meus cœlestis dabit Spiritum sanctum petentibus.

CONCIO PETRI.

ACTOR. II.

STans autem Petrus cum undecim, eleuauit uocem suam, & locutus est eis: Viri Iudæi, & qui habitatis Ierusalem uniuersi, hoc uobis notum sit, & auribus percipite uerba mea. Non .n. sicut

sicut uos existimatis hi ebrij sunt, cum sit hora diei tertia. Sed hoc est, quod dictum est per Prophetam Ioël: Et erit in nouissimis diebus, dicit Dominus, Effũdam de Spiritu meo super omnem carnem. Et prophetabunt filij uestri, & filiæ uestræ, & iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia bunt. Et quidem super seruos meos et ancillas meas in diebus illis, effundam de spiritu meo, & Prophetabunt, & da-

bo prodigia in cœlo ſurſum,& ſigna in terra deorſum,ſanguinem & ignem, & uaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & luna in ſanguinem, antequã ueniat dies Domini magnus & manifeſtus. Et erit,Omnis quicunq; inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit.

Viri Iſraëlitæ,audite uerba hæc: Ieſum Nazarenum uirum approbatum ã Deo in uobis,uirtutibus,& prodigijs & ſignis, quæ fecit Deus per illum in medio ueſtri, ſicut ſcitis, hunc definito conſilio, & præſcientia Dei traditum per manus iniquorum affigentes interemiſtis. Quem Deus ſuſcitauit, ſolutis doloribus inferni, iuxta quod impoſſibile erat teneri illum ab eo. Dauid enim dicit in eum, Prouidebam Dominum in conſpectu meo ſemper, quoniam ã dextris eſt mihi, ne commouear. Propter hoc lætatum eſt cor meum, & exultauit lingua mea,inſuper & caro mea requieſcet in ſpe. Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis ſanctum tuum uidere corruptionem.

nem.Notas feciſti mihi uias uitæ,repleбis me iucunditate cum facie tua.

Viri fratres,liceat audenter dicere ad uos de patriarcha Dauid, quoniam & defunctus eſt, & ſepultus eſt, & ſepulcrum eius eſt apud nos uſq; in hodiernum diem. Propheta igitur cum eſſet, & ſciret,quia iureiurãdo iuraſſet illi deus,de fructu lumborum eius ſedere ſuper ſedem eius, præuidens locutus eſt de reſurrectione Chriſti,quod neq; derelictus eſt in inferno,neq; caro eius uidit corruptionem.Hunc Ieſum reſuſcitauit Deus, cuius omnes teſtes ſumus. Dextera igitur dei exaltatus, et promiſſione Spiritus ſancti accepta ã Patre,effudit hoc donum, quod uos uidetis & auditis.

Summa concionis Petri

CONCIO *Petri totã continet tres præcipuas partes.*

Prima eſt dictum Ioëlis, continens promiſſionem Spiritus ſancti,& ſalutis æternæ,propriam noui Teſtamenti. Primùm igitur deſcribuntur beneficia noui Teſtamenti.

Secunda pars eſt concio de morte et reſurrectione,

ne Meßiæ,qui est cauſſa beneficiorum noui teſtamenti. Eſtq; hic locus teſtimonium, quòd hic Ieſus ſit Meßias,quia reſurrexit à mortuis.

Tertia pars,de applicatione,quomodo hæc beneficia noui Teſtamenti,parta per Meßiam conſequamur, uidelicet, Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisq; in nomine Chriſti, ad remißionem peccatorum,& accipite donum Spiritus ſancti.

Longa concio eſt,& locupletißima, quæ non poteſt paucis tota enarrari. Prodeſt autem tales locos ſæpè meditari ad alendam cognitionem beneficiorum Chriſti,& confirmandam fidem, & ad excitandam gratiarum actionem,& dilectionem erga Deum. Ideo primùm breuiter de prima parte concionis Petri dicamus,uidelicet,de gratia noui Teſtamenti,& de donatione Spiritus ſancti.

Duo dicit Propheta, Omnis qui inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit. Item de donatione Spiritus ſancti,Effundam de Spiritu meo. Vtraq; ſententia eſt oppoſita legi. Lex docet & poſtulat multa,ſed non ſaluat,imò accuſat,ut docet Paulus: Lex iram operatur. Sed alia eſt noui Teſtamenti prædicatio, quæ promittit ſalutem, & quidem promittit OMNIBVS, ſed INVOCANTIBVS. Quid eſt promittere ſalutem? Promittere liberationem à peccato,ab ira Dei,à morte æterna,donationẽ uitæ æternæ.

Salus promiſſa inuocantibus.

Hæc affert nouum Teſtamentum,non propter legem,ſed tantùm inuocanti. Ideo enim hìc dicit, Inuocans,

cans,ut diſcernat cultus,quaſi dicat: Non quæretur tunc iſte cultus legis, ſed alius cultus,ſcilicet, inuocatio ſola, quæ eſt uox fidei credentis & accipientis promißionem, & clamantis: Abba pater. Ideo hoc dictum dulceſcet animo, cùm cogitabimus promißionem eſſe uniuerſalem,& ad nos ipſos pertinere. Et per inuocationem intelligimus fidem, excludentem propria merita,et tantùm nitentem Domino,qui iam ſe patefecit. Oportet enim diſcerni inuocationem à cultu legis. Nam & hæc ipſa uox: Omnis qui inuocat nomen Domini ſaluabitur, eſt abrogatio legis.

Hìc admoneatur auditor, ut diligenter ſibi inculcet hanc particulam, Omnis qui inuocauerit nomen Domini,ſaluus erit. Sciat eſſe ſummam Euangelij,& intelligat inuocationem non more legis,id eſt, non ſic cogitet,inuocans ſaluabitur, ſcilicet,ſi dignus erit,ſi ſatis habebit operum, &c. ſed inuocans, id eſt, non fugiens ad Deum, ſed credens ei propter Meßiam miſſum à Patre cœleſti.

II.

De altera particula, Quomodo fit hæc ſaluatio? Fit hoc modo,Effundam de Spiritu meo. Hæc eſt mira uox, & ſupra omnem humanum captum, Deus ſaluabit,non lege,ſed impertiens ſeipſum, Effundam, inquit, de meo ſpiritu, de mea ſubſtantia, Vbicunq; eſt ſubſtantia Dei, ibi eſt noticia Dei,dilectio Dei,uita æterna. Quid poteſt Deus dare maius? quàm

Effuſio Spiritus ſancti.

quòd impertit nobis de suo Spiritu, de sua substantia: Sicut Petrus inquit, nos fieri participes naturæ Dei.

Vtinam tantum donum agnoscceremus, ac peteremus, ut hoc spiritu confirmati, glorificaremus Deum in confessione, & in tota uita. Sed quia non exercemus, ac languescimus, ideo amittimus dona Dei, sicut dicitur: Habenti dabitur. Ideo magnitudinem huius doni diuini, Spiritus sancti, in nos effusi, non intelligimus, quia non exercemus, non proferimus hoc donum, sed excutimus, contristamus Spiritum sanctum. Hæc sunt magna peccata in mundo, quæ tamen ratio non iudicat aut cernit.

De MEO spiritu.

Eruditi considerent hoc uerbum, MEO, cùm dicitur. Effundam de Spiritu meo. Primùm enim significat spiritum esse personam consubstantialem Deo. Deinde docet, quòd Deus ita nos restituat, aliquid suæ substantiæ impartiens. Vbi autem est substantia Dei, ibi est lux, id est, noticia uera Dei, uera dilectio Dei, & uita æterna. Hæc omnia sunt longè supra captum rationis, supra iusticiam legis, & humanam sapientiam. Intelligi autem poterunt, si exercebimus donum, in confessione & inuocatione quotidiana.

III.

Et prophetabunt filij uestri.

Prophetare.

Addit signa & testimonia, & præcipua opera Spiritus sancti. Primùm est, prophetare, id est, rectè intelli-

intelligere & enarrare Euangelium, quia Euangelium est doctrina de uoluntate Dei erga nos, quam humana ratio non percipit sine Spiritu sancto, sicut Paulus inquit: Animalis homo non percipit ea quæ Dei sunt. Sicut iam uidemus, quid agant sapientes mundi, quorum aliqui uolunt uideri intelligere Euangelium, cùm certè non intelligant. Origenes, Hieronymus, & alij multi non intellexerunt noticiam fidei. Hæc dicta Pauli, Lex iram operatur, Iustificati fide pacem habemus, adeo non intellexerunt, ut etiam absurda & impropria esse putauerint. Ita nunc multi Theologi hæc dicta non intelligunt, etiam cùm uerba imitantur. Sed qui intelligunt? Verè inuocantes Dominum, qui habent fidem, in quos effusos est Spiritus sanctus. Hi prophetant, rectè intelligunt, rectè enarrant, confitentur, glorificant Deum, conseruant Deo puritatem uerbi, & defendunt gloriam Dei.

Hæc omnia comprehendit uerbum, prophetare, Hi sunt grati cultus Deo, sicut scriptum est: Laudate pueri Dominum, &c. Hos cultus præstemus, Tales prophetæ simus, ueri interpretes & confessores. Discamus ergo, quantas res his concionibus proponat, de uera inuocatione, fide, de salute æterna, de donis Spiritus sancti in Ecclesia. Et his meditationibus accendamus fidem & timorem Dei.

IIII.

Addit signo Spiritus sancti, scilicet, prophetæ, alia signa. Senes

Senes uestri somnia somniabunt, & iuuenes uestri uisiones uidebunt.

Dixi prophetiam præcipuè significare intellectum & enarrationem ueram uerbi Dei, quia uerbum Dei continet sapientiam de uoluntate Dei erga nos, prorsus positam extra captum humanæ rationis. Hoc donum necessarium est Ecclesiæ, de quo Paulus I. Corinth. 14. multa loquitur. Et magna lux est, in alijs magis, in alijs minus fulgens, alio tempore plures in Ecclesia, alio tempore pauciores sunt hoc prædito dono. Sicut tempore Samuelis plures erant in Israël rectè sentientes, quàm tempore Eli, cùm esset, uti dicit textus, sermo Domini rarus. Tempore Apostolorum plures erant rectè intelligentes Euangelium, quàm postea sub Papatu, etiamsi plurimum fuerit Sacerdotum, Monachorum, Theologorũ. Nunc Deus iterum aliquantulum excusitauit hanc lucem, & orandus est, ut conseruet, & nos monendi sumus, ne ipsi eam extinguamus noua sophistica & humana sapientia, & fiamus Prophetæ tales, qualis erat Saul, de quo dictum est, Nunquid & Saul inter Prophetas? Ita nunc de multis, qui noua sophistica corrumpunt Euangelium, quærunt conciliationes dogmatum, congruentes ad sapientiam humanam, ambiguas, flexibiles & fucatas, dici potest, Nunquid & hi inter Prophetas?

Quando pectora sunt ociosa aut occupata humanis

nis cupiditatibus, incipiunt fastidire uerbum Dei, Postea ut quærant pacem & ocium, accommodant se iudicijs impiorum, & sinunt deprauari ueram doctrinam. Ita redit Diabolus ad domum purgatam. Hæc magna mala prudenter cauenda sunt, Sed mundus insanit suis cupiditatibus, & hæc peccata non intelligit. Ideo Spiritus sanctus nos admonet & arguit per Euangelium, monstrat has insidias, & iubet ut uigilemus & caueamus, Et tantùm de Prophetia.

Somnia & uisiones Spiritus sancti.

Addit autem Ioël alia testimonia Spiritus sancti: Senes somnia habebunt, & iuuenes habebunt uisiones. His uerbis non tantùm uaticinia de rebus futuris intelligit, sicut Ioseph, Daniel fuerunt uates. Et Paulus habuit uisionem, ut dicit in Actis cap. 16. Sed generaliter omnia dona complectitur, quæ Paulus recenset 1. Corinth: 12. Vult enim in genere dicere, futurum esse, ut Spiritus sanctus declaret se multis donis, prophetia, uaticinijs rerum futurarum, scientia gubernationis.

Vt hîc cùm de senibus loquitur, intelligit gubernatores, hi habebunt diuinos motus, diuinitus regent politias, uel magna negocia Ecclesiastica, aut politica. Sicut interdum princeps aliquis habet sapientem aut pium consiliarium, aut ciuitas pium senatorem. Nec putes hîc fieri mentionem de uulgaribus somnijs, sed sequuntur in textu & aliæ appellationes. His omnibus uaria dona significat Ecclesiæ gubernationi necessaria, quæ etsi omnia sunt miraculosa, &

Dei

Dei insignia opera, tamen alia alijs magis cernuntur, Vt cùm Petrus sanaret claudum, uel cùm educeretur ex carcere, id uocatur miraculum. Et magnifit, quia incurrit in oculos, cùm alia haberet multò maiora miracula, ut, quòd assiduè defendebatur contra diabolum, & contra tyrannos, Item, quòd permansit in doctrinæ puritate, quòd eius conciones erant efficaces, quòd eius gubernatio fuit felix. Hæc sunt magna & uera miracula, ad quæ accedunt etiam interdum alia rara opera, quæ magis incurrunt in oculos.

Vera miracula Ecclesiæ.

Sic ergo intelligatur hic locus de omnibus donis spiritus sancti in Ecclesia generaliter. Et meminerint pij, qui sunt in gubernatione, uel Ecclesiæ, uel politica, uel principes ac eorum consiliarij, & seniores ciuitatum, quòd hîc dicitur de senibus: Senes habebunt donum Spiritus sancti. Hic locus admonet gubernatores, ut sciant humanam sapientiam non sufficere magnis rebus agendis, nec in negocijs Ecclesiasticis, nec in alijs, Sed opus esse Spiritu sancto, gubernatore & duce, & orent cum Dauide, ut surgat Deus ad iudicium quod mandauit, id est, ad regimen. Psalm. 7. & 71. Surge Deus, iudica terram.

Gubernatoribus opus est Spiritu sancto.

V.

Hactenus breuiter dictum est de donis & testimonijs Spiritus sancti, quæ addita sunt promissioni Euangelij de saluatione promissa per Messiam, Addit autem textus aliquid de tempore Messiæ, & de signis præcedentibus glorioſum aduentum Messiæ, quem etiam

etiam prodest cogitare, ut securitas carnalis corrigatur.

Prophetæ interdum simul loquuntur de utroq; aduentu Christi, ut hîc Ioël loquitur de reuelatione Euangelij, & statim adiungit glorioſum aduentum Christi in nouissimo iudicio: Pars Prophetiæ intelligatur de primo aduentu, pars de secundo. Nam quæ de signis dicit, Mittam sanguinem, ignem, sol mutabitur, &c. Etsi hæc etiam possunt accommodari ad tempus passionis Christi, tamen describunt totum tempus post Euangelij reuelationem usq; ad iudicium, uidelicet excidium totius Iudaicæ gentis, mutationes regnorum, & calamitates publicas, quæ erunt sæuiores in fine, sicut præmonet Christus Matth: 24. & Lucæ 21. ut uidemus iam omnibus regnis impendere mutationem. Et prædictum est nominatim de Gog & Magog, id est, de Turcis, quòd sint uastaturi armis magnam partem Ecclesiæ. Prædictum est et de Antichristo, seu Pseudopropheta, id est, Papa, qui sedebit in templo Dei, id est, in ipsa Ecclesia, & grassabitur dolo & ui.

De signis & prodigijs.

Hæc mala consideremus, & fide nos magis muniamus, & oremus Deum, ut nos seruet, quia in Luca, cùm eadem prædicuntur: Erit pressura gentium, tamen additur consolatio eadem, Propè est redemtio uestra. Item, Vigilate & orate, ut positis hæc effugere. Certè pericula temporum hortantur nos ad precationem, & monent instare illum diem, quo omnes

Prædicationes calamitatum hortantur ad orandum.

nes impij cum diabolis in æternas pœnas abijcientur, & filius Dei glorificabit Ecclesiam suam. Hoc iudicium nobis proponamus, et sciamus nõ procul abesse. Gog & Magog uerè peruenit in summum fastigium, & Antichristus iam reuelatur. Hæc sunt signa ultimi temporis, de quo prædictum est, fore, ut crescat tunc impietas. Ideo simus uigilantes & cauti, ne deficiamus à uera doctrina, timeamus & inuocemus Deum, ut nos regat, Non offendamus eum nostra ingratitudine, & turpitudine morum. Hæc admonitio necessaria est, quando de signis postremi temporis dicitur.

SECVNDA PARS CONcionis Petri.

Viri Israëlitæ, audite uerba hæc.

IN priore parte Concionis dictum est, de ipsis noui Testamenti beneficijs, de saluatione, & de donatione Spiritus sancti, qui est arrhabo nouæ & æternæ iusticiæ & uitæ. Nunc sequitur pars secunda, de caussa seu autore horum beneficiorum, scilicet, de Meßia. Et diligenter considerandum est, hanc concionem de Meßia passo, resuscitato, glorificato & regnante, opponi carnalibus imaginationibus Iudæorum, de regno mundano Meßiæ, quasi dicat Christus, Vos expectatis Meßiam, & liberatorem, qui pulsis Romanis, tribuat uobis imperium mundi, Ecce iam uenit

uenit Meßias, aliter regnat, quàm uos putatis. Factus est uictima pro peccatis generis humani, cùm à uobis interfectus est. Deinde resuscitato Deus omnia subiecit. Hunc Iesum quem uos crucifixistis, scitote Meßiam & saluatorem esse.

Vt autem nunc cum Iudæis duæ nobis præcipuæ sunt quæstiones. Altera an Christum oportuerit pati, & non habere mundanum imperium, sed cœleste. Altera, an uenerit Meßias, & sit ne hic ipse Iesus, quem nos prædicamus, crucifixum, & resuscitatum esse. Ita duas res agit Petrus, Hunc ipsum Iesum esse Meßiam, & quòd post interfectionem resuscitatus, regnet.

DE PRIMA QVÆSTIONE.

An hic sit Meßias.

Testimonia quod Iesus crucifixus sit Messias.

Quòd autem hic sit ipse Meßias, probat sic: Quia Deus magnis signis & miraculis testatus est, hunc diuinitus missum esse. Secundum testimonium, quia scripturæ testantur, Meßiam resuscitandum esse. Hic reuixit ex morte, Ergo hic est Meßias. Maiorem probat ex Psalmo, Non relinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum uidere corruptionem. Hæc sunt dicta de Meßia, quia certum est Dauidem esse mortuum, & nondum resurrexisse, sed uaticinatum esse de Meßia, Quia enim Deus promiserat Dauidi quendam de lumbis ipsius habiturum regnum æternum, Inde ratiocinatus est, necessariò resurrecturum esse illum secundum carnem. Cùm igitur te-

ſtetur ſcriptura Meßiam reſurrecturum eſſe, & hic reſurrexerit, Ergo hunc Meßiam eſſe certum eſt, & nos ſumus teſtes reſurrectionis ipſius.

DE SECVNDO.

Quale ſit regnum Meßiæ.

Quale regnum Meſſiæ.

Quòd ſit regnum cœleſte, & quòd oportuerit Chriſtum pati, hi ipſi Pſalmi probant, Conſerua me Domine, quia mihi non benè eſt propter te. Et Pſal. Dixit Dominus, idem probat Meßiam habiturum regnum perpetuum, & potentiam diuinam ad abolendam mortem & peccatum, & ad dandam iuſticiam & uitam æternam. Ideo hìc dicit, Exaltatus à Deo, Effudit Spiritum ſanctum. Tale regnum erit, ſcilicet liberatio à peccato, & Morte æterna, donatio iuſticiæ & uitæ æternæ.

Tertia pars eſt, de applicatione, ſed ante applicationem eſt doctrina de peccato, & prædicatio pœnitentiæ. Vide autem, quod peccatum accuſet, ſcilicet, quòd non nouerint filium Dei, imò crucifixerint ipſum.

Accuſatio peccati Iudæorum.

Peccata. Populus contemſit ſigna Dei & manifeſta miracula, non credidit Prophetis aut uerbis Chriſti, interfecit Chriſtum. Hæc peccata non iudicat ratio, & tamen omnes ſumus rei. Iam hoc tempore quàm horribiliter contradicitur uerbo Dei? Interficiuntur ſancti, & multi conſentiunt, etſi manu non interficiunt. Hi omnes ſciant ſe ſic reos eſſe ſicut

ſicut hìc Petrus dicit, Sed liberantur per nomen Ieſu credentes.

Enarratio Pſalmi.

Pſal: 16. Conſerua me Deus. Argumentum Pſalmi initiò recitetur, Pſalmum principaliter eſſe uaticinium de Chriſto paſſuro & reſuſcitando, & eſt inſertum diſcrimen ueræ Eccleſiæ, & Synagogæ perſequentis Chriſtum, titulo Eccleſiæ Dei.

Sed dicat aliquis, quare loquitur in prima perſona? Conſerua me, quaſi de ſeipſo Dauid loqueretur. Reſpondeo, Peculiariter loquitur de Chriſto, & uerba ſic intelligenda ſunt, quòd Chriſtus ipſe loquatur. Sic & Pſal: 22. Deus Deus meus, quare me dereliquiſti? Et Pſal: 40. Expectans expectaui, &c. Et tamen in Chriſto etiam poſtea membra complectitur, quæ ſcit propter Chriſtum reſuſcitanda eſſe, qui reſurgit primus, ut ſit autor reſurrectionis & uitæ æternæ omnibus membris. Quare ſicut de Chriſto dicitur, eum non manſurum in morte, ſed reſurrecturum eſſe diuina potentia, ita ſignificatur de omnibus membris, quòd eorum corpora ſint reuictura. Ita in alijs Pſalmis, cùm principaliter uaticinetur de Chriſto, tamen propter effectum, qui ad membra pertinet, Pſalmi etiam ad membra accommodantur. Sed tamen prudenter conſiderandum eſt, quæ propriè Chriſto ſoli tribuantur, ut in hoc Pſalmo de merito & applicatione paßionis filij Dei, quòd ſit uictima & ſacrificium pro alijs, quòd de ſanctorum afflictionibus non dicitur, quæ etſi fiunt ſacrificia propter Chriſtum

fide,id est,cultus Deo accepti, tamen non merentur ipsis aut alijs remissionem peccatorum. Item,de Christo solo etiam hæc uerba dicuntur, Non dabis sanctum tuum uidere corruptionem,ut hîc Petrus exponit, Caro eius non uidit corruptionem,ut Dauid, cuius sepulcrum adhuc apud nos est.

Doctrina Psalmi. Habet Psalmus utilissimam doctrinam. Est testimonium de resurrectione, & nos ipsos confirmare debet,in petitione,& expectatione uitæ æternæ,Item discrimen Ecclesiæ docet, quæ sit uera Ecclesia,& confirmat nos, ne moueamur specie & autoritate falsæ Ecclesiæ.Docet item, ut curemus esse membra ueræ Ecclesiæ, & fugiamus falsam Ecclesiam, non faciamus cum ea conciliationes, quæ eorum abusus confirmant. Non recipiam, inquit, libationes eorum,nec sumam nomina eorum in labijs meis. Hîc Christus reijcit omnes missas impiorum, & omnes cultus,damnat eorum Ecclesiam, dicit se nolle eam nominare,id est,nolle uocare eam Ecclesiam suam, nolle pro ea orare. Nihil potest tristius & horribilius dici. Ideo simus cauti,ne stabiliamus eorum impietates. Postremò totus Psalmus est tanquam promissio, quòd Deus uelit membra Ecclesiæ suæ exaudire & liberare à morte æterna. Ita nos quoq; recitemus hunc Psalmum, & agglutinemus nos tanquam membra capiti Christo, qui est primogenitus ex mortuis. Sunt autem quatuor membra Psalmi.

1. Petitio Christi ut seruetur,cum expositione passionis.

nis. 2. Applicatio passionis,& repudiatio falsorum cultuum impij cœtus. 3. Narratio de resurrectione. 4. Finis resurrectionis, ut Ecclesia collecta, uerè agnoscat Deum,& celebret in uita æterna.

PRIMVS uersus est inuocatio & propositio, petens liberationem,& addit caussam, quia spero in te,& te Deum meum inuoco. Nam hoc significat, quod ait: Dixi Domino, Deus meus es tu, id est, te unum inuoco,& statuo esse omnipotentem, liberatorem ex morte,& quidem propicium mihi, uolentem exaudire,& saluare confugientes ad te, Hunc tibi honorem tribui uis, quòd uelis saluare, iuxta tuas promissiones, confugientes ad te.

Querela et narratio passionis,Bonum meum non propter te,seu,non est mihi benè propter te, id est, sum in afflictionibus,& uideor etiam à te desertus, sicut clamitat in Psalmo: Deus Deus meus, quare me dereliquisti? Sed clarius est quòd dicit: Affligor propter Te,iuxta illud: Propter te mactamur tota die.

Describitur ergo hoc uersu, quæ sit caussa passionis Christi. Propter te patior, id est, propter tuum arcanum consilium de restituendo genere humano, quòd uoluisti me fieri uictimam. Huic tuæ uoluntati obtempero,& sustineo horrendas pœnas,non propter aliqua mea delicta. Quare cùm sis Deus meus, & uelis me seruare,& colligere tibi aliquam Ecclesiam æternam,ne sinas me in his ærumnis succumbere,sed confirma & sustenta,& libera me.

Applicatio sacrificij Christi.

Sanctis qui sunt in terra. Quasi dicat, Ad hos pertinet hæc mea passio, Estq; hæc applicatio pro Ecclesia, sicut Christus ipse ante passionem suis uerbis applicauit, Rogo pro eis, non pro eis tantùm, sed pro omnibus qui credituri sunt per uerbum eorum. Pater sanctifica eos in ueritate, sermo tuus est ueritas. O dulcem consolationem: hîc ostendit filius Dei se esse Pontificem nostrum, & interpellatorem apud Deum. Ita hîc applicat, Mea passio seruit sanctis & honorandis in terra, his est profutura ad salutem, qui sunt sancti, id est, Deo dicati, Deum inuocantes, agnoscentes, colentes, Hi sunt, qui meum Euangelium amplectuntur, hos iudico sanctos & gloriosos, pro his me offero, sicut aliàs inquit, Ego pro eis sanctifico meipsum, his applico meum sacrificium, hos amo & complector, & pro his rogo. Ita hîc declarandum est uocabulum Sancti. Estq; hic ipse articulus in Symbolo, Credo Ecclesiam catholicam sanctam, id est, dicatam Deo, uerè agnoscentem, colentem & celebrantem Deum, in fide & confessione filij Dei. Hæc etiam est honoranda & glorioſa, quia Deus uicissim eam honore afficit, tribuit ei gloriam, scilicet, Spiritum sanctum, & per Spiritum sanctum lucem, iusticiam, & uitam sempiternam.

Sancti & glorioſi.

Breuis est uersiculus, sed pulcerrima descriptio Ecclesiæ, Et hinc sequitur Antithesis, quam mox adiungit. Alij non sunt sancti, id est, non sunt dicati Deo, non agnoscentes Deum, non colentes, nec sunt honorandi,

randi, id est, carent gloria Dei, non sunt ornati à Deo luce, sapientia, iusticia, uita æterna.

Multiplicata sunt idola illorum, post quæ festinant. Dixit se passum esse pro uera Ecclesia, Hanc nunc discernit ab impijs, qui nolunt uerum Deum agnoscere, & persequuntur Christum & Patrem. Tradit igitur discrimen falsæ & ueræ Ecclesiæ. Sicut autem in descriptione ueræ Ecclesiæ duo bona nominauit, sanctitatem & gloriam: Ita in descriptione falsæ Ecclesiæ nominat duplex malum. Malum culpæ, id est, peccata: & malum pœnæ, uidelicet, reiectionem & damnationem. Peccata sunt, falsa Ecclesia excogitat sibi idola, imò multa idola comminiscitur, quærit alium Deum, & ad hunc festinat, huic confidit, hunc celebrat. Quid est autem idolum colere, aut alium Deum? Multipex est idololatria, Primùm sunt idololatræ, qui hoc fingunt esse Deum quod non est Deus, sicut Ethnici statuas suas, Iouem, Martem, Iunonem, sic etiam Papistæ sanctos putant esse Deos, inuocant eos tanquam sint omnipotentes, tanquam uideant motus omnium cordium. Hæc adhuc est manifesta idololatria, Et ad hunc gradum pertinent Athei seu Epicurei blasphemi, qui sentiunt prorsus nihil esse Deum, aut non curare humana dicunt, quales sunt plurimi Pontifices & Canonici, & alij Epicurei, qui cogitant Euangelium esse fabulam. Pertinent etiam huc, qui negant Christum esse Deum, ut Iudæi & Arriani negant filium Dei crucifixum

Antitheſis de falsa Ecclesia.

Idololatriæ falsæ Ecclesiæ.

Idolatria Iudæorum & Mahometistarum.

& resuscitatum, esse Deum. Hi omnes, non colunt & inuocant uerum Deum, imò nullum Deum habent, quia hunc solum & unicum Deum non norunt nec inuocant, qui est Pater Domini nostri Iesu Christi, de quo dixit: Hic est Filius meus dilectus, quo delector, Hunc audite. Sic uult agnosci & inuocari, sicut se ipse patefecit, quòd sit Pater huius Filij, qui est eius coæterna imago, & quòd propter hunc uelit credentes & inuocantes recipere, & dare uitam æternam. Sicut Ioan: 17. dicitur: Hæc est uita æterna, ut cognoscant te solum esse uerum Deum, et quem misisti Iesum esse Christum.

Cultus Idololatrici.

Secundus gradus est obscurior, sed superiori cognatus, idololatria est colere Deum sine uerbo ipsius, excogitatis proprijs cultibus, & confidere his cultibus, quòd propter eos Deus exaudiat & benefaciat. Sicut olim Iudæi excogitabant uarios cultus, & fiduciam horum cultuum habebant, Ita nunc Papistæ colunt Deum cultu Missæ, uotis, Monachatu. Hæ res, Missa, Monachatus, sunt uera idola, quia scriptum est, Frustra colunt me mandatis hominum. Item honos qui debetur Christo, scilicet, fiducia Mediatoris, transfertur in Missam, in uota, in mortuos sanctos, & similes res.

De talibus cultibus concionatur Ieremias 7. Hæc est gens quæ non audiuit uocem Domini Dei sui, neq; recepit disciplinam, perijt fides, & ablata est de ore eorum, dedicauerunt excelsa Tophet. Dicit sacella

passim

passim condidisse, instituisse cultus sine mandato Dei, sicut tunc etiam liberos immolabant & interficiebant. Et sicut in mundo manent alia peccata contra secundam tabulam, ita multò magis manent omnibus ætatibus, omnibus temporibus peccata contra primam tabulam. Nam Diabolus maximè conatur homines auertere à Deo, falsis opinionibus & cultibus.

Synagoga tempore Christi non habebat statuas, & tamen erat idololatrica, negabat Christum esse filium Dei, & falsa fiducia seruabat ceremonias, partim traditas in lege, partim excogitatas ab hominibus. Hi cultus eorum erant idola, quibus confidebant ignorantes Euangelium, Christum & ueram inuocationem, quæ fit fiducia misericordiæ promissæ propter Christum.

Idololatria Papistica.

Iam hoc tempore multò maior est idololatria, Papistæ persequuntur Euangelium & uocem Christi, negant Christum esse Mediatorem, & finxerunt sibi suos cultus falsos, Missam, Monachatus, satisfactionem, inuocationem sanctorum. Hæc omnia prædicant esse iusticiam, merita remissionis peccatorum, & applicant pro alijs. Hæc sunt idolatrica, quia sunt contumelioſa in Christum, item, sunt recepta sine uerbo Dei, Item fiducia quæ Deo debetur, collocatur in has res. Ideo hæc uerè sunt idola, de quibus hîc dicit: post hæc festinant, significans magnam esse multitudinem, magnos concursus, magnum & ardens studium impiorum & idololatricorum cultu-

um in mundo. Vt nunc etiam uidemus, Quantùm est Missarum, quantùm Monachorum, quàm uarij cultus Sanctorum? quanta est ueneratio talium rerum, quantis sumtibus Missæ, Monasteria & templa constant. In summa Papistæ colunt Deum suum Maozim auro & argento, sicut Daniel inquit.

Sequitur altera pars de pœna.

Non recipiam libationes eorum de sanguine. Nec memor ero nominum eorum labijs meis.

Reiectio & pœna Idolatrici cultus.

Hæc est horribilis reiectio idololatrarum persequentium Christum, quicunq; sunt, Iudæi aut Papistæ. Apertè negat eos esse Ecclesiam Dei, negat eos habere sacrificia, negat Christus se uelle pro illis orare, reijcit & damnat totum illud agmen idololatricum, Sed mundus non intelligit hanc damnationem, Imò quia Pontifices, Episcopi, Sacerdotes, Monachi, Reges, Principes tribuunt sibi titulum Ecclesiæ, Item, quia gloriantur Episcopi de ordinaria successione, hos ueneratur, putat esse ueram Ecclesiam, cùm sit persecutrix Christi & idololatrica. Quid contra hæc dicendum est? Primùm conscientia confirmanda est, ne moueamur titulo, autoritate, multitudine, ut illos cœtus Episcoporum putemus esse Ecclesiam, aut propter eos deficiamus à uerbo Dei, Sed sciamus aliam

aliam esse Ecclesiam ueram sanctorum, scilicet, qui uerbum Dei amplectuntur, & rectè docent. Huius ueræ Ecclesiæ nos membra esse sciamus, etiamsi sumus abiecti extra illas congregationes Pontificum & Episcoporum, sicut Christus inquit, Eijcient uos extra Synagogas. Difficilè est sustinere hunc titulum, quòd non simus membra Ecclesiæ, sed opponamus has consolationes. Hìc dicit Christus, persecutores Consolatio piorum. *non esse Ecclesiam. Et Paulus inquit, Si Angelus de cœlo aliud Euangelium prædicet, anathema sit. Hic Paulus egregiè nos consolatur, & enarrat hanc uocem Psalmi, Non ero memor eorum. Cùm enim uocet anathemata, significat persecutores Christi, reiectos et damnatos esse à Deo. Ergo nõ sunt Ecclesia.*

Secundò discas, omnes eorum cultus, Missas, Monachatus, satisfactiones, cultus sanctorum, esse damnatos cultus, & fugiendos.

Non relinques me in inferno.

Tertia pars Psalmi est narratio de liberatione ex morte, & resurrectione. NON *dabis sanctum tuum uidere corruptionem, id est, ne quidem caro mea delebitur, sed ostendes mihi uias uitæ, id est, uiuificas, & resuscitas ex morte, etiam corpus. Sed hîc de Christo peculiariter dicitur illud,* Non uidebo corruptionem. *Nam reliquorum sanctorum corpora, etiamsi non manent in perpetua corruptione, sed*

Christi corpus non corruptum propter diuinam naturam.

sed propter Christum resuscitabuntur, tamen prius dissipantur in aërem, sicut dicitur, Omnes immutabimur. Sed Christi caro, etiamsi in sepulcro quieuerit, tamen non potuit corrumpi, quia ne in morte quidem diuina natura à corpore eius discessit, quare oportuit statim incorruptum, seu integrum resuscitari, ut reuiuisceret totus, etiam cum corpore, quod tamen transfodi in cruce, & expirare, ac sepeliri oportuit, ut sciretur uerè mortuum. Sed Petrus hæc uerba enarrat. Quem Deus suscitauit, solutis doloribus mortis, iuxta quod impossibile erat teneri eum ab illa.

Reliqui uersus Psalmi de fine & effectu rursus concionantur. Ideo sustineo passionem & mortem, ut resuscitatus colligam æternam Ecclesiam, quæ fruatur perpetuo conspectu & consuetudine tua, cum uberrima lætitia & æterno gaudio.

Vltima pars concionis Petri est applicatio beneficij Christi. Sed prius accusat auditorum peccata, & concionatur de pœnitentia. Postea addit de remissione peccatorum, hanc dicit fide propter Christum contingere credentibus, & simul donari Spiritum sanctum, & hæc beneficia ita nobis applicari, si audientes Euangelij uocem de Christo, credamus, & baptizemur in nomine Christi.

DE

DE COENA *DOMINI.*

I. Corinth: XI.

EGO accepi à Domino quod & tradidi uobis, quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit & dixit, Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, quod pro uobis tradetur, Hoc

Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnauit, dicens, Hic calix nouum Testamentum est in meo sanguine. Hoc facite quotiescunque bibetis in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis donec ueniat. Itaq; quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, & sic de pane edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non dijudicans corpus Domini. Ideo inter uos multi infirmi & imbecilles, & dormiunt multi. Quod si nos ipsos dijudicaremus, non utiq; dijudicaremur. Dum iudicamur autem, ã Domino corripimur, ut non cum hoc mundo damnemur.

Pœnæ abusus Sacramenti.

GRauis comminatio est in qua Paulus dupliciter puniri ait abusum Sacramenti, ira Dei & corporalibus pœnis. Sic enim ait, Reus erit corporis & sanguinis Domini, Item, iudicium sibi manducat. Accersit sibi pœnam manducando duplicem, scilicet, perpetuam, & calamitates huius uitæ. Ideo, inquit, inter uos multi sunt ægroti, & multi moriuntur.

Erant adhuc *non maximi abusus*: Nondum tanti erant, quanti nunc sunt. Sacrificuli impij, impuri, celebrant Missas, uendunt, partem Sacramenti populo adimunt, non docent de pio usu. Populus accedit, ignarus ad quid sit utendum Sacramento, nihil audiuit de doctrina fidei, putat hoc opere se mereri remissionem peccatorum. Circumgestatur pars Sacramenti, spectatur, & adoratur, Et dantur indulgentiæ spectantibus, ut confirmetur uana fiducia spectationis, quòd sit opus meritorium, &c. Prophanatio Sacramenti.

Hi & alij multi abusus horrendi, quibus prophanatur hoc Sacramentum postrema mundi ætate, non leues pœnas merentur, bella, dissidia, & alias publicas calamitates. Credo etiam Turcicos successus præcipuè permitti à Deo, propter huius Sacramenti prophanationem multiplicem, quam semper pij in Ecclesia deplorauerunt.

Dicunt S. Antonium habuisse uisionem de postremo tempore Ecclesiæ, ubi inter cætera est imago, quòd uiderit stantes porcos ad aras, & celebrare Missas. An non respondet res ipsa huic uisioni: Postrema ætas mundi habet Episcopos, Canonicos, Sacrificulos, Monachos, qui Missam in quæstum contulerunt, Antonij uisio.

lerunt, & ut porci uentri seruiunt, propter uentrem & opes celebrant.

Brigitta. Dicitur & S. Brigittæ species Christi apparuisse, flagris lacerati, & cruore stillantis. Exterrita Brigitta, interrogauit, quid significet hæc species. Respondit uisio, Christum sic lacerari ab hostibus Missarum.

Hæ historiæ quoquo modo se habent, tamen significant sanctos deplorasse abusum Sacramenti, etiamsi fortassis tectè hoc significarunt talibus historijs, & non licuit eis apertè dicere quod cupiebant.

Hæc sum præfatus, ut cogitetur de uero usu Sacramenti, & fugiantur abusus. Vocatur autem uerus usus tantùm is, qui est in uerbo Dei traditus. Abusus est omnis pompa extra uerbum Dei.

I.

Dicam igitur primùm pauca de uero usu Sacramenti. Multi de Sacramentis, ut de Baptismo & cœna Domini habent ciuiles & humanas opiniones, cogitant hos ritus institutos esse, tantùm ut coram hominibus discernant eos qui uocantur Christiani à Iudæis & alijs gentibus: Sicut cuculli discernunt Monachos à cæteris. Aut putant Cœnam Domini esse signum mutuæ beneuolentiæ, quia conuiuia apud omnes gentes sunt signa amicitiæ. Hæ sunt humanæ cogitationes, quæ non rectè de Sacramentis iudicant.

Errores de Sacramento.

Papistæ

II.

Papistæ aliam habent imaginationem, quòd sint opera per quæ meremur nobis & alijs remissionem peccatorum. Hæc opinio etiam est Ethnica, Sic de ceremonijs suis sentiebant Ethnici.

III.

Quis est igitur uerus usus? Dicam breuiter. Sacramenta sunt signa, non tantùm discernentia Christianos coram hominibus, Sed multò magis signa uoluntatis Dei erga nos, uidelicet promissæ gratiæ.

Signa diuinitus addita promissionibus.

Deus ab initio, cùm dedit promissionem Abrahæ, addidit signum. Sic cùm dedit uerbum Moysi, addidit signa quædam, Sic cùm Euangelium sparsit inter gentes, addidit signa, Baptismum & Cœnam Domini, Quia uoluntas Dei recipientis nos, non potest cognosci, nisi per suum uerbum, & signa ab ipso tradita. Vult enim addere signa uerbo, ut uerbum sit illustrius.

Et rem eandem significant uerbum et Sacramentum, Sicut Augustinus inquit: Sacramentum est uerbum uisibile, id est, res eadem significatur uoce, & gestu, Vox auribus, gestus oculis percipitur. Vt in Baptismo, uerbis datur remissio peccatorum, gestu fit ablutio.

Sic de Cœna Domini, Verbis admonemur Christum pro nobis esse passum, ipsius sanguinem pro nobis fusum. Gestus idem admonet, nos fieri membra

corporis Christi, & nobis dari sanguinem, quo ablu-ti sumus.

IIII.

Vsus Sacramenti.

Quomodo igitur utendum est? Sicut docet Chri-stus: Accipite, manducate, bibite, facite ad mei re-cordationem. Non est cogitandum, quòd sit tantùm ciuile spectaculum, nec cogitandum est, quòd hoc o-pere merearis remissionem peccatorum, sed scire de-bes. quòd sit res proposita, quæ admoneat te de pro-missione Euangelij, & passione Christi, & quòd fide propter Christum accipias remissionem, non propter hanc tuam sumtionem, sed hæc sumtio est testimoni-um, quòd Christus uelit tibi & singulis applicari su-um beneficium. Cùm sumis, ideo sumas, cogites, Ecce ad te pertinet beneficium Christi: Id testatur hac ce-remonia, in qua se tibi applicat.

V.

Qui sint idonei.

Illi igitur sunt idonei ad hoc Sacramentum, qui agunt pœnitentiam, sicut hîc dicitur: Si nos iudica-remus, non iudicaremur à Domino, & agentes pœ-nitentiam, credunt sibi ignosci propter Christum. Hæc fides excusitatur, cùm hoc testimonium cogita-mus, quòd uelit Christus singulis applicari suum be-neficium.

Magna igitur consolatio est in hac sumtione. Sci-as sumtionem institutam esse, ut fides excitetur, & singuli

singuli credamus ad nos ipsos pertinere beneficium Christi.

Hic est igitur uerus usus, cùm agentes pœniten-tiam hac fide sumimus, & nos consolamur, ac rursus gratias agimus Deo pro donato Filio, pro data sa-lute.

Recordatio Christi.

Hæc est recordatio, de qua Christus dicit, Facite ad mei recordationem. Significat enim recordatio, non historiæ tantùm cogitationem, sed fidem & gra-tiarum actionem: Fides accipit beneficium, Gratia-rum actio uicissim prædicat Deum. Et semper cum hac ceremonia debebat fieri prædicatio. Sic enim uetus Ecclesia hunc morem seruabat, quæ nullas ha-buit priuatas Missas.

Sacramentum in usu est Sacramentum.

Exposui uerum usum, scilicet, sumtionem agentis pœnitentiam, & credentis sibi remitti peccata pro-pter Christum, & hac sumtione se admonentis, quòd Euangelium ad singulos pertineat. In hoc uero usu, scimus Sacramentum esse Sacramentum, & dari no-bis corpus & sanguinem Christi.

De alio usu sine sumtione, scilicet, de circumge-statione nihil dicit Scriptura: Debet autem in Sa-cramentis esse certitudo. Ideo discamus rectè uti Sa-cramento, & in uero usu exercere fidem, & alios abusus extra uerbum fugiamus. Nec dubitemus, De-us puniet hos ingentes abusus huius Sacramenti. Et timeo Turcam esse flagellum præcipuè ad hos abusus puniendos. Sed nos oremus Deum, ut mitiget pœ-

nas propter suam Ecclesiam & institutionem puerìtiæ, ad suam laudem parcat nobis, sicut Niniuitis pepercit. Sed nos etiam agamus pœnitentiam, ut Niniuitæ. Deus propter Filium suum Dominum nostrum Iesum Christum misereatur nostri, & det nobis Spiritum sanctum suum.

IN EVANGELIVM DE DIVITE EPVLONE ET LAZARO.

Summa Euangelij.

HOC Euangelium continet multos insignes locos, qui omnes explicari in una concione non possunt. Et de aliquibus postea dicam, prius summam exponam. Tota hæc narratio est imago Ecclesiæ, consolatio afflictorum, & obiurgatio impiorum, qui negligunt uel Ecclesiam, uel membra Ecclesiæ, quæ habent opus auxilio.

Ecclesia iacet ad pedes potentum.

Vt enim hic Lazarus iacet ad diuitis uestìbulum, & à diuite negligitur, sic semper in mundo, ut plurimum, iacet Ecclesia afflicta & spreta coram regibus, principibus, pontificibus, sacerdotibus. Sic iacebat Christus & Apostoli coram principibus Synagogæ. Sic iacebant Israëlitæ coram Pharaone, Sic iacebant Ecclesiæ toto orbe terrarum coram Imperatoribus, Diocletiano, Maxentio, & alijs. Sic nunc iacet

iacet Ecclesia uera coram Pontifice Romano, Episcopis & Principibus.

Nos & alij pij, sub alijs Regibus & Principibus in tota Europa, clamamus ad Pontifices, Episcopos & Reges, ut curent rectè doceri, iuuent pios ministros, defendant confidentes, non patiantur interfici: Item, iuuent pauperes sacerdotes & alios, Constituant scholas, conseruent doctrinam. Hæc non audiunt Pontifices & Reges, putant se esse Ecclesiam, nec tamen faciunt officium suum, sed sunt diuites epulantes splendidè, id est, curantes suas opes, splendorem, pompas, non facientes officium. Quia Christus hìc non reprehendit diuites, sed addit, uoluptatibus indulgens quotidiè splendidè, ut ostendat, qualis sit ille diues, scilicet, quærens uoluptates, & splendorem.

Potentes quærentes uoluptates & splendorem.

Vide quæso, quid nunc aliud quærunt Episcopi, nisi uoluptates, & splendorem? Hæc quærentes impossibile est facere officium. Nam hìc non dicit tantum epulans, sed delitians, quod complectitur omnes uoluptates. Dixi quales personæ significentur, scilicet, potentes, & Ecclesia. Secundò obseruetur, quòd Christus consolatur Ecclesiam & omnes pios, qui sunt in ærumnis.

II. Consolatio piorum in ærumnis.

Ratio & Lex iudicant ex euentu. Hic est miser, Ergo negligitur. Sic semper ratio humana, dum in suis tenebris manet, iudicat. Sed Euangelium docet, quòd ærummæ non sunt signa iræ Dei, imò docet nos ideo affligi, ut redeamus ad Deum, & pios ærumnos

sos maximè curæ esse Deo. Sed hæc est mira, & solius Ecclesiæ sapientia, quæ intelligit Deum curare, respicere, exaudire afflictos, & mirabili quodam consilio uelle sanctos affligi. Sicut ab initio mundi sancti sunt afflicti. Abel interfectus, Prophetæ, Christus, Apostoli, deniq; omnes pij sunt excruciati uarijs & ingentibus ærumnis.

Ita hic docet Christus, hunc Lazarum Deo curæ esse, et consolatur nos, ut sciamus nos propter ærumnas non proiectos esse à Deo. Et gerit nomen hic, Lazarus, quo admonet & illum & nos, quòd sit Deo curæ, quia Lazarus est, Eleasar, quasi dicas, Deus adiutor, Gotthelff. Talis est Ecclesia, hanc nemo adiuuat, sed dicitur Lazarus, Gotthelff, Solus Deus eam respicit, exaudit, adiuuat, saluat. Imò sola Ecclesia Christi agnoscit Deum esse Deum talem, qui non abijcit afflictos, qui exaudit & respicit in ærumnis, recipit & uult seruare, uel in hac uita, uel certè post hanc uitam, propter Christum. Ideo clamitant Psalmi. Qui sanat contritos corde. Item, Alleuat Dominus omnes qui corruũt, erigit omnes elisos. Item, Inuoca me in die tribulationis, & eripiam te. Hîc docet, hanc inuocationem esse summum cultum.

Nomen Lazari.

Ergo quandocunq; sumus in afflictionibus, discamus nos hac doctrina Euangelij consolari, & excitemus nos ad inuocationem, Hæc est militia sanctorum, stare in hac fide, & expectare auxilium. Sicut Moyses dicit, Nolite timere, state, & uidebitis magnalia Domini.

Domini. Nunc etiam sumus Lazari, iacemus ad pedes pontificum & regum, petimus pacem, precamur ne Euangelium conculcetur, Sed illi manent epulones. Nos igitur uideamus ne deficiamus, sed simus Lazari, expectantes auxilium à Deo.

Sed redeo ad textum. Hic Lazarus curæ est Deo, mittuntur Angeli ad eum cùm moritur, in uita habet caniculam lingentem. Ita Ecclesia habet custodes Angelos, & canes lingentes, id est, quosdam de populo, qui quantùm possunt eam curant mediocribus officijs. Dictum est breuiter de consolatione Lazari, quo exemplo discamus & nos consolari.

Angeli custodes Ecclesiæ

Canes lingentes.

Tertius locus est grauis comminatio de pœnis impiorum. Diues rapitur in infernum, & excruciatur intolerabili & æterno cruciatu. Sic dicit Christus de suo iudicio, Sitiui & non dedistis mihi potum. Nihil dubitent tyranni, quin Deus eorum asperitatem, quam contra Ecclesiam iam exercent, puniturus sit, Et singuli uideant, ut curent membra Ecclesiæ, ne similiter puniantur.

III. Aeterna pœna impiorum.

Hæc breuiter est summa Euangelij, imago Ecclesiæ, petentis à potentibus auxilium & defensionem. Sed Ecclesia manet Lazarus, neminem habet auxiliatorem nisi Deum. Et hic est potens auxiliator, non obliuiscitur Ecclesiæ, ut Psalmo 9. & 10. dicitur: Non obliuiscaris pauperum, Item, Pupillo tu es adiutor. Reliquæ sunt disputationes in hoc textu de sinu Abrahæ, & de uerbo uocali, seu de scriptura.

DE SINV.

ABRAHÆ.

Sinus Abrahæ significat beatitudinem promissam uerbo dato Abrahæ, de benedictione in semine. Hæc promißio in Euangelio facta est illustrior, quòd clarè dicit: Hæc est uoluntas Patris, ut omnis qui credit in Filium, habeat uitam æternam. Sicut autem nos discedentes, debemus fide huius promißionis propter Christum factæ, nos sustentare, & hac fide ingredimur in uitam & læticiam æternam: Ita tunc sancti discedentes sustentabant se uerbo Abrahæ, & sustentantes se hac fide, ingrediebantur in uitam & læticiam sempiternam. Vocatur ergo beatitudo Sinus Abrahæ, quia est benedictio promissa Abrahæ propter semen, scilicet Christum.

Hæc scire de Sinu Abrahæ satis est, & omittendæ sunt phantasiæ de limbo Patrum. Patres eadem fide saluabantur, qua Apostoli & nos. Et beatitudo est uita & agnitio Dei, sapientia, iusticia, & læticia quædam perpetua, quæ non potest enarrari præ magnitudine, sed fide gustus aliquis in nobis incoari debet. De quo gustu ait Paulus: Iustificati fide pacem habemus erga Deum.

DE SCRIPTVRA.

Habent Moysen & Prophetas.

Hoc testimonium est utile, & confirmat pios multi-

multipliciter, quòd non sint quærendæ reuelationes aut illuminationes præter scripturam. Sed quòd uerè hæc sit uoluntas Dei, quæ est scripturis proposita. Sic uult exaudire, saluare, sicut tibi hæc uerba Euangelij scripta promittunt. Ideo Anabaptistæ damnantur, quærentes alias illuminationes omisso uerbo.

DE ANGELIS
CONCIVNCVLA.

AD Hebræos primo scribitur, Sunt ministri spiritus ad ministerium missi, propter eos qui sunt hæredes futuri. Hic locus duo docet, Primum quæ sit substantia Angelorum, Deinde quod sit officium. Substantia est spiritualis, quia uocat eos spiritus. Discernit autem scriptura spiritus à corporibus, cùm inquit, Spiritus carnem & ossa non habent.

Sunt autem duplices spiritus, Boni, & mali, Mali non sunt conditi in malicia, sed à Deo creati sunt sine uicio: Postea uerò defecerunt, sicut inquit Christus, Mendacium ex proprijs loquitur, Ergo non accepit à Deo. Item Epistolæ Petri & Iudæ testantur Angelos defecisse, & propter peccatum damnatos esse. Et Epistola Iudæ disertè inquit, Angelos non conseruasse suam originem, id est, non mansisse tales quales conditi sunt.

DE OFFICIO ANgelorum.

EPistola ad Hebræos uocat eos ministros spiritus, & addit, propter eos qui sunt futuri hæredes. Hæc sententia testatur Angelos occupatos esse cura Ecclesiæ defendendæ. Sic autem cogitemus, sicut reuera ad hunc modum se habet Ecclesia, Ecclesiam uelut ciuitatem, ab una parte diaboli obsident & oppugnant acerrimè, Ab altera defendunt, & pro pugnant Angeli. Nam Paulus uocat Diabolos spiritus aëris. Versantur igitur utrique boni & mali spiritus cum hominibus.

Vt autem officia bonorum Angelorum agnosci possint, Primùm consideremus quàm sæuum hostem habeamus. Describitur autem Diabolus quòd sit mendax & homicida. Mendax est, id est, immani quodam odio Dei conatur summis uiribus deformare gloriam Dei. Ideo incitat homines ad impias opiniones de Deo, & ad blasphemias, & efficit, ut hæ propagentur, sicut Paulus inquit. Tenet captiuas mentes hominum. Inde nomen habet Diaboli, quia calumniatur uerbum Dei, & serit impias opiniones. Sicut statim initiò apud Euam calumniatus est uerbum Dei, & extenuauit eius autoritatem, & exemit Euæ reuerentiam erga uerbum Dei. Excitat igitur in Ecclesia, & auget falsa dogmata, & hæreses.

Deinde homicida est, id est, molitur exitium hominibus,

minibus, Quia enim summa est acerbitas odij ipsius aduersus Deum, ideo conatur nocere hominibus ac præsertim Ecclesiæ, ut expleat odium suum aduersus Deum. Molitur exitium priuatæ uitæ, affligit ualetudinem, inficit aërem, excitat malas tempestates, affert morbos, pestilentias, corrumpit res nascentes, impellit ad flagitia, pertrahit in praua sodalitia. Deinde etiam in uita politica nocet, excitat crudelitatem aduersus Ecclesiam, excitat Tyrannos, ut dilacerent Respublicas, ut sæuiant in innocentes, ut moueant non necessaria bella. Inflammat inquieta ingenia ad mouendas seditiones, & turbandas Respublicas.

ECONTRA bonorum Angelorum officia sunt. Primùm ueraces sunt, hoc est, amant gloriam Dei, & ueram doctrinam, Ideo promouent pia studia, & reprimunt Diabolum, & impios serentes mala dogmata, sicut interfecerũt Cherinthum. Item sunt ministri ad reuelationes, sicut Gabriel mittitur ad uirginem Mariam. Item orant pro Ecclesia, iuxta illud: Angeli eorum uident faciem patris, &c.

Deinde sunt custodes Ecclesiæ. Primùm impediunt Tyrannos, & consilia persecutionis contra Ecclesiam, Sicut testantur multæ historiæ. Elisæus inquit, plures sunt nobiscum. Idem testatur historia Ezechiæ. Item, Angelus educit Petrum ex carcere. Item defendunt pacem publicam, impediunt consilia eorum, qui mouere bella conantur, Sicut apud Danielem

nielem Angelus inquit, se propugnasse regem Persarum. Item apud Danielem uocantur uigiles in arbore, quæ significat Regnum. Excubāt igitur pro regno.

Priuatim defendunt uitam, sicut & Christus testatur, pueris esse additos Angelos custodes, cùm inquit, Angeli eorum uident faciem patris. Et huius officij multa sunt exempla, ut in historia Iacob, Tobiæ, Epiphanij. Item in puero Cygneo, & multis alijs.

Vicißim autem discamus, quid à nobis requirant Angeli, uidelicet gratitudinem. Hæc est autem uera gratitudo, ut ipsorum uirtutes imitemur, hoc est, ut simus ueraces, id est, ut agnoscamus nos Deo curæ esse, Agnoscamus nobis tales custodes esse additos, & agamus Deo gratias pro hoc ingenti beneficio.

Deinde Angelorum exemplo simus nos quoque φιλόσοργοι, temperantes, casti, &c. Et ut retineamus Angelos nobiscum, imitemus eos nostra pietate & bonis moribus.

FINIS.

INDEX

INDEX PRÆCIPVORVM LOCORVM qui explicantur in enarratione Euangeliorum.

A

Abominatio desolationis in Ecclesia Dei. 465
Abrahæ sinus quid 265
Absolutionis ministerium uoce Ecclesiæ 406
Afflictionũ Ecclesiæ imago & prædictio in Maria 544. 547
Afflictionũ Ecclesiæ causæ & fines 154. 155 510. 407
Afflictio sua cuiusq; diei, & miseria uitæ humanæ 383
Afflictos respici à Deo, propria Euangelij doctrina 388. 619
Afflictorum in ærumnis consolatio 667
Angeli custodes Ecclesiæ & pijs additi 611
Angelorum bonorum & malorum ἀντίθεσις 611 677
Angelorum officia in Ecclesia 677. 678
Apostoli quare retinuerint legem de sanguine & suffocatis 250
Apostolicæ & Propheticæ uocationis discrimen 532
Applicatio historiæ de nato Christo 44
Applicatio historiæ passionis, item resurrectionis ad nos 153
Arrij refutatio, negantis λόγον esse ὁμοούσιον patri 34
Azyma quid significent 161

B

Baptismi Christi & Ioannis discrimen 21. 582
Baptismi significationes 60
Baptistæ doctrina de pœnitentia, remissione peccatorum, bonis operibus 578. & deinceps.
Baptistæ Ioannis uictus, et mors 583 584
Baptistæ proprium munus 579
Beneficia Euangelij comprehensa in Cantico Angelorum 47

C

Cacozelia Episcoporum in imitatione rituum & operum, extra mandatum Dei 251
Calamitatum humanarũ causse 361.
Calamitatũ humanarum magnitudo Ibidem
Cauendum à falsis doctoribus 336
Ceremoniæ diuinæ quare conseruentur 71. 540
Ceremoniæ cedunt officijs dilectionis 85. 208
Ceremoniæ quæ & quare retineri possint 251
de Christo testimonia contra Iudæos 647 & deinceps.
Christi exhibiti testimonia 2. 20. 43. 44. 65. 66. 179. 543. 546. 591.
de Christi persona diuinitatis testimonia 24. 32. 150. 187
Christi propria doctrina opposita uoce legis 150
Christi regnum quale, & eius beneficia 42. 648
Christi pompa triumphalis 5
Christi & Ecclesiæ species ibidem
Christi humiliatio seu abiectio sui 56
Christus solus illuminator Ecclesiæ omnium temporum 30

in Chri-

in Christo duæ naturæ 33. 66.
de Christo uera Ecclesiæ confessio 592
Christi subiectio sub Lege pro nobis, & eius subiectionis causse 61. 539
Christus ubi quærendus 73
Christi profectus in donis Spiritus 74
Christi omnipotentiæ fides in exemplis credentium 119
Christi tentationes quales & uictoria contra Diabolum 124
Christi & patrum seu aliorum ministrorum discrimen 492
Christum cur oportuerit mori 155
de Christo agno, & applicatione per fidem imaginum in ritu Paschatis 158. & deinceps
Christi regnantis in Ecclesia opera, & testimonia 174. 180
Christi regnum & efficacia in ministerio Euangelij 31. 180
Christi pastoris & aliorum gubernatorum seu ministrorum discrimen 193. 196
Christus quomodo præeat Ecclesiæ 196
Christus, ianua, qua ingredimur & egredimur 197
Christi misericordia erga genus humanum 352. 362. 389
Christi liberatio et uictoria contra diabolum 363
Christi efficacia in credentibus 362
Christus ad quid promissus, seu Christi officium 402
Christus quomodo simul Dauidis filius, & dominus 403
Christus liberator, etiam à pœnis 407

Christi

Christi regnantis testimo-
nium ostensum Stepha-
no 509
ad Christum directæ inuo
cationis exemplum 512
Christi conceptio de Spi-
ritu sancto 559
Christus quomodo Legem
impleat 625
Circumcisionis ritus 59
Circumcisio quale Sacra-
mentum ibidem
Circumcisionis significa-
tio 60
Circumcisionis Christi
causſæ ibidem
Claues regni cœlorum
quæ 498
Coactio qualis sit in Ec-
clesia 270
Cœtus seu conuentus pu-
blici Ecclesiæ quare ha-
bendi 572
Colloquiorum piorum de
Christo fructus 170
Coniugium approbatum
à Christo & consolatio-
nes contra difficulta-
tes 78
Consolatio contra scanda-
lũ crucis in Lazaro 265
Contemtus Euangelij hor-
ribiles pœnæ 268
351. 413.
Contra conscientiam fa-
cere excutit fidem 287
Contritionis in pœniten-
tia doctrina 276. 599
Conuicia & calumniæ
quatenus, & quomodo
refutandæ 433
Cultus ueri in regno Chri
sti 4. 69. 515. 639
Cultus primi præcepti
comprehensi in cantico
Angelorum 52
Cultus nouos an posit in-
stituere Ecclesia 250
Cultus quæ opera sint, &
quomodo ibidem.
Cultus Ecclesiæ proprius,
& discrimen ab alijs re-
ligionibus 412
Cultus sine uerbo omnes
reiecti à Deo 541
Corporaliũ bonorũ pro-
missiones

missiones quomodo dis-
cernendæ ab æternis 454
Corporalia quomodo fi-
des petat 84. 217. 328
455
in Corporalibus quomodo
exerceatur fides 217.
322. 329
Corporalia quo ordine pe
tenda 325. 381
Corporalium petitio sem-
per impetrat Ecclesiæ
331
Corporaliũ petendorum
causſæ 385
Corporalibus ereptis, ta-
men retinendæ promissi-
ones æternæ 438
Corporalia promissa non
rapienda à nobis, sed ex-
pectanda uocatio ibi-
dem
Corporalibus promissio-
nibus inclusæ conditio-
nes 439. 454
Curricula doctorum in
Ecclesia continua serie
332. 346. 576.

D

Deus quid sit 26
Dei definitio Platonica, et
Christiana 474. 475
Dei patefactio, & discri-
mina personarum 823.
225. 477. & deinceps
& 581
Dei agnitionis Ethnicæ, et
Christianæ discrimen
477. 490
Dei opera fide compre-
hensa, sustentatio naturæ
& conseruatio Eccleſiæ
380
Dei cogitatio & agnitio
alligata ad uerbum per
Christũ traditum 565
Dei bonitatis testimonium
erga genus humanum in
dato Filio 24
Dei inuocatio uera quæ
sit, & quomodo discer-
natur ab ethnica 216. 222
Dei clementia erga pec-
catores agentes pœni-
tentiam 246

Deo quæ danda, & quæ hominib. cedenda 441
Dandi præceptum quomodo & ad quæ obliget 397
Defectionis ab Euangelio causſæ 110. 112
Defenſio legitima in iudicio, & in ea moderatio 432. 434
Defenſio piorum ſub cruce diuina 620
Diuinitatis cogitatio alliganda ad patefactionem editam per Filium 479
Diaboli præſtigiæ in auferendo uerbo ex cordibus 113
Diaboli tyrannis & inſidiæ, & uictoria Chriſti 123
Diaboli inſidiæ cauendæ poſt ſanctificationem 138
Dilectionis erga proximum præcipua opera 294. & deinceps
Diſciplinæ & uerę iuſticiæ diſcrimen 255. Item 311
Diſciplina cur et ad quid neceſſaria 255. 514
Diſciplinæ contemtæ pœnæ & cauſſa cur puniatur contemtus 283
Diſciplinæ & ſpiritualis obedientiæ collatio 515
Diffidentiæ humanæ reprehenſio 378
Difficultatum in imperijs creſcentium cauſſæ 443
Doctrinæ Euangelij certitudinis teſtimonia ex miraculis 14
Doctrinæ teſtimonia in exemplis ſanctorum conſideranda 506
De doctrinæ diſtributione & reliquijs aſſeruandis allegoria 144
Doctrina de agnitione filij Dei maximè neceſſaria Eccleſiæ 366
De doctrina in Eccleſia iudicandi regula 367
in Doctrinæ diſſidijs, unde petenda ſit ueritas 467 & deinceps.
Doctrinæ Apoſtolicæ & Philoſophicæ diſcrimen 532
Doctrina in Eccleſia ſubinde diuinitus inſtaurata 528. 575
Domus orationis Eccleſia 353
Dona Spiritus ſancti ad gubernationem Eccleſiæ promiſſa 643. & deinceps.
Dubitatio in inuocatione fide uincenda 92
Dubitatio quomodo repellenda 278. 390

E

Eccleſiæ uariæ imagines 68. 80. 92. 556. 590
Eccleſiæ ueræ et hypocriticæ antitheſis 653
in Eccleſia quatuor genera hominum ſeu perſonæ 5
Eccleſiæ officia erga Chriſtum 4
Eccleſiæ ueræ et falſæ diſcrimen 412
Eccleſiæ falſæ ſeu aduerſantis Chriſto pictura 6
Eccleſia qualis in mundo 90. 270. 412. 485. 636
Eccleſiæ ſemper addita teſtimonia diuina, quæ et ubi ſit 43
Eccleſiæ afflictiones expreſſa emplo paſſionis Chriſti deinceps. 154
Eccleſia quare ſubiecta cruci & ærumnis 90. 118. 154. 234. 516.
Eccleſiæ perpetua conſeruatio 101 320. 323. 464. 596
Eccleſiæ calamitates, & quare ſint prædictæ 10. 233. 463
Eccleſiæ miranda gubernatio 90. 94. 320. 575
Eccleſiæ ordinarijs gubernatoribus quando neceſſe ſit refragari 20

Ecclesia seruiens & obediens in politicis ad propagationem Euangelij 47. 97. 98.
Ecclesiæ semper dantur aliqua hospitia tanquam præsepe 42
Ecclesiæ studium conseruandi testimonia de Christo 55
pro Ecclesia conseruanda Dei sollicitudo 68
Ecclesiæ potestas seu coactio 97. & deinceps. Item 270. 427.
Ecclesia falsa admista ueræ, in externa societate 102
Ecclesiasticæ gubernationis & politicæ discrimen 428. 608
Ecclesia uera semper in mundo inter alios deficientes 110
Ecclesiæ tentationes iuxta historiam temporum 124. & deinceps.
de Ecclesiæ uictu & defensione consolatio 141
Ecclesia electa quæ credit testimonio Apostolorum 178
Ecclesiæ dissimilitudo à politijs 198
Ecclesia uera uisibilis quæ & ubi sit 198. & deinceps. 410. 468. 495
Ecclesiæ electæ membra tantùm uocati 199
Ecclesiæ uictoria contra diaboli & mundi potentiam 211
Ecclesiæ imago in Lazaro 266
de Ecclesia calumniosa iudicia mundi 300
Ecclesiæ uocatio perpetua 410
Ecclesiæ species in mundo 411. 556
Ecclesiæ extremi temporis calamitates 463
Ecclesia ubi sit & manet in persecutionibus & dispersionibus 464
Ecclesiæ ministerium seu potestas duplex 427
Ecclesiæ & aliarum religionum discrimen 412
Ecclesiæ Iurisdictio in manifestè delinquentes 417
Ecclesia an possit errare 467. & deinceps.
Ecclesia non alligandæ potestati ordinariæ 468
in Ecclesiæ calamitatibus & uastatione consolationes 471. 511
Ecclesiæ propagatio & conseruatio per ministerium 494. 609
Ecclesia ædificata supra ministerium Apostolorum 595
Ecclesiæ in mundo dispersio 510
Ecclesia mirabiliter seruata inter uastationes 557. 575
in Ecclesia Dei opera 72. 592. 593
Electio ementium & uendentium ex templo 353
Electi tantùm sunt uocati, seu amplectentes Euangelium 199. 469
Errores in doctrina Monachorum de iustificatione 263
Error populi Iudaici & Apostolorum de Christi dominatione politica 463
Error perniciosus de Ecclesiæ regno externo 607
Exæquatio omnium in iudicio Dei 285

EXEMPLA VIRTVTVM ET bonorum operum.

Constantia in confessione Baptistæ 21
Studij & confirmationis fidei

fidei Mariæ consideran-
tis testimonia de Christo
55
Exempla doctrinæ et uir-
tutum in sanctis 530

F

Facultatum seu bonorum
corporalium legitimus
usus 344
Festorum dierum causſa
572
Fides remißionis peccato-
rum necessaria in pœni-
tentia 599
de Fide petitionis rerum
æternarum, & corpora-
lium 84
93. 217. 218
Fidei exercitium in peti-
tione corporalium 217
329
Fidei in pœnitentia do-
ctrina & exempla 86.
119. 131. 281. 450. 599
Fidei pugna & doctrina
contra dubitationem 92
Fides etiam infirma ex-
auditur à Christo 95
Fidei pugna aduersus ten-
tationem de indignitate,
item de electione 129
& deinceps. item 450
Fides resuscitati & re-
gnantis Christi 173
Fides uerbi Dei contra
apparentia 187
Fides quomodo exercen-
da in promißionibus sub
Cruce 558
Fides quomodo exercea-
tur in operibus dilectio-
nis 299
Fides quomodo inclusa di-
ctis de operibus 347
Fides sine certaminibus
non retinetur 374
Fides eadem, in uarietate
uocationum 518
Fides de naturæ sustenta-
tione, & de conseruatio-
ne Ecclesiæ 380
Fides quomodo nitatur
gratuita misericordia
420. 453

Fidei

Fidei cultus 423
Filij Dei natiuitas æterna
qualis 26. 479
Filij Dei perpetua præ-
sentia in Ecclesia 29
Filij prodigi imago, &
collatio cum frugaliore
279. & deinceps.

G

Gentium uocationis testi-
monium in Magis 66
Et in Centurione 87
Gentium uocatio testimo-
nium doctrinæ Euangelij
de remißione peccato-
rum gratuita 102
Gloria quæ, & quomodo
Deo tribuatur, & anti-
thesis de furoribus mun-
di 47. 49
Gratiæ exuberantis supra
peccatum doctrina &
exempla 274. 275
600
Gratis particulæ, seu ex-
clusiuæ in doctrina de
remißione peccatorum
causſæ 550
Gratiarum actio adiun-
genda precationi 219
Gratiarum actio hypo-
critarum falsa 356
Gubernatorum politico-
rum, & in Ecclesia dis-
crimina 192
Gubernatores in Ecclesia
non monstrantes Chri-
stum, fures & latrones
194
Gubernatorum felicium
et infelicium discrimina
531

H

Humilitas uera quæ 358.
497
Humanæ naturæ assumtæ
à Filio DEI consilium
& causſæ 44. & de-
inceps.
Hypocritarum interiora
peccata 284
Hypocritarum iracundia

 & odi-

& odium erga Euange= lium et illud amplecten= tes 290. 458
Hypocritarum tetri cul= tus & eorum reiectio 285. 357
Hypocritarum in Eccle= sia pœnæ 414

I

Ianitor seu hostiarius a= periens Christo qui sit 202
Idololatria extremi tem= poris in Ecclesia 466. 653. & deinceps.
Idololatria omnium, qui non agnoscunt Euange= lium 655. & deinceps.
Impiæ doctrinæ fructus qui 339
In imperijs crescentium confusionum & tyran= nidum causæ 302
Indurationis impiorum causæ 148
Infirmitatis fidei in sanctis exempla 95. 118. 170
Infirmos dociles recipi à Deo 171
Infirmorum & contuma= cium discrimen ibid.
de Infantibus insertis Ec= clesiæ testimonium 612
Ingratorum Euangelio re= iectio 104. 373
Inuocationis Dei doctrina & regula 25
Inuocationis Christianæ & Ethnicæ discrimen 215. & deinceps 477
de Inuocatione doctrina 84. 216. 452. 477. 567.
Inuocationis efficacia ibi= dem.
Inuocatione retinenda fides, etiam cum differ= tur auxilium. 79
In inuocatione discrimen de fide petitionis rerum æternarum & corpo= ralium 84. 216
Inuocatio quando fiat si= ne, aut cum exceptione 93
Inuocationem oppugnan= tes tentationes, & op= ponenda doctrina 129
de Inuocatione dicta op= posita doctrinæ legis 223. & deinceps.
Inuocatio nunquam irri= ta, etiamsi liberatio dif= fertur 331
Inuocatio tantùm cultus noui Testamenti 639
Inuocantibus promissa sa= lus ibidem.
Iræ Dei aduersus pecca= tum magnitudo 45
Iræ DEI magnitudo in passione Filij ostensa 152. & deinceps.
Iræ DEI magnitudo ex pœnis æstimanda 277
Iudicij futuri prædictio= nes, & quare id præsci= ri oporteat 10
Iudicium de doctrina in= ualium 84. 216
Ecclesia quorum sit 89
Iudicia de proximo quæ sunt iusta & quæ prohi= bita 295
In iudicando seruandus ordo 300
Iustitiæ rationis se lega= lis, & iustitiæ Euangelij discrimen 311
Iusti quomodo simus fide 256. 312
Iustitiæ fidei effectus seu noua obedientia 258
In iustis manere adhuc peccata 259
Iustitia spiritualis quibus rebus abundet, & præ= stet Pharisaicæ 311
Iustitia in Euangelio pro= posita in transitu Chri= sti ad Patrem 209

L

Labor officij in uocatione 326
Lapsuum causæ post san=

ctificationem 138
Lapsos omnes agentes pœnitentiam à Deo recipi 288
Læticia seu bona uoluntas in pijs quæ & unde 48. 51. & deinceps.
Legis & Euangelij discrimen 35. 405. 406
Lege requiri perfectam obedientiam 313
Legis præceptum præcipuum 400
Lex cur data sit 401
Legis de purificatione puerperarum caussa & significatio 538. 544
Legis de primogenitis Deo tradendis significatio 541. 545
Legalium dictorum interpretatio ex Euangelio 616
Lex moralis æterna Dei uoluntas 623
Libidinum horribiles pœnæ 77
Liberalium eleemosynarum præmia 142. 346
Liberatio præsens quare non semper contingat 330
λόγος cur dicatur filius Dei 26. 478. 483
Locustæ, cibus Baptistæ 583

M

Magistratus officium in coërcendis impiorum dogmatum autoribus 97
Mala, mors, & peccatum non condita à Deo 29
Mammon iniustus quid et cur sic uocetur 345
Merces quare uocetur uita æterna 105
de Merito, refutatio doctrinæ aduersariorum 103. 105
Ministerij Euangelij præconia 16
Ministerij Euangelij institutio & utilitas 495. 493
Ministerij cõseruandi præcepta, & erga illud obedientia 85. 86
Ministerij Ecclesiæ potestas seu iurisdictio 97 98
Ministerij Euangelij autoritas & efficacia 180. 208. 493. 494. 498
Ministerij Mosaici (seu Leuitici) & Euangelici discrimen 405
Ministerium publicũ remittendi peccata 406 424. & deinceps.
Ministerij seu potestatis Ecclesiæ partes 427
Miraculorum Christi utilitas, & de ijs doctrina 83. 129. 360. 448
Miracula Ecclesiæ propria & perpetua 135 644.
Miracula seu mirandæ liberationes omnes per filium Dei factæ 27. 28. 135
Miraculorum uerorum et falsorum discrimen 135
Miraculis præferendum uerbum diuinitus traditum 419
Miracula noua neglectis iam editis non quærenda ibidem.
Miracula Ecclesiæ per inuocationem 637
Misericordiæ Dei testimonium in dato filio 24
Misericordia Dei in promissione Spiritus sancti 226
de Misericordia et remissione falsa imaginatio rationis ex lege 273
Misericordiæ Dei magnitudo in passione Filij ostensa 153
Misericordiæ magnitudo ex uocatione perditissimorum hominum ad Euangelium 260. 274
Misericordia omnib. agentibus

tibus pœnitentiam promissa 274
Misericordia erga proximum, & eius gradus 294
de Morte querela funebris philosophiæ seu sapientiæ humanæ 457
Mortui quatenus lugendi 390
Mundi duritia erga Ecclesiam 264

N

Neglectio propriæ salutis humanæ 268
Neglectio rerum æternarum in sollicitudine pro corporalibus 343

O

Obumbratio diuina in Ecclesia 560
Obedientia parentibus quatenus præstanda 72
Obedientiæ præstitæ à CHRISTO exemplum 74
Obedientia in afflictionibus exercenda Ecclesiæ 91. 515
Obedientiæ incoatio necessaria in pœnitentiam agentibus 279
Obedientiæ incoatio in renatis quomodo placeat Deo 260.314
Odium Doctorum Legis contra Euangelium 458
Operum bonorum necessitas 311
Operum præceptis quomodo inclusa fides 347
De bonorum operũ præmijs promißiones 143. 346.
Operum bonorum doctrina tradita à Ioanne Baptista 580
de Operibus dicta, quomodo concilianda cum dictis de fide 615

Operum

Operum bonorum necessitas 293
Ouis perditæ in humeris CHRISTI imago 275

P

Paracletus quare dicatur Spiritus Sanctus 228 483
de Parsimonia, & usu donorum corporalium 143
Paschæ ueteris historia, et eius significatio 158
Legis de ritu Paschatis enarratio 159. & deinceps.
Passionis CHRISTI triplex meditatio 151. 152
Passionis filij Dei applicatio, fide 153
Pastorum Ecclesiæ officia, exemplo Angelorum & Pastorum in natiuitate CHRISTI 52. 53.
Pastoris Christi & aliorum discrimen 196
Patrum fides ante Christum 115. 150
Patrum doctrina de Christo 195
Patres ante Christum natum, quomodo saluati sint 406
Pax in Ecclesia quæ 47 50
Peccatũ irremißibile seu in Spiritum sanctum, in quibus sit 137
Peccata remitti & retineri uoce Ecclesiæ 185
Peccatorum magnitudini & terroribus quid opponendum 277
Peccata contra conscientiam non esse in iustis & habentibus SPIRITVM Sanctum 286 287
Peccata quæ maneant in sanctis 259. 314.

Pen-

Pentecostes noui Testamenti cum ueteri collatio 236
Perseuerantiæ in fide & confessione exempla 374
Persona quid & personarum diuinitatis discrimen 477
Personarum diuinitatis opera communia & propria quomodo intelligenda 481. & deinceps.
Personarum distinctio & appellationes tenendæ 483
Personarum diuinitatis reuelatio exhibita Baptistæ 581
Petitio mitigationis pœnarum temporalium, non est irrita 455
de Petitione corporalium beneficiorum 325
Pœnæ contemti Euangelij 111
de Pœnis impiorum æternis testimonium 669
Pœnitentiæ prædicatio in Euangelio 577
Pœnitentia necessaria in recipiendis 276
Pœnitentiæ partes, & earum explicatio. ibidem & 597. 598
Pœnitentiam agentium noua dona & ornatus 282. 283
Pœnitentiæ ueræ exempla 357. 534. 553. 699. & deinceps.
Pœnitentiæ conciones habitæ à BAPTISTA 577
Politica gubernatio quid & quomodo conseruetur, & causſæ mutationum in imperijs 428. 429
Politiæ Mosaicæ deletæ causſæ 462
πολυπραγμοσύνης damna & pœnæ 519
Præsentia curanda, neglecta etiam spe aut metu incerti euentus futuri 384
Precatione mitigari calamitates 455
de Precatione quatuor tenenda 213
Precationis piæ formula seu exemplum 224. 477. 567. 491
Præmia ueterum eleemosynarum 342. 346. & deinceps.
Primogenita Deo dicata propter conseruationem doctrinæ & ministerij 542
Prophetare & Prophetia in Ecclesia quid 641
Promißionum de Ecclesia mirandæ impletiones 41 559
Promißionum de rebus æternis & corporalibus discrimen 319. 437
Promißionibus corporalibus addita doctrina de Cruce 321
Promißiones corporales propter quas causſas traditæ 332. & deinceps.
Promißionum exempla singulis applicatarum 449
Promißionis gratiæ, & mitigationis pœnarum discrimen 454
Promißionum de CHRISTO explicatio in concione Angeli ad Mariam 558
Promißiones additæ præceptis bonorum operum 614. 615
Promißionum legalium & gratuitæ discrimen 615
Proximus nobis quis 367

R

Recipi in æterna tabernacula 347
Regnum Christi quale 449

de Regno Meßiæ Stephani concio 508
de Regno Christi & Ecclesia errores humani 118. 119
Regni Christi & politici discrimen. 207
de Regeneratione per aquam & Spiritum 257
de Remittendis peccatis ministerio Ecclesiæ mandatum Christi 185
de Remißione peccatorum fide accipienda contra indignitatem & dubitationem 306. 598
de Remißione, doctrinæ Legis & Euangelij discrimen 405
Remißionis peccatorum ministerium seu potestas in Ecclesia 405. 425
Remißionis peccatorum gratuitæ exempla 533 550
Remißio propter quid contingat damnatis lege 624
de Remißione peccatorum exclusiuæ particulæ tenendæ necessitas & caussa 550
de Remißione peccatorũ doctrina Baptistæ 578.
de Remißione offensarum erga proximum præceptum, et remißionis gradus 426
Remißionis seu condonationis erga proximum caussæ ibidem
Resurrectionis Christi beneficia 173
Resuscitati Christi testimonia 179
Resuscitati cum Christo ibidem.

S

de Sabbato præcepti propria sententia 394. 395
Sabbati

Sabbati uiolatio 395
Sabbati propria opera 396
de Sacramento cœnæ Domini doctrina 661 & deinceps.
Sacramenti horribilis abusus, & eius pœnæ ibidem.
Sacrificium Christi et eius applicatio 652
Samosateni negantis λόγον esse personam refutatio 34
Sanctorũ afflictionis caussæ 585. & deinceps.
Sanctorum exempla ad imitationem & gratiarum actionem proposita 530
Sancti quare obijciantur tyrannis 585
Sancti quomodo recipiantur in æterna tabernacula 347. 348
Sectæ impiæ in populo Dei 574
de scandalis cauendis, & scandalorum gradus 609. & deinceps.
Signa Ecclesiæ peculiaria, seu testimonia de Christo 53
Signa, seu Sacramenta, addita promißionibus de Christo 58
Signa extremi temporis Ecclesiæ ante iudicium 645
Sitire & esurire iustitiam quid 621
Spiritus sanctus quid 226 480. & deinceps.
Spiritus sancti officium in ministerio Euangelij 208. & deinceps.
Spiritus sancti arguentis mundum efficacia ibidem.
Spiritus sancti promißio testimonium bonitatis Dei 226

Spiritus sancti epitheta 226. 228. 483
sine Spiritu sancto tenebræ & mendacium humanorum cordium 227.
SPIRITVS sancti testificatio de Christo duplex 229
Spiritus sanctus fide Euangelij accipitur 230 240
Spiritus sancti confirmatio contra diffidentiam 231
Spiritum sanctum uult Deus ut petamus 232
Spiritus sanctus ad quid, & quibus detur 238 & deinceps.
Spiritus sanctus quomodo amittatur 241
Spiritum sanctum contristare quid sit 487
Spiritus sanctus efficax in conceptione CHRISTI 559
Spiritus sancti obumbratio 560. & deinceps.
Spiritus sanctus ignotus non agnoscentibus Euangelium 628
Spiritus sancti promißio, uniuersalis omnib. proposita 630
Spiritus sanctus de substantia Dei 640
de Spiritus sancti persona & processione 480
Spiritu pauperes qui, & eorum consolatio 618
Stephani concio de summa Euangelij, & de cultibus 507. 508
Superbia & eius pœnæ 397
Supererogatio in gubernatione Ecclesiæ quid 369
Synagogæ seu Scholæ in singulis oppidis 447
Synodus Ecclesiæ ueræ qualis 546. 591

Templi

T

Templi unico loco constituti causſæ 446
Tentationum diaboli exempla in historia Ecclesiæ 124. 125
Tentationi de uictu opponenda confirmatio ibidem.
Tentatio fidei de particularitate, item de electione quomodo uincatur 129. 130.
Tentare Deum quid sit 126
Terrores de indignitate ex magnitudine beneficiorum Dei 306
Terrorum præcedentium consolationes exemplum in Maria 558
Tributorum iustorum & iniustorum discrimen 442
Tyrannidum in imperijs crescentiũ causſæ 302. 443

V

Verbum Dei regula iudicandi de uoluntate Dei 479
Vestis nuptialis quæ 414. 415
Veste nuptiali qui careant 415
de Victu & defensione Ecclesiæ, promißionum exempla 305
Vicia cultuum hypocriticorum 285. 357
Vindicta quæ concessa, aut prohibita 315
Vindictæ Magistratuum, & priuatæ defensionis discrimen 431. & deinceps.
Vindictam Deo cedentes etiam in mundo seruantur 620
Vocationis ad ministerium

 um

um præter & contra ordinariam potestatem exempla 576
Vocationis ordinariæ & extraordinariæ discrimen 20. 576
Vocationum uarietas, & earum pius usus 517
Vocatio omnium ad pœnitentiam, etiam flagitiosorum 274. 290
Vocationis propriæ opera facienda 519
Voluntas Dei de saluando homine tantùm in Euangelio reuelata 36

Z

Zachæi uocati exemplum 552

LOCORVM Scripturæ enarrationes.

Concionis Zachariæ de uenturo Christo 9. Loci 2. Corinth: 3. Nos retecta facie gloriam Domini speculantes transformamur, &c. 240. 486
De dicto: Effundam de spiritu meo super omnem carnem 238. 245
Item: Omnis qui inuocabit nomen Domini, saluus erit 638. 639
Typus de uelata facie Moysi 256
Precationis in Psalmo: Cor mundum crea in me, Item: Spiritum rectum & sanctum, &c. 288. 289
Præcepti Pauli, 1. Thessalon. 4. Studeatis facere proprium officium, etc. 326. 519
Dauidis precatio pro Ecclesia: Absconde me in tabernaculo tuo 332
Sophoniæ de Ecclesia: Reliquum faciam populum pauperem & egenum 412
Concionis Oseæ 13. Ero mors tua ô mors 174
Esaiæ 11. Erit sepultura eius gloriosa 175
Dicti Pauli: Quos elegit, hos & uocauit 199
De dicto: Non relinquam uos orphanos 239. 485
Dicti Zachariæ: Effundam spiritum gratiæ et precum 238. 486 632
De Moyse petente sibi ostendi faciem Dei, & stante in foramine petræ 566
Explicatio dicti. Remittuntur ei peccata, quia dilexit 600
Explicatio dicti: Non ueni soluere legem 623
Psalmi 16. Conserua me Deus, breuis enarratio 649. & deinceps.

Allegoriæ.

Pompa ingressus Christi in die Palmarum 5
De muneribus Magorum 68. & 69
De distributione panum, & reliquijs in cophinis 344. 333
Lazari iacentis ad uestibulum diuitis 266. 666
Noui ornatus filij prodigi conuersi 282. 283

Piſcationis Petri 307
De muto & ſurdo 362
De ſauciato à latronibus, & Samaritano 368
De muliere laborante fluxu ſanguinis 456
De tibicinibus conductis ad funus filiæ Archiſynagogi 457
De purificatione puerperarum, & ſanctificatione primogenitorum 538. 539. 541. & deinceps.
Typus Zachæi ſtantis in ſycomoro 552. 553
Locuſtarum et ſerpentum inimicitia 584
Typus mulieris lauantis et ungentis pedes Chriſti 602. & deinceps.

FINIS.

VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES CRATO.

ANNO. M. D. LXI.